Nab. 5.
9.

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM JENENSIS

CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS DECIMVS SEPTIMVS

DENVO EDIDIT

VARIISQVE OBSERVATIONIBVS

ILLVSTRAVIT ET AVXIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS



TVBINGAE

SVMTIBVS IO. GEORGII COTTAE

MDCCLXXVII.

KŒN.PR.FR.
UNIVERS.
ZVHALLE

PRAEFATIO EDITORIS.

Singulari prorsus supremi Numinis benignitate, varias inter valetudinis tentationes laborumque vicissitudines, tantum nobis virium adhuc suffectum est, ut opus *Gerhardianum* non modo ad lætiora subinde incrementa provehere, sed ejus etiam exitum, nemini magis, quam nobis exoptatum, in dies maturare possimus.

Jam enim attigimus eam *locorum theologicorum* partem, quæ, præcipuis doctrinæ christianæ capitibus rite absolutis, ad argumentum *de novissimis*, seria profecto meditatione dignissimum, felici opera pertractandum progreditur. Et *hic* ipse quidem *tomus*, quem nunc B. L. *Tibi* sistimus, *decimus septimus*, tractationis illius partem haud exiguam, contentorumque copia ac gravitate uberrimam comprehendit. Occupatur videlicet in exponendo *loco XXVII. de morte*, maximeque in enarrandis iis, quæ mortem tum quoad *corpus*, tum quoad *animam* proxime insequuntur. Quam latus heic pateat meditationum campus, quanta diligentia eundem emensus sit *b.* GERHARDVS noster, non vanis quidem luxuriantis ingenii commentis, rerumve, quas ignorare nos Deus voluit, divinationibus otiosis, sed adcurata rerum cognitu utilium descriptione ac demonstratione, itemque sobrio sanctioris scripturæ usu in explicandis capitibus gravissimis, ac prudenti denique & solida variarum controversiarum dijudicatione, id, nobis non monentibus, ipsa libri inspectio unumquemque facile condocebit.

Quum vero, post tempora GERHARDI nostri, insignes disputationum philosophicarum æque ac theologicarum accessiones subinde factæ sint ad præsens hocce argumentum, nonnulla etiam, ut, suborti controversiis, haud raro fieri solet, diligentius subinde tractata, clariusque exposita; hic sane locus, si quisquam alius, peculiarem operam requirere videbatur, qua *textum* auctoris, si non emendandum, saltim hinc inde illustrandum, &, ubi opus fuerit, ex *recentioris litteraturæ* penu amplificandum nobis sumeremus.

Sic autem justa prorsus ratione factum est, ut, quia materiam illam omnem a GERHARDO ipso copiose expositam, nostrisque denique adauctam observationibus, unum in volumen colligere non licuit,


duos illi *tomos* destinare constituerimus; id quod nobis ipsis tanto fit opportunius, quanto melior inde facultas nobis enascitur, intra reliquum temporis spatium nostra qualiacunque additamenta perficiendi.

Complectetur enim *tomus proximus*, sine omni cunctatione parandus, præter ea, quæ de commentationibus *Gerhardianis* supersunt, insignem *adpendicem* observationum nostrarum, ad argumentum *de morte* spectantium, quas quidem, cum subinde sint prolixiores, universas in *supplementa* reservare, satius duximus, quam disjectas textui *Gerhardiano* subjungere.

Nec tamen, quod paucis heic notamus, quæcunque in toto argumento de *novissimis* dici possent, in tomis subsequentibus nostrisque supplementis exhauriemus; sed a largiore adnotationum singularium communicatione eam præcipue ob caussam abstinebimus, quod omnia fere capita huc spectantia data opera a nobis jam fuerint pertractata in variis *dissertationibus academicis*, quas inde a longa annorum serie sensim sensimque luci publicæ exposuimus. Et sane has ipsas dissertationes, olim sigillatim editas, nunc vero peculiari quodam volumine collectas, curisque nostris posterioribus revisas, passimque adauctas, suo tempore cum orbe erudito communicare decrevimus, si vitam viresque nobis concesserit benignissimum Numen.

Vnicum hoc adhuc subjungimus, non modo *partem secundam* de *matrimonio tomo XVI.* qui jam sub prelo sudat, comprehensam, cum luculenta animadversionum nostrarum accessione, propediem evulgatum iri; sed *reliquorum* etiam tomorum, adcurate non minus, quam sine longiori mora edendorum cura nihil nobis esse antiquius. Sic enim *Tibi*, LECTOR BENEVOLE, persuasum volumus: quod in laboribus diu protensis usu subinde venire solet, ut frigeant ultima, id nobis haud quaquam accidere; omni potius animi ardore, omnique contentione nos id enixuros, ut, si Deo, vitæ nostræ arbitro, placuerit, indefesso studio nostro vastum hocce *opus Gerhardianum* ad felicem exitum tandem perducatur. Interim benevolentiæ atque æquitati *Tuæ*, B. L. nos nostraque studia commendamus enixissime, fructusque ex isto opere uberrimos toto animo *Tibi* adprecamur.

Scripsimus in academia Eberhardino-Carolina, quæ est Tubingæ,
d. 22 Martii A. O. R. MDCCLXXVII.



Locvs XXVII.

DE MORTE.

PROOEMIVM.
DE NOVISSIMIS IN GENERE.

§. I.

Typus Exod. XXVIII. 35. Inter alias de ornatu summi sacerdotis vet. test. leviticas constitutiones divinitus promulgatas talis lex habetur, Exod. XXVIII. 31. *Facies etiam pallium Ephod, sive super humeralis, totum ex hyacintho.* v. 32. *Et erit os capitis ejus in medio ejus. Labium erit ori ejus circum opere texentis, sicut os loricæ erit ei, ne scindatur.* v. 33. *Et facies super fimbriis ejus mala punica ex hyacintho & purpura & vermiculo cocci super fimbriis ejus circum, & tintinnabula auri in medio earum circum.* v. 34. *Tintinnabulum auri & malum punicum, tintinnabulum auri & malum punicum super fimbriis pallii circum.* v. 35. *Et erit super Aaron administrandum, & audietur sonus ejus, quando ingredietur sanctuarium coram Domino, & quando egredietur, & non morietur.* Siracides hanc tunicam sic describit XLV. 11. *Circumdedit eum* (summum sacerdotem) *sphærulis aureis, tintinnabulis plurimis in circuitu ad sonandam vocem in gradibus suis, audibilem facere sonum in templo & in memoriam filiis populi sui.* Hunc summi pontificis in vet. test. ornatum non minus quam reliquas vestes typicum quid significasse, extra dubitationis aleam positum est. Primo igitur tintinnabula illa ac mala punica in limbo tunicæ sacerdotalis alternatim posita, ac sonus tintinnabulorum, qui exaudiebatur, quando pontifex tabernaculum ingrediebatur vel egrediebatur, ad excitandam in ipsomet pontifice & populo divinæ majestatis reverentiam, 1) specialiter ac præcipue ad *Christum* unicum nov. test. ἀρχιερέα adcommodari possunt, quod facit Rupertus in comm. ubi *tintinnabula* ad prædicationem, (*) *mala punica* ad miracula Christi adplicat. 2) Paulo generalius adcommodari possunt tum ad *apostolos*, qui sono

Allegorica ejusdem explicatio & adplicatio:

1) *ad Christum.*

2) *ad apostolos & ecclesiæ ministros.*

(*) Expositionem hancce allegoricam adoptarunt, atque *tintinnabula* in limbo tunicæ sacerdotalis posita ad evangelii praedicationem, quae sono suo totum terrarum orbem complevit, adplicarunt complures tum ex antiquioribus, tum ex recentioribus quoque scriptoribus, veluti Jo. d'Outrain *de clangore evangelii, p. 376.* Jo. Biermannvs in *Mose & Christo p. 96.* Hermannvs Witsivs *miscell. sacror.*

sono prædicationis evangelicæ totum terrarum orbem in suo ministerio compleverunt, Psal. XIX. 1. tum ad *reliquos ecclesiæ ministros*, de quibus Gregorius part. II. cur. pastoral. cap. 4. ac lib. I. regist. epist. XXIV. *Sacerdos ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur, quia iram contra se occulti judicis exigit, si fine sonitu prædicationis incedit. Vestimentis tintinnabula inhærent, ut vitæ viam cum linguæ sonitu ipsa quoque bona opera clament sacerdotis.* Hieronymus in epist. ad Tabiolam de veste sacerdotali: *Tanta debet esse scientia & eruditio pontificis Dei, ut & gressus ejus & motus & universa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet & ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum, absque tintinnabulis enim & diversis coloribus & gemmis floribusque virtutum nec sancta ingredi potest, nec omen antistitis possidere.* Confer Bedam in comm. h. l. 3) Generalissime istiusmodi adplicari possunt ad *omnes vere pios & christianos*. Illi enim sunt *regale sacerdotium*, 1. Pet. II. 9. cum Christus eos *fecerit reges & sacerdotes Deo & Patri ejus*. Apoc. I. 6. Quamdiu igitur *ingrediuntur & egrediuntur coram Domino*, id est, toto vitæ tempore, quæ per ingressum & egressum significatur Psal. CXXI. 8. in ora & extremitate vestis debent habere tintinnabula, ut de novissimis perpetuo admoneantur, sicque auribus & cordibus ipsorum semper insonet Siracidis præceptum VII. 40. ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις σε μιμνήσκου τὰ ἔσχατα σε, καὶ εἰς αἰῶνα οὐ μὴ ἁμαρτήσεις. Origenes hom. IX. in exod. post medium: *Potest unusquisque nostrum etiam in semetipso constituere tabernaculum Deo &c. supra omnem gloriam sit ei pontificalis ornatus &c. habeat per indumenti circuitum tintinnabula, ut ingrediens sancta det sonitum & non intret cum silentio. Et hæc tintinnabula, quæ semper sonare debent, in extremo vestimenti sint posita, idcirco credo, ut de extremis temporibus & fine mundi nunquam sileas, sed inde semper sones, inde disputes & loquaris secundum eum, qui dixit: Memor esto novissimorum tuorum. Ad hunc ergo modum homo noster interior Deo pontifex adornetur, ut introire possit non solum in sancta, sed & in sancta sanctorum, ut possit adire propitiatorium, ubi sunt Cherubim, & inde adpareat ei Deus.*

3) *ad omnes vere pios.*

§ II. Vt ergo & nos typice huic præcepto morem geramus, expositis præcipuis christianæ fidei articulis novissimo loco doctrinam *de novissimis* divino freti auxilio, pari filo ac stylo pertractabimus, cujus doctrinæ *necessitatem* atque *utilitatem* brevibus quidem, sed emphaticis verbis Siracides VII. 40. nobis commendat: *In omnibus sermonibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Necessitas* elucet 1) ex *divini mandati auctoritate*, cui obsequentes nos præbere omnino convenit: *Memorare novissima.* 2) Ex *mandati illius perpetuitate. In omnibus sermonibus tuis*, vel ut habet vulgata versio: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua*, quia Hebræum דבר & eidem respondens Græcum λόγος quandoque pro negotio & opere accipitur. 3) Ex *ejusdem universalitate*. Ad omnes omnino homines dicitur: *Memorare novissima tua.* Quare ut reliquorum fidei christianæ articulorum, ita quoque hujus ipsius articuli cognitio ac tractatio est omnino in ecclesia necessaria, cum enim quidam Thessalonicenses articulum de resurrectione mortuorum & ultimo Christi ad judicium adventu minus recte intelligerent, apostolus eo nomine ipsis tribuit ὑστερήματα τῆς πίστεως 1. Thess. III. 10. nec desunt quibusvis mundi temporibus præsertim extremis, ἐμπαῖκται, qui oracula Spiritus sancti de illis novissimis vel negant, vel in

Doctrinae de novissimis. I.) *Necessitas.*

cror. tom. II. libr. II. dis. II. c. 52. p. 487. itemque ex nostris Jo. Lvndivs in *den jüdischen Heiligthümern libr. III. cap. XXV. p. 187.* ex. edit. Wolfii, b, Rambachivs in libro germanice edito, qui inscribitur: *Christus in Mose, part. I. p. 408.* aliique. Plura hanc in rem non addimus, cum haec ad instituti nostri rationem propius haud spectent.

in dubium vocant, 2 Petr. III. 3. atque hac ratione ipsum religionis christianæ & totius fidei nostræ fundamentum audacter impugnant, a quibus vera ecclesia non solum publica confessione, sed etiam adcurata confutatione sese debet sejungere.

II.) *Vtilitas.* §. III. *Vtilitas* hujus doctrinæ in sequentibus verbis Siracidis proponitur: *& in æternum non peccabis.* Neque enim ullum efficacius τῶν κακῶν ἔργων προφυλακτικὸν, ac τῶν καλῶν ἔργων ὁμοιότροπον, quam novissimorum nostrorum pia meditatio, quippe quæ mentibus nostris instillat, 1) *terrenorum contemtum.* Facile terrena omnia repudiat, qui se moriturum cogitat; facile cor suum ab omnibus terrenis abstrahit, qui τὸ χῆμα τὸ κόσμε τέτε παράγειν 1. Cor. VII. 31. pio & adsiduo studio perpendit. 2) *Cœlestium bonorum desiderium.* Qui vere & ex toto corde credit, *terrestris hujus domus nostræ tabernaculo dissoluto, nos ædificium ex Deo habituros, domicilium scilicet non manu factum, sed æternum in cœlis, is in hoc ingemiscit domicilium nostrum, quod e cœlo est, superindui desiderans* 2. Cor. V. 1. & 2. *qui novit se, dum advena est in corpore, a Domino peregre abesse,* ἐνδημέντα ἐν τῷ σώματι ἐκδημῆσαι ἀπὸ τὲ κυρίε, *is probat ac desiderat potius peregre abesse e corpore, & incolere apud Dominum,* ἐκδημῆσαι ἐκ τὲ σώματος, καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον v. 6. & 8. Qui firmiter persuasus est, se *non habere in hoc mundo civitatem manentem,* is *futuram inquirit* Hebr. XIII. 14. 3) *Divini numinis metum.* Qui quotidie expendit illud apostolicum: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, quæ in corpore fecerit congruenter ad id, quod fecit, sive bonum sive malum* 2. Cor. V. 10. is divini numinis & judicii metu facile percellitur. Qui cogitat *tria futura: mortem, qua nihil horribilius; judicium, quo nihil terribilius; pœnam inferni, qua nihil intolerabilius,* is in vero ac serio Dei timore τὸν τῆς παροικίας χρόνον, incolatus sui tempus transiget 1. Pet. I. 17. 4) *Peccati fastidium.* Petrus cum dixisset 1. epist. IV. 7. *Omnium finis adpropinquat,* statim subjungit, σωφρονήσατε οὖν καὶ νήψατε εἰς τὰς προσευχάς, considerantes scilicet in propinquo esse omnium rerum finem & judicium extremum. Speculum peccat. cap. V. circa finem: *Nulla artis medicina, nulla doctrina sic superat superbiam, sic vincit malitiam, nec sic exstinguit libidinem, nec sic mundi calcat vanitatem, sicut mortis & judicii recordatio &c.* Memoria ignis, quo in die novissimo totus mundus conflagrabit, & recordatio ignis infernalis facile comprimit pravæ concupiscentiæ flammas. 5) *Sanctæ vitæ studium.* Qui *omnia opera, sive bona sive mala, in judicium adducenda,* Eccles. XII. 14. ac *abscondita cordis consilia in eo manifestanda* 1. Cor IV. 5. cogitat, is sanctæ conversationi totum sese consecrat. *Adveniet,* inquit Petrus 2. epist. III. 10. *dies Domini sicut fur, in quo cæli magno impetu transibunt, elementa vero calore solventur, ac terra, & quæ in ea opera sunt, exurentur.* v. 11. *Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportebit nos esse in sanctis conversationibus & pietatibus.* 6) *Omnium ærumnarum remedium.* Dies extremus erit tempus nostræ ἀπολυτρώσεως, Lucæ XXI. 28. erit καιρὸς ἀναψύξεως, Act. III. 20. ac χρόνος ἀποκαταστάσεως πάντων v. 21. ecquis igitur in ærumnis animum despondere velit, quis non potius animo æquissimo ac patientissimo quævis adversa tolerabit? *Passiones hujus temporis non sunt condignæ ad futuram gloriam, quæ in nos revelabitur,* Rom. VIII. 18. *Momentanea enim levitas adflictionis nostræ excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis, dum non spectamus ea, quæ cernuntur, sed ea, quæ non cernuntur, nam quæ cernuntur, temporalia sunt, quæ non cernuntur, æterna,* 2. Cor. IV. 17. & 18. Quænam efficacior in omnibus adversis consolatio nobis proponi posset quam μισθαποδοσία, in resurrectione, extremo judicio & vitæ æternæ promissione nobis reposita? Plura de utilitate hujus doctrinæ sub finem cujusque novissimi adducemus, ubi latius demonstrabitur, quomodo

non solum πρὸς διδασκαλίαν καὶ πρὸς ἔλεγχον θεωρητικῶς, sed etiam πρὸς ἐπανόρθωσιν, παιδείαν καὶ παράκλησιν πρακτικῶς eadem maximum pondus ac momentum vere piis adferat.

III.) *Dignitas.* §. IV. Ex necessitate & utilitate hujus doctrinæ, ejusdem *dignitas* consequitur, quæ vel ex eo etiam elucere potest, quod ea, quæ in hoc articulo ex verbo patefacto proponuntur, sunt pars mysterii cœlestis ab omni humana ratione absconditi, ac sapientiæ solius ecclesiæ propriæ. Quemadmodum enim exacta futurorum cognitio est actio divinæ omniscientiæ, soli Deo utpote infinito & æterno unice competens; Esa. XLI. 21. 22. ita quoque doctrina de futuris mundi & hominis novissimis in verbo tradita est evidens argumentum, scripturam sacram, in qua eadem proponitur, non esse humano arbitrio excogitatam, sed divinitus promulgatam, atque ecclesiam, in qua hæc doctrina unice sonat, a Deo hanc revelationem de novissimis accepisse. Quod si alias juxta comicum *viri prudentis est, non ea modo, quæ ante pedes sunt, videre, sed etiam quæ futura sunt, prospicere*, quanto magis ad *spiritualem prudentiam justorum* & *sapientiam* eorum *in occulto* Psal. LI. 8. Luc. I. 17. pertinere censenda est futurorum novissimorum omnibus omnino hominibus exspectandorum cognitio? Qui nec præteritorum recordantur, nec de futuris soliciti, præsentibus duntaxat intenti in diem vivunt, brutorum potius quam hominum vitam ducere haud immerito judicantur; quanto minus in christianis ferendum erit, si nec præterita, *malum* scilicet a se *commissum*, *bonum omissum*, & *tempus amissum* ad piæ recordationis trutinam revocent, nec futura, *mortis* scilicet *adpropinquationem*, *mundi consummationem* ac *judicii universalis exsecutionem* provida mente prospiciant, ac eorum memoriam in animo suo perpetuam circumferant?

Monita piorum veterum §. V. Inde non solum in *scripturis sacris* Deut. XXXII. 29. Sir. VII. 30. XXVIII. 5. XXXVIII. 21. sed etiam in *ecclesiasticis patrum scriptis* crebræ exstant admonitiones de novissimis tum macrocosmi tum microcosmi quotidiana meditatione expendendis. *de novissimorum meditatione.* Auctor libri de speculo peccatoris, qui exstat inter opera Augustini tom. IX. cap. 1. *Felicitèr possumus evadere mortis periculum, si diligenter studeamus sequi divinum consilium, quod nobis intimat Dominus dicens:* Vtinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent! *O felix & utile consilium, mortis remedium, salutis antidotum, peccatoris speculum! O salutifera nostri redemtoris sententia, ex qua nobis instructio sapientiæ, admonitio continentiæ, speculum providentiæ, exultatio pœnitentiæ, adquisitio divinæ gratiæ datur.* Cap. II. *Consideratio hujus sententiæ:* utinam saperent &c. *destructio est superbiæ, exstinctio invidiæ, medela malitiæ, effugatio luxuriæ, evacuatio vanitatis & jactantiæ, construction disciplinæ, perfectio sanctimoniæ, præparatio salutis æternæ.* Cap. V. *Si novissima provideres, Deum times, superna adpeteres, mundum contemneres, & infernum horreres &c.* Eodem fere sensu Bernhardus epist. CCXCII. *Vtinam saperes, quæ Dei sunt, intelligeres, quæ mundi sunt, provideres, quæ inferni sunt, profecto inferna horreres, superna adpeteres, quæ sunt mundi, contemneres.* Idem in serm. de prim. & novis. nostris fol. 377. *Novissima quæ sunt? Nam de eis dicitur, quod* eorum memor non peccabis. *Ipsa sunt, mors, judicium, gehenna. Quid horribilius morte? quid judicio terribilius? nam gehenna nihil potest intolerabilius cogitari. Quid metuet, si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur? O homo, si pudorem perdideras ad nobilem creaturam pertinentem, si dolorem non sentiebas adflictionis, quod etiam est carnalium, vel timorem non amittas, &c. Time ergo, o homo, quod in morte separandus es a bonis omnibus hujus corporis, & tam dulce carnis & animæ vinculum amarissimo secandum erit divortio. Time, quod in terribili judicio ei*

præ-

præsentandus es, in cujus manus horrendum est incidere, & eo examinante, quem nihil latet, siquidem in te inventa fuerit iniquitas, alienandus ab universitate quietis & gloriæ, & segregandus a numero beatorum. Time, quod in gehenna cruciatibus æternis & immensis exponendus es, in sorte diaboli & angelorum ejus in igne æterno, qui præparatus est eis. Hic ergo timor initium sapientiæ dicitur, non pudor aut dolor, quia neuter eorum sic initiat sapientiam, neuter tantam habet efficaciam. Unde est, quod non dicitur: Memorare primordia aut media; sed novissima, & non peccabis. Idem in alio quodam sermone: *In omnibus operibus tuis memorare tuæ mortis horrorem, judicii valde tremendi discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miseriam, recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ, & cogita vitæ humanæ pericula. Cogita fragilitatem propriam, & in hujusmodi cogitatione si perseveraveris, dico tibi, parum senties, quidquid foris videtur esse molestum, dum toto corde circa interiorem molestiam occuperis.* Idem tractans dictum Christi Matth X. 28. *Timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehenna. Paveo*, inquit, *gehennam, paveo judicis vultum, ipsis etiam angelicis potestatibus tremendum. Contremisco ab ira potentis, a facie furoris ejus & a verbo aspero. Contremisco a dentibus bestiæ infernalis, a ventre inferni, a rugientibus præparatis ad escam. Horreo vermem rodentem, ignem torrentem, fumum & vaporem, sulphur & spiritum procellarum. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut præveniam fletibus, fletum & stridorem dentium & manuum pedumque dira vincula & pondus catenarum prementium, stringentium, urentium nec consumentium.* Neander in erotem. Hebr. fol 348. adducit sententiam Rabbi Akabiæ filii Mahalĕelis: *Considera tres res, & non venies in manus transgressionis. Cognosce unde veneris, quo tandem sis abiturus, coram quo etiam oportebit te tandem rationem reddere? Unde veniisti? ex guttula sordida. Quo tandem abis? ad locum pulveris & vermium. Coram quo futurum est, ut rationem reddas? coram rege, qui Rex est omnium regum, qui scilicet est sanctus Deus benedictus.* In vitis patrum Evagrio hoc tribuitur: *Memor esto semper exitus tui, & non obliviscaris æterni judicii, & non erit delictum in anima tua*, quod Jacobus Billius in anthol. sacra sic exprimit:

An cupis adversus scelerum fœdissima quæque
Vulnera persacilem dem tibi promtus opem?
Cum te turpe aliquid tentat, fac illico menti
Sese mors oculis offerat atra tuæ.
Quisquis enim horrendum Christi cum morte tribunal
Cogitat, hic omnis criminis hostis erit.
Flante velut valido nubes Aquilone fugantur,
Sic meditata scelus mors procul omne fugat.

Auctor libri de quatuor novissimis, quem edidit Hamelmannus anno 1592. in principio: *Quatuor novissima sunt quatuor rotæ victrices animæ, vehentes eam ad æternam salutem. Ista quatuor sunt incitamenta spiritum hominis incitantia, ut spretis omnibus mundanis ad suum redeat creatorem.* Animalia non ruminantia censentur immunda, Lev. XI. 26. sic immunditiem peccatorum contrahunt, qui præteritorum & futurorum immemores non ruminant dies antiquos & novissimos; contra vero sponsa Christi Cantic. VII. 9. sic describitur: *Guttur tuum sicut vinum optimum dignum dilecto meo ad potandum, labiis & dentibus illius ad ruminandum.* Mira fuerunt arma, quibus Gideon instruxit suos milites, iisque Midianitarum fudit exercitum, Jud. VII. 16. *dedit tubas in manibus eorum, lagenas vacuas ac lampades in medio lagenarum.* Hæc sunt arma timoris Dei, his Midianitarum, id est, dæmonum superatur exercitus, videlicet tubis sonantibus, lagenis fractis atque igne. Eximium sane timoris telum est tuba illa, quæ extremo die mortales ad immortalitatem vocabit,

cabit, (*) si animo frequenter insonet terribilis illius clangor. Fortissimus clypeus est lagena fracta, id est, fictile corpus nostrum fractum dispersisque ossibus sepulcro conditum, si ante oculos mentis semper proponatur. Igne autem tartareo, si meditatione irruentes in hostes jactetur, quodnam tormentum bellicum est horribilius? hæc arma suppeditat Dei verbum, in eo enim habemus vasa fictilia fracta, id est, corpora omnium hominum in cinerem redacta: habemus tubas judicii horrendo perstrepentes sonitu; habemus ignem æternum, cujus impii esca erunt sempiterna.

ὀνοματολογία. §. VI. Ordiemur explicationem ab ὀνοματολογία. Nomen ἐσχάτων, *novissimorum*, ἔγγραφον est in illa ipsa, in qua hoc loco usurpatur, significatione. Est autem Græcis ἔσχατον in genere idem, quod Hebræis אַחֲרִית vel אַחֲרוֹן ac dupliciter in scripturis accipitur: 1.) *proprie*, 2.) *metaphorice*. Proprie 1.) *localiter*, pro extremitate loci, sic dicuntur ἔσχατα τῆς γαίης, ἔσχατα τῆς θαλάσσης, ἔσχατα τῶν παρεμβολῶν, quæ significatio non est hujus loci. 2.) *Temporaliter* pro extremitate temporis, quo sensu iterum dupliciter accipitur: a.) *particulariter* ac *secundum quid* pro fine seu novissimo alicujus gentis, populi ac hominis in particulari. Genes. XLIX. 1. *Congregamini, ut annunciem, quæ ventura sunt vobis*, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, *in novissimis diebus*, non sub finem mundi demum, sed toto durationis politiæ judaicæ tempore usque ad ejus excidium. Deut. IV. 30. *Quando te invenient omnia verba ista*, ἐπ' ἐσχάτων ἡμερῶν, *novissimo* sive longe secuturo *tempore*, *& reverteris ad Dominum Deum tuum.* XXXI. 29. *Occurrent vobis mala in extremo tempore &c.* XXXII. 29. *Vtinam essent sapientes, ac intelligerent hoc, novissima sua intelligerent*, id est, ultimum suum excidium atque exitium, idque vera pœnitentia averterent. Es. XLVII. 7. de Babylone dicitur, *non recordata es novissimi tui*, id est, finalis excidii & πανολεθρίας. Jer. XXIII. 26. *In novissimis diebus intelligetis in ea intellectum.* Hujus loci est illa significatio, qua in vet. test. *dies novissimus* vocatur tempus παρουσίας sive adventus Christi in hunc mundum, id est, incarnationis τὸ λόγε, Es. II. 2. quia sub finem vet. test. ea erat secutura. Item, qua finem & eventum alicujus rei exprimit, 2. Sam. II. 26. Job. VIII. 7. Psal. XXXVII. 37. LXXIII. 17. Prov. V. 4. &c. b.) *Vniversaliter & absolute* pro fine seu novissimo totius mundi ac omnium gentium, populorum & hominum. Es. XLI. 22. *Accedant & nuncient nobis, quæ ventura sunt, priora quæ fuerunt, nunciate, & ponemus cor nostrum & sciemus* τὰ ἔσχατα, ubi non solum in specie certæ alicujus gentis, sed etiam in genere totius mundi novissima optime per τὰ ἔσχατα intelligi possunt; est enim argumentum sapientiæ solius Dei propriæ, quod doctrina de novissimis in verbo divinitus nobis revelata. Es. XLVI. 9. *Ego sum Deus, & non est ultra Deus, nec est similis mei.* v. 10. *Annuncians ab exordio* τὰ ἔσχατα, *novissima, & ab initio, quæ necdum facta.* Jer. XVII. 11. de divite avaro & iniquo dicitur, *in novissimo erit insipiens*, id est, in morte suam insipientiam cognoscet. Dan. II. 28. *Est Deus in cælo revelans mysteria, qui indicavit tibi, rex, quæ ventura sunt* ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, *in novissimis temporibus*, usque ad diem extremum, in quo omnia regna terrena sunt comminuenda ac consumenda, ut prædicitur v. 44. Sic etiam VIII. 19. *ostendam tibi, quæ futura sunt in novissima ira* ἐπ' ἐσχάτων τῆς ὀργῆς, quando scilicet antichristus, cujus typus fuit Antiochus, *sine manu conteretur*, v. 26. hoc est, glorioso Domini adventu in die novissimo abolebitur 2. Thess. II. 8. Sirac. VII. 40. *In omnibus sermo-*

(*) Vocatur illa in sanctioribus litteris *tuba Dei*, *1. Cor. XV. 52. 1. Thess. IV. 16.* denotatque, ut nonnulli volunt, ingentia fulgura & tonitrua. Nec improbabile nobis videtur, respici heic ad promulgationem legis Sinaiticæ, quæ *Exod. XIX. 16.* inter ingentia fulgura atque tonitrua, insimulque per vehementissimum tubæ sonitum facta dicitur.

sermonibus memorare novissima tua & in æternum non peccabis. Sirac. XXVIII. 6. *μνήσθητι τὰ ἔσχατα καὶ παῦσαι ἐχθραίνων.* Si mortem, si mundi finem, si extremum judicium, si infernum hominibus duris, reconciliari nesciis, paratum cogitaveris, odii flammas facile exstinxeris; perquam enim absurdum est, mortales homines iras immortales fovere. XXXVIII. 21. *Ne des in tristitiam cor tuum, repelle eam memor novissimorum, μνηθεὶς τὰ ἔσχατα*, id est, noli diutius ac gravius, quam par est, mortuum lugere, quia omnibus tandem mors ac post mortem judicium statutum. Ex nov. test. huc referenda dicta, in quibus tempus secundi adventus Christi ad judicium dicitur ἐσχάτη ἡμέρα, Joh. VI. 39. 40. 44. 54. XI. 24. XII. 48. *καιρὸς ἔσχατος*, 1. Petr. I. 5. ac *tuba Dei*, quæ in novissimo die sonabit, vocatur ἐσχάτη σάλπιγξ 1. Cor. XX. 52. *Metaphorice* per *τὰ ἔσχατα* intelliguntur abjecti & postremæ sortis homines: Ezech. XXIII. 25. *Novissimum tuum gladio cadet.* XXXIII. 2. *Cum induxero gladium super terram & tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis.* Hoc loco accipitur in significatione propria, qua universaliter & absolute pro omnium hominum & totius mundi novissimis usurpatur.

Numerus novissimorum. §. VII. In enumeratione istorum novissimorum ecclesiastici scriptores tam veteres quam recentiores quodammodo variant, dum alii *plura*, alii *pauciora*, eademque alio atque alio ordine recensent. Auctor libri de speculo peccatoris inter opera Augustini cap. 5. in principio ad quæstionem, *quæ sint illa novissima, quæ providere soliciti debemus?* respondet: *Summa totius providentiæ est utique illa terribilis hora, in qua misera anima tua ex hoc corpusculo corruptibili timens est egressura &c. Reduc ergo sedulus in memoriam illum extremum exitus tui diem, & antequam misera anima tua de carcere carnis exeat, provideas quo vadat.* Sed ad novissima in genere accepta plura pertinent quam mors, quæ est τὸ μικρόσμε ἔσχατον. Quibusdam probatur hæc enumeratio dichotomica: Novissima sunt duplicia: 1.) *mundi destructio*, 2.) *Christi adparitio*, qui veniet 1.) ad *resuscitandum*, 2.) ad *judicandum*, in quo judicio piis *vitam æternam*, impiis *infernum* adjudicabit. Sed in hac distributione omittitur unum ex ἔσχατοις, videlicet *mors* temporalis. Communiter numerantur quatuor novissima hoc inclusa districho:

Mors tua, judicium postremum, gloria cæli,
Et dolor inferni sunt meditanda tibi.

Bernhardus in quod. serm. *Novissima sunt quatuor, mors, judicium, gehenna, gloria. Quid horribilius morte? quid terribilius judicio? quid intolerabilius gehenna? & quid jucundius gloria?* Sed in hac enumeratione omittitur *mortuorum resurrectio* & *mundi consummatio.* Quidam igitur quaternarium novissimorum numerum sic explicant, ut *primum* inter ea locum tribuant morti hominis, *secundum* ejusdem resurrectioni, quibus de transitu mundi quædam adtexenda censent, *tertium* adventui Christi ad judicium de vivis simul ac mortuis exercendum, *quartum* saluti seu beatitudini piorum & damnationi impiorum æternæ. Sed præstat distincte de mortuorum resurrectione & mundi consummatione; item de gloria æterna piorum & pœnis æternis impiorum agere, quam ad unum idemque caput ea referre. Quidam in extremis illis percensendis sic progrediuntur: Actio Dei circa hominem post lapsum consideratur vel in *vita præsenti*, ratione tum status peccati seu iræ, tum reconciliationis seu gratiæ; vel in *vita futura*, quæ consideratur vel *inchoative* vel *consummative.* Inchoative occurrit finis ultimus vel *μικροκόσμε* sive *hominis*, vel *μακροκόσμε* sive totius *mundani systematis.* Μικροκόσμε sive hominis finis ultimus est *mors temporalis.* Μακροκόσμε finis ultimus est *mundi interitus.* Consummative in *mortuorum resurrectione*, cujus finis est vel *intermedius* seu decisivus, vel *ultimus* seu exsecutivus. Intermedius seu decisivus est *judicium extremum*, universale ac finale. Ultimus seu exsecutivus est sententiæ decisæ exsecutio duplex ratione duplicis objecti, impiorum scilicet

licet & piorum. Pii transferentur ad *vitam* seu gloriam *æternam*, impii vero detrudentur in ignominiam ac *pœnam sempiternam*. Cum hac distributione fere coincidit illa aliorum series: Novissima sunt vel μακροκόσμα, vel μικροκόσμα. Novissima μακροκόσμα sunt duplicis generis. Vel enim sunt *via* ad terminum novissimum tendens, vel *meta* viam terminans. Illa pergit per duplicem vallem, *mortis* scilicet Psal. XXIII. 4. & Josaphat, seu *judicii*, Joël. III. 7. quod judicium præcedet *universalis resurrectio*. Meta est; ad quam pervenit vel anima hominis soluta a corpore; vel totus homo post resurrectionem. Eaque gemina est sibi extreme opposita, impiorum *infernus*, piorum *vita æterna*. Illud ex hisce enumerationibus omnibus simul sumtis elucescit, quod sex in universum sint hominis ac mundi novissima. 1.) *Mors hominis temporalis*, ad quam pertinet animæ a corpore separatio ac corporis in sepulchro cinefactio. 2.) *Vniversalis omnium hominum resuscitatio*. 3.) *Judicii extremi administratio*. 4.) *Mundi conflagratio*. 5.) *Impiorum æterna damnatio*. 6.) *Piorum æterna glorificatio*. Cumque usitatum sit quatuor duntaxat novissima statuere, ideo sic progredi possumus: Novissima in genere accepta ratione duplicis objecti sunt duplicia, a) μακροκόσμα, b) μικροκόσμα. Μακροκόσμα novissimum est *seculi consummatio*. Novissima μικροκόσμα sunt quatuor: a) *mors*, b) *resurrectio*, c) *judicium*, d) mora æterna, piorum scilicet in *cælo* & damnatorum in *inferno*.

Ordo I.) *Mors.*

§. VIII. De ordine novissimorum itidem plurimum variant: I.) *Mortem hominis* temporalem inter novissima primo loco ponendam plerique omnes statuunt, quia reliqua omnia temporis ratione antegreditur. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc vero judicium*, Heb. IX. 27. cui judicio cum immediate ac indivulse conjuncta sit futura mundi consummatio, ideo hoc ἔσχατον, mors scilicet temporalis, mundi consummationi non immerito præponitur. De illis, quos dies extremus vivos deprehendet, quæstio moveri poterat, an scilicet eorum *immutatio*, quæ analogum quiddam mortis & resurrectionis obtinebit, mundi consummationem sit præcessura an vero secutura? Sed cum reliquorum hominum mors, cujus instar futura erit ista ἀλλαγή, 1. Cor. XV. 52. mundi consummationem antecessura sit, ideo verisimile est, illam vivorum immutationem itidem consummationi mundi fore præmittendam. Adde, quod resurrectio mortuorum antecessura videatur mundi consummationem, ut postea videbimus. Jam vero immutatio illa vivorum non solum mortis, sed etiam resurrectionis analogiam quamdam obtinebit, ergo & ipsa mundi consummationem videtur antecessura. Idem colligitur ex serie descriptionis apostolicæ 1. Cor. XV. 52. *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba & mortui resurgent* ἄφθαρτοι, *& nos* (in vivis superstites ad diem usque judicii relicti) *immutabimur*. Ergo ut mortui resurgent ante mundi consummationem, ita quoque ante eamdem vivi videntur immutandi. Qui mundi consummationem morti temporali in enumeratione novissimorum præponunt, eo respiciunt, quod mors temporalis sit novissimum μικροκόσμα, mundi autem consummatio novissimum μακροκόσμα, jam vero μακρόκοσμος est veluti totum quid, μικρόκοσμος totius illius quasi quædam pars; ex eo colligunt, de consummatione mundi priore, de morte hominis loco posteriore esse agendum. Sed potior respectus ad temporis seriem in enumeratione novissimorum habendus videtur.

II.) *Resurrectio mortuorum.*

§. IX. II.) *Resurrectionem mortuorum* prius futuram quam extremum judicium in propatulo est, cum finis resurrectionis hic sit, ut omnes homines ex morte resuscitati reportent suorum vel benefactorum præmia, vel malefactorum supplicia. Idem colligitur ex judicii illius descriptione: Matth. XXV. 31. *Cum venerit filius hominis in majestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem*

ſedem majeſtatis ſuæ. v. 32. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem.* Atqui illam omnium populorum ac gentium congregationem præcedet univerſalis omnium hominum reſuſcitatio. Joh. V. 28. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filii hominis.* v. 29. *Et procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii.* ἀνάςασις τῆς κρίσεως eſt ἀνάςασις εἰς κρίσιν, vel πρὸς κρίσιν, utique ergo reſurrectio judicium præcedet. Confer Dan. XII. 2. *Multi e dormientibus in terra pulveris expergiſcentur, illi quidem ad vitas ſeculi, hi vero ad opprobria, ad contemtum ſempiternum.* Jam vero opprobrium illud ſempiternum in actu extremi judicii demum ipſis decernetur. 2. Cor. V. 10 *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut reportet unuſquiſque* τὰ διὰ τῦ σώματος πρὸς ἃ ἔπραξεν, utique ergo animæ prius unientur ſuis corporibus, antequam judicium exercebitur. 4. Eſdr. VII. 32. *Terra reddet, quæ in ea dormiunt, & pulvis, qui in eo ſilentio habitant, & promtuaria reddent, quæ eis commendatæ ſunt animæ.* v. 33. *Et revelabitur altiſſimus ſuper ſedem judicii.* Sed in re manifeſta pluribus non eſt opus. Illud vero in quæſtione eſt, an reſurrectio mortuorum anteceſſura ſit mundi συντελείαν, an vero vice verſa mundi conſummatio prægreſſura ſit mortuorum reſurrectionem? Poſterius veriſimile reddi poſſet ex eo, quod ἀνάλυσις καὶ ἀποκατάςασις totius præceſſura videatur ἀποκατάςασιν partis, videlicet hominis, quodque Job. XIV. 12. dicitur: *Non reſurget homo, donec non erunt cæli, non expergiſcentur, & non ſuſcitabuntur a ſomno ſuo*; ſed prius rectius forte adfirmatur. 1.) Quia extremum judicium videtur prius inſtituendum, quam mundus ſit conflagratus, ut paulo poſt videbimus. Jam vero reſurrectio mortuorum præcedet judicium, ut jam ante demonſtratum fuit. Ergo eadem etiam præcedet mundi conflagrationem ac totius univerſi conſummationem. 2.) Quia mortui dicuntur reſuſcitandi *ex pulvere terræ*, Job. XIX. 25. Dan. XII. 2. *ex monumentis*; Joh. V. 29. terminus igitur *a quo* reſuſcitandorum corporum eſt pulvis ac cinis, in quem poſt mortem ſunt redacta, utique ergo in reſuſcitatione mortuorum terra adhuc ſiabit. 3.) Quia notanter dicitur Apoc. XX. 13. quod *mare dederit mortuos, qui in eo erant*, utique ergo mare adhuc ſupererit, quando ſuffocati in mari vel in mare projecti ad vitam a judice revocabuntur. 4.) Quia locum Job. XIX. 25. quidam ſic vertunt, *poſt excitari meum*, id eſt, me ex mortuis excitato, *exſcindentur hæc*, quæ in mundo ſunt viſibilia, quam verſionem admittunt verba hebræa. Ergo reſurrectionem ſequetur demum mundi conſummatio.

§. X. III.) *Judicium extremum* præceſſurum eſſe impiorum damnationem & piorum glorificationem extra controverſiæ aleam poſitum eſt, quia in ipſo judicii actu ac proceſſu dicet judex electis ad dextram conſtitutis: *Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum paratum vobis a conſtitutione mundi*, Matth. XXV. 34. ac impiis ad ſiniſtram collocatis: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum*, v. 41. *& ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti vero in vitam æternam.* v. 46. Sed de eo quæſtio movetur, an judicium extremum antegreſſurum ſit mundi conflagrationem, an vero mundi conflagratio anteceſſura ſit extremum judicium. Poſterius adfirmat Thomas in ſupplem. part. III. q. 74. art. 7. ubi ſic concludit: *Cum mortuorum reſurrectio judicium praeteſſura ſit, conflagratio ignis, quantum ad mundi purgationem ſpectat. Dei judicium praecedat oportet; quantum vero adtinet ad illius ignis actum, quo malos involvit, judicium ignis conflagrationem anteibit.* Thomæ veſtigiis inſiſtunt Jeſuitæ. Gregorius de Valentia tom. IV. pag. 2276. *Plerique theologi ſentiunt, conflagrationem anteceſſuram ipſum judicium, id quod ſatis aperte colligi videtur ex illis ſcripturae locis: Ignis in conſpectu ejus exardeſcet*, Pſalm. XLIX. & *ante ipſum ignis praecedet*, Pſal. XCVI. & *ante faciem ejus vo-*

III.) *Judicium extremum.*

rax ignis Joël. II. Josephus a Costa lib. IV. de novis. temp. cap. 22. hac de re sic disserit: *Vt meam commentationem ipse subjiciam, sic de iis cogitare soleo, ut omnium illorum terribilium signorum, quae praedicuntur proxima futuro judicio, ultimum ignis sit, qui faciem judicis jam descendentis praeeat. Igne hoc ubique grassante sceleratos arsuros puto secundum* Apoc. XX. *probos & justos purgandos quidem, si quid labis insederit, ut infinuat apostolus* 1. Cor. III. *sed non necandos.* Sebast. Barradius tom. III. conc. evang. lib. IX. cap. 11. pag. 590. *Ignem praecessurum esse judicium, probatur ex verbis ecclesiae in officio defunctorum, cum veneris judicare seculum per ignem. Idem indicant verba* Esa. LXVI. Psalm. XLIX. Psal. XCVI. *actiones ejus ignis erunt, terrae combustio, justorum purgatio, & mundi expurgatio.* Atqui 1.) de purgandis materiali quodam igne piis & electis altum in scripturis silentium. 2.) Opinio illa fomentum praebet purgatorio, contra quod inferius disputabitur, vel potius ex purgatorii fictitii cineribus originem coepit. 3.) Eadem opinio orta est ex hypothesi de ἀλλοιώσει mundi secundum qualitates tantum, quam ad minimum dubiam & incertam esse inferius patebit. 4.) Eumdem omnino ignem futurum, quo conflagrabit mundus, & quo damnati in inferno torquebuntur, quod Thomas praesupponit, ecquis certos nos reddet? 5.) Si ignis ille ante judicium inflammandus, ac toto judicii tempore duraturus, impii non ut rei ex vinculis, sed ut jam damnati ex flammis causam suam agerent, quin & poena infligeretur, antequam sententia fuisset pronunciata. 6.) Quae de igne *faciem judicis praecessuro* ex Psal. L. 3. XCVII. 3. Joel. II. 3. adferuntur, ea quidam malunt in sensu figurato de ira & furore, vel tremenda potentia & ultione judicis, quam in sensu proprio de igne materiali exponere, quia Esa. LXVI. 16 *ignis & gladius* conjunguntur. Jam vero *gladii* nomen non potest aliter quam metaphorice eo in loco accipi. Ergo etiam *ignis* nomen metaphorice accipiendum. 7.) Quod si vel maxime de igne illo, quo totum hoc universum conflagrabit, dicta illa accipiamus, illud tantum ex eis colligi poterit, quod cum judicio divino proxime conjuncta sit futura illa mundi conflagratio; nequaquam vero, quod eadem sit illud antecessura. Ignis enim ille dicitur ire לִפְנֵי *coram eo*, vel *in conspectu ejus*, a facie ejus; quando autem id futurum sit, num ante judicium, an vero post judicium, illud diserte non exprimitur. Esa. LXVI. 15. *Dominus veniet* בָּאֵשׁ *in igne* vel cum igne. 2. Thess. I. 8. *Revelabitur Dominus Jesus e coelo*, ἐν πυρὶ φλογὸς *in flamma ignis.* 8.) Quid quod Joel. II. 3. sic legitur: *A conspectu ejus comedit ignis*, וְאַחֲרָיו *& post eum exuret flamma.* Ex quo loco prophetico colligimus, initium conflagrationis mundi per ignem coeptum iri ante judicium, sed complementum post judicium demum secuturum.

§. XI. Probabilius igitur existimamus, judicium extremum antecessurum esse totalem mundi conflagrationem: 1.) Quia judex venturus dicitur ἐπὶ τῶν νεφελῶν, *in nubibus coeli*, Matth. XXIV. 30. XXVI. 64. Apoc. XIV. 14. ἐν νεφέλῃ ac νεφέλαις, Marc. XIII. 26. Lucae XXI. 27. μετὰ τῶν νεφελῶν, Marc. XIV. 62. Apoc. I. 7. jam vero nubes pertinent ad universi hujus constitutionem, utique ergo in extremi judicii executione adhuc supererunt nubes, nisi velimus dicere, nubem illam non fore naturalem, sed singularem extraordinario Christi miraculo formatam. 2.) Quia post latam judicis sententiam pii *in occursum Domini per aera* prius *transferentur* & evehentur, 1. Thess. IV. 17. antequam conflagret mundus, ut paulo post probabiliter disseremus; utique ergo etiam ante extremum judicium non conflagrabit hoc universum. Abulensis in Matth. q. 521. disputat, quod *terra immenso hiatu post promulgatam in damnatos sententiam sit os suum aperturа, ut vivos illos deglutiat*, utique ergo in judicio terra adhuc supererit. 3.) Quia 1. Thess. IV. 16. Dominus ad judicium dicitur *venturus* ἐν κελεύσματι, quod proprie significat adclamationes illas, quibus nautae seu milites sese mutuo exhortantur ad rem fortiter gerendam.

gerendam, ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου, per quem quidam intelligunt aliquem ex creatis angelis, quidam ipsum Christum, cujus vocem mortui in sepulchro dicuntur audituri, & ad vitam proditurі, Joh. V. 28. καὶ ἐν σάλπιγγι Θεοῦ, per quam quidam intelligunt *tonitrua*, Exod. XIX. 16. Joh. XII. 19. quidam vero proprie de clangore buccinæ accipiunt, sicut exponitur Matth. XXIV. 31. *mittet filius hominis angelos suos cum tuba vocis magnae*, vel cum tubæ voce magna, utroque enim modo reddi potest. 1. Cor. XV. 52. ἐν ἐσχάτῃ σάλπιγγι, σαλπίσει γὰρ. Jam vero illud κέλευσμα ac sonus *tubae* aerem adhuc superfuturum requirit, nisi itidem dicere velimus, non naturali sed plane præternaturali modo hæc omnia peragenda esse, qua de re suo loco. 4.) Quia angeli dicuntur *congregaturi electos a quatuor ventis seu plagis mundi, a summis cœlorum usque ad terminos eorum;* Matth. XXIV. 31. Marc. XIII. 27 ergo quando angeli electos congregabunt, & tribunali Christi sistent, supererunt adhuc quatuor mundi plagæ. 5.) Quia apostolus 1. Thess. IV. 15. testatur Dominum in reditu suo ad judicium multos inventurum vivos. *Nos vivi*, inquit per figuram κοινοποιίας, *qui reliqui erimus in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui obdormierunt*, v. 17. *nos vivi, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino &c.* Atqui si totius universi conflagratio præcessura esset extremum judicium, Christus in suo ad judicium adventu nullos inveniret vivos, quia in illa conflagratione homines vivi immutarentur. 6.) Quia segregatio impiorum dicitur instituenda *in consummatione seculi*, Matth. XIII. 39. & 49. ac sententiæ judiciariæ exsecutio dicitur futura *in die novissimo*; 1. Tim. IV. 8. at post transitum mundi nullum amplius tempus, & in exsecutione cessabit finis mundi propter homines creati. 7.) Eadem est sententia Augustini lib. XX. de civ. Dei cap. 14. *Peracto judicio tunc esse definet hoc cœlum & haec terra, quando incipiet esse cœlum novum & terra nova.* Et lib. ejusdem cap. 16. non longe a principio: *Judicatis his, qui scripti non sunt in libro vitae, & in aeternum ignem missis, tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione praeteribit, sicut factum est mundanorum aquarum inundatione diluvii.* Cap. 18. *Post factum judicium mundus ardebit.* Cap. 30. *Post Christi judicium mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremtionem existimo secuturam mundi conflagrationem.*

§. XII. Si quis urgeat, Apoc. XX. 11. & seqq. mundi φυγὴν fugam ac transitum ante extremi judicii actum describi: *Vidi*, inquit Johannes, *thronum magnum candidum, & sedentem super eum, a cujus conspectu fugit cœlum & terra, & locus non est inventus eis. Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu Dei, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitae, & judicati sunt mortui ex his, quae scripta sunt in libris secundum opera eorum &c.* illi resp. 1.) In apocalypticis illis visionibus quandoque πρωθύστερον occurrere. Sic Apoc. VI. 14. *cœlum* dicitur *recessisse sicut liber involutus, & omnis mons & insulae* dicuntur *de locis suis motae*, v. 15. Ratio subjungitur, *reges terrae & principes &c. absconderunt se in speluncis ac petris montium.* 2.) Judicem jamdum super thronum δικαϊκὸν sedere visum esse, cum cœlum ac terra fugeret a conspectu ejus, utique ergo judicii actus jamdum cœperat. 3.) Mortui magni & pusilli adparent *stantes coram Deo*; utique ergo non in aëre libero sese librantes, sed in terra stantes coram judicio adparebunt, id vero de nova terra accipi nequit, quippe quæ omnium consensu demum post judicium ac latam de utroque hominum genere sententiam una cum cœlo novo immediate a Deo creabitur. 4.) Post judicii actum v. 13. *mare* dicitur *dedisse mortuos suos, qui in eo erant, ac mors & infernus dicuntur dedisse mortuos suos, qui in ipsis erant*, ubi describuntur tres classes mortuorum. Prima est eorum, qui in mari suffocati vel post mortem in illud præcipitati; altera eorum, qui extra mare mortui ac sepulcris illati; tertia eorum, qui vivi in

infernum descenderunt, quamvis & alii aliter adcommodent, ut suo loco videbimus. 5.) Augustinus lib. XX. de civ. Dei c. 14. hoc observat: *Non ait, vidi thronum magnum & candidum, & sedentem super eum, & ab ejus facie fugit cœlum & terra, & locus eorum non est inventus, quoniam nondum factum est, id est, antequam esset de vivis & mortuis judicatum, sed eum se vidisse dixit in throno sedentem, a cujus facie fugit cœlum & terra, sed postea &c.* Item: *Vt ostendat, qui mortui sunt judicandi recapitulando dicit tanquam ad id rediens, quod præterierat, potiusve distulerat. Et exhibuit mare mortuos. Hoc procul dubio prius factum est, quam mortui essent judicati, & tamen illud prius dictum est. Hoc ergo est, quod dixi recapitulando eum ad id rediisse, quod intermiserat.* Quidquid sit, illud ex hoc loco apocalyptico constat, mare & terram adhuc exstitisse, cum judicium institueretur, additur enim, & judicatum est de singulis mortuis ex mari, sepulcris & inferno revocatis secundum opera ipsorum.

IV.) *Mundi conflagratio.*

§. XIII. IV.) *Mundi conflagrationem* postponendam esse impiorum damnationi, & piorum glorificationi probabiliter aliquis colligere poterat ex his conjecturis: 1.) Apostolus post resurrectionem & latam judicii sententiam pios *in nubibus in occursum Domini in aëre rapiendos esse* adserit; 1. Thess. IV. 17. ergo, quando pii in cœlum ad possessionem æternæ gloriæ evehentur, supererunt adhuc nubes & aër. 2.) Exsecutio promulgatæ sententiæ pertinet ad processum & actum extremi judicii. Quod si ergo extremum judicium mundi conflagrationem præcedit, utique etiam sententiæ exsecutio, quæ in evectione piorum in cœlum, ac detrusione impiorum in infernum consistit, eidem videtur præmittenda. 3.) *Exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat*, Rom. VIII. 19. ac *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*; v. 22. ergo verisimile est, hoc desiderium creaturæ in glorificatione prius implendum, antequam ipsa a servitute corruptionis liberetur. 4.) Verisimile est, tunc demum destructum iri habitaculum, quando antiquus ejusdem hospes, homo scilicet ex eo in novas sedes translatus fuit. Gerson in summa de gaudiis paradis. f. 433. *Post prædicta fiet innovatio, quæ non complebitur, quamdiu peccator erit in mundo, nisi quousque detrudatur in infernum.* Conf. Philippus Nicolai lib. V. de vit. ætern. c. 9. Sed verisimilius videtur conflagrationem mundi prius futuram quam impii in infernum detrudantur, ac pii in cœlum evehantur. 1.) Apoc. XX. 14. *infernus & mors* dicuntur *prius missi in stagnum ignis*, antequam damnandi non inventi in libro vitæ scripti in illud mittantur. 2.) Erit pars supplicii impiis parati, quod conflagrationem mundi, cui præpostero amore adhæserunt, intueri cogentur: ac vicissim electis erit materia gaudii, quod judicium Dei adversus mundum, in quo tot mala perpessi sunt, intuebuntur. 3.) Pii veteres statuunt, quod in igne illo, quo mundus conflagraturus est, claritas lucis divina virtute separanda sit a vi urendi, atque illam cessuram piis ad gloriam, hanc vero impiis ad justam pœnam. 4.) Sicut mundus in primo hexaëmero ante hominis opificium conditus: ita verisimile est, eumdem ante hominis glorificationem esse destruendum. Posset autem pro conciliatione harum sententiarum distingui inter piorum glorificationem *inchoatam* & *consummatam*. Illa præcedet mundi conflagrationem, hæc vero subsequetur, quando enim pii in nubibus in occursum Domini in aëra rapientur, eo ipso momento mundus & omnia, quæ sunt in eo, conflagrabit, ut sic pii ab omnibus ignis flammis liberi recta in cœlum subvolent, mundo interim conflagrante & impiis in infernum præcipitatis.

§. XIV. V.) *Impiorum damnationem* glorificationi piorum præmittimus. 1.) Quia Matth. XXV. 34. processus judicii sic describitur, ut sententia absolutoria primo quidem denuncietur piis, condemnatoria impiis, sed exsecutio sententiæ incipiat

V.) *Infernus.*

piat a damnatione impiorum, & terminetur in glorificatione piorum, v. 46. *ibunt hi*, impii scilicet, *in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Matth. XIII. 30. *Colligite πρῶτον zizania, triticum autem congregate.* v. 41. *Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem.* v. 42. *Et mittent eos in caminum ignis.* v. 43. *Tunc*, τότε, *justi fulgebunt sicut sol.* 2.) Apoc. XX. 15. *Qui non inventi sunt in libro vitæ scripti, missi sunt in stagnum ignis*; & tunc demum Apoc. XXI. 1. vidit Johannes *cælum novum ac terram novam.* 3.) Ad augmentum gaudii & felicitatis electorum faciet, quod impios in supplicium abire coram intuentur, quia ex comparatione suæ felicitatis cum aliorum condemnatione magis Dei gratiam erga se agnoscunt & prædicant. Neque adversatur illud Bernhardi serm. VIII. in Psal. Qui habitat: *Prius benedicti vocabuntur in regnum, quam maledicti deficiantur in caminum ignis æterni, quo videlicet acrius doleant, videntes, quid amiserint.* Hoc enim accipiendum de sententiæ judiciariæ promulgatione, non autem de ejusdem exsecutione, ut constat ex Matth. XXV. 41. & 46. 4.) Glossa interlinearis Matth. XXV. addit hanc rationem: *Tollitur impius, ne videat gloriam Dei.* 5.) Augustinus lib. XXI. de civ. Dei c. 1. causam ordinis exponens, cur de supplicio damnatorum, quam de gloria beatorum prius agere voluerit, sic scribit: *Incredibilius videtur esse in æternis corpora durare cruciatibus, quam sine dolore ullo in æterna beatitudine permanere. Ac per hoc cum illam pœnam non debere esse incredibilem demonstravero, adjuvabit me plurimum, ut multo facilius omni carens molestia immortalitas corporum in sanctis futura credatur.* Atque hæc omnia, quæ de ordine novissimorum dicta sunt, non ἀποδεικτικῶς sed ζοχαστικῶς, non tanquam absolute ac præcise certa, sed ut verisimiliter adserta accipi cupimus. Valde enim probatur nobis illud Augustini lib. XX. de civit. Dei cap. 30. circa finem: *In illo judicio vel circa illud judicium has res didicimus esse futuras &c. Christum venturum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremtionem, mundi conflagrationem, ejusdemque renovationem, quæ omnia quidem ventura esse credendum est. Sed quibus modis & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet consequi ad perfectum hominum intelligentia.* Restat, ut in specie de singulis sex novissimis, utpote 1.) de *morte*, 2.) de *mortuorum resurrectione*, 3.) de *resuscitatorum judicio*, 4.) de *mundi destructione*, 5.) de *inferno*, & 6.) de *vita æterna* paulo uberius agamus.

CAPVT I.

DE MORTE,

ac speciatim

EJVS ONOMATOLOGIA.

1.) Etymologia nominis 1.) Latini.

§. XV. *Mortis nomen* unde ductum sit, non una est omnium sententia. 1.) Augustinus lib. I. hypognost. cont. Pelag. circa medium *a morsu* illud deducit. *Opinor*, inquit, *quod ideo mors hoc vocabulum accepit, eo quod morsu quodammodo venenosi serpentis, id est, diaboli in paradiso Adam fuerit interemtus. Tunc enim serpens morsu decepit Adam, quando per concupiscentiam mordere, hoc est, edere suasit illicita, & propterea mors quasi a morsu nomen accepit, unde & Dominus in Osea propheta morti minitans dicit: Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne.* In ve-

tustis quibusdam versiculis alia adpellationis ratio exprimitur:

Jure vocata fuit mors, quod quasi morsus amarus
Omnibus est, a quo nemo cavere potest.

2.) Quidam deducunt *a mora*, quia omnes homines moratur & exspectat, vel quia nullius moratur conditionem. 3.) Quidam mortem ab *emerita* jam vita & absoluta nominatam volunt, ac mortuos dictos quasi emeritos. 4.) Sunt qui græcam derivationem quærunt, vel 2.) *Graeci.* ἀπὸ τῦ μείρειν *a dividendo*, quia mors est animæ a corpore separatio, vel a μόρος, quod *sortem*, partem ac mortem significat. Sic Homerus θανατόντε μορόντε, tanquam synonyma conjungit, quamvis posterior vox magis sit poëtica. Scaliger exerc. CCCLII. Mors dicitur a *fato*, græca vox μόρος, μοῖρα. Θάνατος etymologice dictum putat quasi τάνατος a τείνω, quod est τανύω, ut sit ὁ τείνων τὰ σώματα τῇ ψύξει, vel quia est ὁ τανὰὸς, ut pote πάντας ἑαυτὸν διατείνων. Sed has ac similes etymologias non immerito deridet Henricus Stephanus in th. græcæ linguæ in verbo θνήσκω. *Equis non videt*, inquit, *rem ineptissimam esse, etymum investigare nominis a verbo derivati & quidem nominis, quod aliquam etiam verbalis formam retinet? quis non videt hic posse dici, quod in proverbio est,* ἦ βᾶς τὴν ἄμαξαν. Tales adlusivas etymologias complures adfert Stobæus ex Themistio serm. CXIX. γένεσιν generationem dictam volunt quasi νεῦσιν ἐπὶ γῆν inclinationem & nutationem in terram; γενέθλιον diem natalitium, ὡς ἀρχὴν γενομένην ἄθλων, principium certaminum & laborum, δέμας, corpus, quasi δέσμος, quod anima hoc in loco præter naturam δεδεμένη sive ligata detineatur, σῶμα quasi σῆμα; βίον vitam παρὰ τὴν βίαν a violentia, quod anima invita & coacta in hoc carcere delitescat. Contra θάνατον dici arbitrantur quasi ἄνω εἰς θεὸν φερόμενον sursum ad Deum & sedem divinam nos reducentem, θάνειν quasi ἀνα θεεῖν, quod est redire, domum reverti, τελευτὴν quasi τελετὴν initiationem, & τελευτᾶν quasi τελετᾶν & τελεῖσθαι initiare, quia per mortem pii consecrantur & initiantur vitæ æternæ. Græci mortem vocant τελευτὴν μετωνυμικῶς, quod, ut Demosthenes ait, sit πέρας τῦ βίυ ἐκάςω. Hebræum מָוֶת (cum ה paragogico 3.) *Hebraei.* מָוְתָה, & cum מ hæmanthico מָמוֹת) est ex radice מוּת *mortuus est*, hanc radicem, si per metathesin legamus, fiet תּוֹם *perfectus fuit*, quia mors piorum est veræ perfectionis & perfectæ sanctitatis exordium.

§ XVI. Est autem hoc nomen ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων, unde variis modis distinguitur. 1.) *In genere* accipitur vel *theologice ac naturaliter* pro separatione animæ a corpore, vel *politice ac civiliter* pro capitis diminutione. Hoc fere sensu quidam accipiunt locum Psalm. LXXXVIII. 6. *factus sum inter mortuos absconditus*, id est, a communi hominum consortio exclusus ac civiliter quasi mortuus. Qui enim de gradu honoris ac libertatis deciderunt, pro civiliter mortuis habentur. 2.) Apud Augustinum & alios scriptores ecclesiasticos distinguitur in mortem *animæ* & *corporis*. Quia enim duplex est hominis vita, naturæ ac gratiæ, sive corporis & animæ, ideo etiam duplicem mortem statuunt, corporis, quæ bonis & malis communis est; & animæ, quæ impiis ac peccatoribus est peculiaris. Augustinus lib. XIII. de civ. Dei cap. 2. in principio: *Mors animæ fit, cum eam deserit Deus, sicut corporis, cum id deserit anima. Ergo utriusque rei, id est, totius hominis mors est, cum anima a Deo derelicta deserit corpus, ita enim nec ex Deo vivit ipsa, nec corpus ex ipsa.* Et postea: *Vivit anima ex Deo, cum vivit bene, non enim potest bene vivere, nisi Deo operante in se, quod bonum est. Vivit autem corpus ex anima, cum anima vivit in corpore, seu vivat ipsa, seu non vivat ex Deo. Impiorum namque in corporibus vita non animarum, sed corporum vita est, quam possunt eis animæ etiam mortuæ, id est, a Deo desertæ, quantulacunque propria vita,* II.) ὁμωνυμία.

vita, ex qua etiam immortales sunt, non desistente conferre. De prima corporis morte dici potest, quod bonis bona sit, malis mala. Secunda vero fine dubia sicut nullorum bonorum est, ita nulli bona. Lib. XIV. de Trinit. cap. 3. *Et anima & corpore mortui sumus, anima propter peccatum, corpore propter pœnam peccati. Vna ergo mors nostri Salvatoris duabus mortibus nostris saluti fuit.* Lib. ejusdem cap. 4. in principio: *Habet & anima mortem suam, cum vita beata caret, quæ vera animæ vita dicenda est, sed immortalis ideo nuncupatur, quia qualicunque vita, etiamsi miserrima est, nunquam definit vivere.* In enarr. Psal. XLVIII. *Mors, quam timent homines, est separatio animæ a corpore. Mors autem vera, quam non timent homines, est separatio animæ a Deo, & plerumque cum timent homines istam, quæ separat animam a corpore, incidunt in illam, quæ animam a Deo separat. Vita enim animæ Deus est, mors animæ peccatum.* Fulgentius lib. I. ad Monim. cap. 27. *Prima mors animæ, quam sibi homo intulit, secunda mortis est causa, & secunda mors, quam Deus homini reddidit, primæ mortis est pœna. In prima discedente anima caro sola moritur, in secunda, quando rediens in carnem anima in eadem cum eadem, quæ peccavit, carne torquetur, ut cum qua communicavit mortem peccati, cum ipsa communicet mortem supplicii.* 3.) Ambrosius lib. V. in Luc. tres mortis species enumerat. *Mors*, inquit, *triplex est.* Naturæ, *de qua dicitur, quærent homines mortem, & non invenient. Hæc mors non est metuenda fortibus, desideranda sapientibus, miseris expetenda.* Culpæ, *de qua dicitur, anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Gratiæ, *quæ secularium aufert interitum voluptatum, in qua non natura, sed delicta moriuntur; hanc mortem subimus consepulti cum Christo in baptismo.* Quidam tres mortis species paulo aliter explicant. *Triplex*, (inquiunt) *mors in scripturis proponitur:* 1.) *Mors corporis, quæ consistit in separatione animæ,* 2.) *mors animæ, quæ consistit in amissione gratiæ,* 3.) *mors totius hominis, quæ consistit in privatione vitæ æternæ & cruciatibus infernalibus corporis & animæ.* Illa est mors corporalis vel *naturæ*, ista mors spiritualis vel *gratiæ*, hæc mors novissima vel *gloriæ.* 4.) Communiter quatuor species mortis numerantur. Est enim primo mors *carnis*, quæ separat animam a corpore, ea est *irremediabilis*, ut loquuntur, ac *meditanda.* Secundo *culpæ*, quæ separat animam a Deo, ea est *ineffabilis ac fugienda.* Tertio *spiritus*, quæ separat animam a terrenis, ea est *sanabilis & amplectenda.* Quarto *gehennæ*, quæ separat corpus & animam a cœlestibus, ea est *interminabilis ac pertimescenda.* Juxta hanc divisionem intelligendum illud ἀπογματῶδες: *Qui moritur*, scilicet vitiis per mortem spiritus, *antequam moritur*, scilicet carne vel corpore, is *non moritur*, scilicet morte æterna sive gehennæ, *quando moritur*, scilicet morte corporis. Augustinus in lib. 65. quæst. q. 32. *Quatuor esse mortes scriptura sancta evidenter ostendit. Prima mors est animae, quae suum deserit creatorem, quae enim deserit, peccat. Sine*, inquit Dominus, *mortuos sepelire mortuos suos. Ecce habes mortuos secundum animam scilicet sepelientes mortuos. Et quos sepeliunt? scilicet secundum carnem mortuos. Haec itaque sententia duas mortes manifestissime docet, unam animae, quam peccando incurrit, alteram corporis. Tertia autem est solius animae, quam, dum ex hoc corpore exierit, patitur. Quarta est mors, cum anima recipiet corpus, ut in ignem mittatur aeternum.* Vide etiam lib. XIII. de civ. Dei cap. 12. 5.) Sedulius in Rom. VI. *quinque species* mortis recenset. *Prima*, ait, *mors est separatio animae a corpore; secunda separatio animae a Deo, quae per peccatum evenit; tertia est secundum illud, quod auctor mortis diabolus, mors adpellatur. Quarta mors inferni lacus, qua praevaricatrices animae detinentur. Dicitur etiam & illa mors laudabilis, qua peccator quisque moritur poenitens, & Christo consepelitur.* 6.) Plenior ac perfectior est haec distinctio: *Mortis* nomen in sacris literis & scriptoribus ecclesiasticis accipitur vel *proprie*, vel *figurate*. Proprie pro *morte naturali*, quæ

est

est separatio animæ a corpore. (Vocatur mors naturalis respectu habito non ad naturam *institutam* sed *desitutam*.) In hac significatione hoc loco accipitur, quando inter novissima hominis mors numeratur. Figurate usurpatur vel μεταφορικῶς vel μετωνυμικῶς. *Metaphorice* pro morte *temporali* vel *aeterna*. Mors temporalis metaphorice sic dicta iterum duplex est, vel *corporalis*, vel *spiritualis*. Mors corporalis metaphorice sic adpellata complectitur omnis generis calamitates propter peccatum in hac vita homini tolerandas, quæ sunt mortis caduceatores ac nuncii. Exod. X. 17. *Rogate Dominum, ut auferat a me* הַמָּוֶת *mortem istam*, id est, locustarum perniciem. Rom. VIII. 10. *corpus est mortuum*, id est, calamitatibus, morbis & ipsi tandem morti temporali obnoxium propter *peccatum*, quod in eo adhuc habitat. 1. Cor. XV. 31. καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω, versor in quotidiano ac perpetuo mortis periculo. 2. Cor. I. 10. *Deus eripuit nos ex tanta morte.* IV. 11. *Semper nos, qui vivimus, in mortem tradimur.* v. 12. *Mors in nobis operatur &c.* XI. 23. *in mortibus* sese sæpius fuisse scribit. Vt enim canit Statius poëta lib. IX. Theb.

Mille modis miseros lethi mors una fatigat.

Hoc sensu etiam quidam accipiunt phrasin Esa. XLI. 14. *mortui Israël*, id est, qui tantis adflictionibus oppressi estis, ut mortui potius quam vivi adpareatis. Sed in Hebræo est מְתֵי *pauci, exigui.* Mors *spiritualis* duplex est, *fidelium* & *infidelium*, illa est laudabilis ac fructuosa, hæc detestabilis ac pernicioſa. Mors spiritualis fidelium est, qua salutariter dicuntur mori 1.) *peccato*, quod tum per *regenerationem*, quatenus peccatum fide in Christum ipsis remissum, non amplius coram Dei judicio eos accusat; tum per *renovationem*, quatenus peccatum in carne sua mortificant, vigorem, vim, impetum ac vitam ejus per spiritum reprimunt, ne in ipsis dominetur & vigeat. Rom. VI. 2. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* v. 6. *Vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* v. 11. *Existimate vos quidem mortuos esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.* v. 12. *Non ergo regnet peccatum in mortali corpore vestro, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Col. III. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* 1. Petr. II. 24. *Vt peccatis mortui justitiæ vivamus.* 2.) *Legi*, tum per *justificationem*, quatenus per fidem in Christum ab accusatione & damnatione legis sunt liberati, tum per *sanctificationem*, quatenus a legis imperio & coactione liberi spontaneam obedientiam ex Spiritu præstant, ac quatenus lex concupiscentiam pravam in carne ipsorum adhuc hærentem non amplius irritat, qui est accidentarius legis in non renatis effectus. Rom. VII. 1. *Lex homini dominatur quanto tempore vivit.* v. 2. *Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro adligata est legi, si autem mortuus fuerit vir, liberata est a lege viri.* v. 4. *Itaque & vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo &c.* Galat. II. 19. *Ego per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam, cum Christo simul crucifixus sum.* 3.) *Ceremoniis legalibus vet. test.* a quibus per Christi mortem liberati sunt, ut in novitate Spiritus non juxta externas illas observationes, sed juxta interiorem hominem Deo serviant. Col. II. 20. *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi*, id est, si per virtutem mortis Christi liberati estis a ceremoniis legalibus, per quas Deus priorem mundum, id est, populum vet. test. informare voluit, sicut per literarum elementa ac rudimenta pueri informantur. Rom. VII. 4. & 6. Gal. II. 19. *quid adhuc tanquam viventes in mundo decretis ac constitutionibus hominum vos duci permittitis?* quasi adhuc ceremoniis legis subjecti essetis, quæ in mundanis & externis rebus consistunt, cum tamen sitis in Christi regno, quod est spirituale & internum? 4.) *Mundo*, quatenus spiritualiter cum Christo mortui ac crucifixi non amplius agunt vitam mundanam, non conformant se huic mundo, non indulgent ejus voluptatibus ac desideriis. Gal. VI. 14. *Per Christum mundus mihi*

mihi crucifixus est (& sic etiam mortuus) *& ego mundo*, id est, quidquid est in mundo Christi regno adversum, *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ*, 1. Joh. II. 16. itemque mundi vanitates & voluptates non amplius in me obtinent dominium, nec ego illa desidero, sed plane sum illi mortuus. Rom. VI. 6. *Vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* v. 7. *Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato.* Bernhardus, tom. I. serm. VI. de peregrino mortuo & crucifixo p. 153. *Non solum*, inquit, *mortuus mundo, sed & crucifixus, quod est ignominiosum genus mortis. Ego illi & pariter ipse mihi. Omnia, quæ mundus amat, crux mihi sunt, delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes. Quæ vero mundus crucem reputat, illis adfixus sum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu.* Mors *spiritualis infidelium* est, qua in peccatis mortui & a vera illa animæ vita, quæ in Deo est, separati dicuntur. Matth. VIII. 22 Luc. IX. 60. *Sine, ut mortui sepeliant suos mortuos.* Luc. XV. 24. *Filius meus mortuus erat.* Joh. V. 25. *Mortui audient vocem filii hominis.* 1. Tim. V. 6. *Vidua, quæ in deliciis vivit, vivens mortua est.* Eph. II. 5. & 7. Col. II. 13. *Cum essetis mortui in delictis.* Quemadmodum enim anima a corpore separata corpus redditur sensus & motus expers, nec ullas actiones vitales edit: sic homo ψυχικὸς, qui non est particeps spiritualis vitæ, quæ ex gratiosa Dei inhabitatione dependet, destituitur sensu spirituali, nec potest facere opera spiritualiter bona ac Deo grata. Quemadmodum mortui non audiunt, nec vident, nec loquuntur: sic spiritualiter in peccatis mortui non audiunt vocem Dei, non vident opera Dei, non prædicant magnalia Dei. Quemadmodum corpus exanime computrescit, ac fœtorem hominibus intolerabilem exhibet: sic homines in peccatis mortui Deo sunt abominabiles ac intolerabiles. *Mors æterna damnatorum* est finalis & plenaria divini consortii amissio, & ex ea consequens horribilis animæ & corporis cruciatus, ac nunquam finienda miseria in inferno damnatis metuenda, quæ vocatur a Johanne *mors secunda*, Apoc. II. 11. & XX. 14 respectu tum *naturalis*, tum *spiritualis* mortis infidelium propriæ; de hac accipiunt Psal. XXXIV. 22. *mors peccatorum pessima*, sed in hebræo est, *occidet impium improbitas.* Joh. VI. 50. *Si quis ex hoc pane manducaverit, non morietur in æternum.* Joh. VIII. 51. *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Joh. XI. 26. *Qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.* Atque hæ sunt præcipuæ significationes vocabuli *mortis* de homine usurpatæ, de quibus in genere notandum, quod in uno eodemque dicto diversæ significationes hujus verbi quandoque locum obtinere possint. Sic quando primis parentibus Gen. II. 17. hæc comminatio proponitur: *Quacunque die de hac arbore comederis, morte morieris*, tum genuina mortis mentio non solum certitudinem comminationis, ut Gen. XLI. 32. sed etiam plures mortis species homini metuendas designat: intelligitur tum mors *proprie* accepta, tum *metaphorice*, & quidem tam temporalis quam æterna, tam corporalis quam spiritualis infidelium propria. Augustinus lib. XIII. de civit Dei cap. 12. *Quando dixit Deus homini illi primo, quem in paradiso constituerat, de cibo vetito:* quacunque die ederitis ex eo, morte moriemini; *non tantum primæ mortis partem priorem, ubi anima privatur Deo, nec tantum posteriorem, ubi corpus privatur anima, nec solum ipsam totam primam, ubi anima & a Deo & a corpore separata punitur, sed quidquid mortis est, usque ad novissimam, quæ secunda dicitur, & qua est nulla posterior, comminatio illa complexa est.* Lib. ejusdem cap. 15. *In ea morte etiam cæteræ denunciatæ sunt, quæ procul dubio erant secuturæ. Nam in eo, quod inobediens motus in carne ex motu animæ inobedientis exortus est, propter quem pudenda texerunt, sensa est mors una, in qua deseruit animam Deus. Ea significata est verbis ejus, quando timore deambulantis sese abscondenti homini dixit:* Adam, ubi es? *non utique ignorando quærens, sed increpando admonens, ut adtenderet, ubi esset, in quo*

non esset Deus. Cum vero jam corpus anima ipsa deseruit ætate corruptum & senectute confectum, venit in experimentum mors altera, de qua Deus peccatum adhuc puniens homini dixerat: terra es, & in terram ibis, *ut ex his duabus mors illa prima, quæ totius hominis est, compleretur, quam secunda in ultimo sequitur, nisi homo per gratiam Dei liberetur.* Lib. IV. de Trinit. cap. 3. *Et anima & corpore mortui sumus, anima propter peccatum, corpore propter pœnam peccati.* In libro LXV. quæst. q. 32. *Die, quo peccavit Adam, in anima mortuus est. Sicut enim corpus vivit ex anima, ita anima, ut beatius vivat, vivit ex Deo. Ergo deserta anima Adæ a Deo jure dicitur mortua prima morte, ex qua tres postea subsecutæ sunt mortes.* Confer. Ambrosius lib. de paradis. cap. 9. Neque vero de homine tantum *mortis* vox accipitur, quo referendæ sunt hactenus enumeratæ significationes omnes, sed etiam de brutis anima sensitiva præditis, Gen. VII. 22. XXXIII. 13. ac de vegetabilibus anima vegetativa præditis, Joh. XII. 24. 1. Cor. XV. 37. quin & de inanimatis non solum substantiis, sed etiam accidentibus sive qualitatibus metaphorice usurpatur. Sic *sapientia dicitur mori*, Job. XII. 12. quæ evanescit ac perit. *Peccatum* dicitur *mortuum* Rom. VII. 9. quod in carne quidem hæret, sed non satis agnoscitur, ac veluti exstinctum, & quasi non esset, reputatur, quodque non ita exserit vires irritando pravam concupiscentiam in carne latentem. *Fides mortua* dicitur, Jac. II. 17. quæ sese non exserit per operum effecta, quæ est ὁμωνύμως tantum dicta fides hypocritarum propria. Μετωνυμικῶς nomen *mortis* accipitur pro re mortifera, 2. Reg. IV. 40. *mors in olla*, id est, cibus venenatus mortem adlaturus. Est & in eo species μετωνυμίας, quando peccata dicuntur opera *mortua* Hebr. VI. 1. IX. 14. cum ratione causæ, quia proficiscuntur ab iis, qui hærent in morte spirituali, tum ratione effectus, quia adferunt mortem æternam. Μετωνυμικῶς ac μεταφορικῶς simul Christus dicitur *mors nostræ mortis, quia sua morte nostram mortem destruxit.* 2. Tim. I. 10. Sed hæ significationes non sunt hujus loci, ubi de morte hominis naturali duntaxat agitur.

III.) Συνωνυμία. *Adpellationes mortis* 1) *in sacris literis.*

§. XVII. Ad συνωνυμίαν pertinent periphrases, quibus mors, præsertim piorum, tum in *sacris literis*, tum in *scriptoribus ecclesiasticis*, tum in *profanis auctoribus* describitur. In sacris literis de morte hominum, præsertim piorum, suavissimæ loquendi formulæ occurrunt, in quibus salutares doctrinæ de multis utiliter admonentes, ac efficaces consolationes mortis terroribus opponendæ continentur. Usitatissima est sanctis Dei viris, prophetis & apostolis, tam in vet. quam in nov. test. *somni* (*) adpellatio, qua

(*) De *somni* adpellatione, qua homines in morte dicuntur obdormire, paucis notamus: I) eandem non sacris tantum, sed & profanis scriptoribus fuisse usitatam. Auctores, qui copiosius hoc ostenderunt, adlegavit Lampius in *commentario evangelii secundum Joannem. tom. II. p. 752. not.* (q) II) mortem *somnum* adpellari non tam respectu *animæ*; (ita enim ψυχοπαννυχια sive *dormitio* animarum post mortem exinde posset inferri, quem errorem infra §. *CCXCIII.* notavit Gerhardus.) quam potius respectu *corporis*, uti contextus locorum, supra a laudatiss. Gerhardo adlegatorum, abunde docet; III) in sanctioribus litteris *somnum* aliquando omnibus mortuis adscribi, veluti *Psalm. XC. 5. Dan. XII. 2. 1. Cor. XV. 20.* aliquando autem præcipue piis, verb. grat. *2. Sam. VII. 12. Matth. IX. 24. Jo. XI. 11. Act. XIII. 36. 1. Thess. IV. 13.* Atque his, quod IV) notamus, metaphora *somni* multo magis, quam aliis convenit, siquidem hi ad spem resurrectionis vitæque melioris per mortem vocantur. Chrysostomvs *homil. XXIX.* in *Genesin: Neque mors amplius mors est, sed nomen tantum mortis habet; immo vero etiam ipsum nomen sublatum est: neque enim amplius mortem adpellamus, sed dormitionem & somnum.* Prvdentivs Καθημερ. *hymno X.*

Quidnam sibi saxa cavata,
Quid pulcra volunt monumenta;
Nisi quod res creditur illis
Non mortua, sed data somno?
Hoc provida christicolarum
Pietas studet, utpote credens,
Fore protinus omnia viva,
Quæ nunc gelidus sopor urget.

Fuisse quoque ex ipsis gentilibus scriptoribus, qui *somni* metaphoram ad felicitatem post hanc vitam extenderunt, alii observarunt,

qua in morte dicuntur homines *obdormire.* Deut. XXXI. 16. 2. Sam. VII. 12. 1. Reg. II. 10. Esa. XXVI. 20. LVI. 14. Dan. XII. 2. Matth. IX. 24. Joh. XI. 11. Act. XIII. 36. 1. Cor. XI. 30. XV. 20. 1. Thess. IV. 13. &c. Hilarius in Psal. CXXVI. p. 552. *Mortem sanctorum Deus frequentissime somnum nuncupat.*

Somnus ut est mortis, sic lectus imago sepulcri;

quæ nomenclatura de multis utiliter nos admonere potest. Confertur enim mors somno: I.) ratione *antecedentium.* Quemadmodum somnus oritur ex vaporibus ventriculi ad cerebrum delatis, qui nervos occupant, & operationes sensuum impediunt: sic mors corporis ex eo originem trahit, quod primi nostri parentes de fructu arboris vetitæ comederint; inde namque factum, ut venenatus peccati odor totum corpus & omnia ejus membra pertransiens, tum ipsos, tum omnes posteros morti obnoxios reddiderit, Rom. V. 12. VI. 23. ac quia venenum illud peccati nos ipsorum posteri in corpore perpetuo in hac vita nobiscum circumferimus, ideo etiam mortem nostram in nobis ipsis semper circumferimus, nec repente in mortem incidimus, sed minutatim procedimus. Quando venenum est intro assumtum, quandoque diu hæret in corpore, antequam vim suam exserat: sic etiam peccati venenum in carne nostra hæret, Rom. VII. 18. Hebr. XII. 1. illud in quibusdam citius, in quibusdam tardius mortem operatur; interim omnibus est lethale, ac si vel maxime ab omnibus causis mortis externis ac violentis simus liberi, tamen mors & corruptio provenit a causa interiore omnibus hominibus communi. Quemadmodum non omnes placide ac suaviter obdormiscunt, sed illi duntaxat, qui animo quieto & corpore moderate passo cubitum sese conferunt; qui curis sese macerant, ac conscientiæ onere gravantur, illorum somnus est inquietus ac turbulentus: sic impiis mors non est suavis somnus, sed potius initium mortis æternæ, auferunt enim secum ex hac vita rodentem conscientiæ *vermem*; Esa. LXVI. 24. soli autem vere pii, qui *in Domino moriuntur*, placide *requiescunt a laboribus suis*, Apoc. XIV. 13. deponunt enim per veram pœnitentiam & fidem in Christum onus peccati ipsos premens, Christum vitæ ducem & mortis victorem vera cordis fiducia amplectuntur, ac vitam suam ita componunt, ut mortem venientem pacato ac læto animo semper exspectent. *Mortem venientem nemo lætus excipit, nisi qui se diu ad eam composuit.* Seneca epist. XXX. Quemadmodum somno nos daturi vestes deponimus, ita quoque apostolus 2. Cor. V. 4. adserit, nos in morte ἐκδύσασθαι, *exui*, quia mors omnibus hujus vitæ bonis nos exuit & adcurate perquirit, ne quidquam terrenorum ex hac vita nobiscum auferamus. Job. I. 21. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* 1. Tim. VI. 7. *Nihil intulimus in mundum, manifestum, quod nec quidquam auferre possimus.* Corpus nostrum est animæ quasi ἔνδυμα ac vestimentum, atqui illud ipsum in morte deponere, eodemque exui cogimur, 2. Petr. I. 14. Chrysostomus in morali homil. V. ep. Hebr. *Cum tanta facilitate carnem exuere debemus, cum quanta vestimentum exuimus.* Deponamus & nos veteris Adami tunicam, exuamus curam terrenorum, ita poterimus quiete obdormiscere &c. Quemadmodum somnus hominem quandoque inopinato opprimit, adeo ut momentum illud temporis, quo obdormit, non possit exacte notare: sic homines quandoque eo temporis momento moriuntur, quo de morte minime omnium cogitant, ac opinione citius anima e corporis habitaculo emigrat, ut nec ipsi, nec adstantes momentum exitus observent. Gen. XXVII. 3. *Ignoro diem mortis meæ.*

Mors certa est, mortis nihil est incertius hora.
Quod moreris certum est, incertum, ubi,
quomodo, quando.

Quemadmodum infantes ac pueri non intelligunt somni commoda, ideo ægre cubitum sese conferunt: sic spiritualis prudentiæ respectu coram Deo vere sunt pueri, qui non intelligunt, quantum boni sit in morte piorum, ideoque mortem nimiopere exhorrescunt. Quem-

admodum somnus, ita quoque mors omnibus hominibus communis est, ac sicut somnus, ita quoque mors etiam invitis obrepit &c.

§. XVIII. II.) Ratione *concomitantium*. Quemadmodum somnus occupat solum membra & sensus exteriores, cum interim anima interiores suas operationes exerceat, ut ex insomniis colligitur: sic in morte corpus solum interit, anima autem piorum *in sinum Abrahæ* transfertur, Luc. XVI. 22. *fruitur consolatione* v. 25. ac veræ vitæ particeps redditur. Matth. X. 28. *animam occidere non possunt.* Augustinus lib. VI. confess. c. 11. *Morte corporis vita animæ non consumitur.* Quemadmodum somnus est suavis & utilis requies tam ægrotis quam sanis hominibus; Joh. XI. 12. sic mortui *quiescunt in cubilibus suis*, Esa. XXVI. 20. ac *requiescunt a laboribus suis.* Apoc. XIV. 13. Ambrosius de bon. mortis cap. 3. *Sola mors est requies viro.* Dies nostri in hac vita sunt *dies mercenarii*, ut ergo mercenarius præstolatur finem operis sui: sic mortis quietem in hujus vitæ miseriis & laboribus cupide desideremus. Job. VII. 1. & 2. Quemadmodum animi & corporis vires in somno reparantur, ut homo mane alacrior ac vegetior ad pristinum opus redeat: unde Tertullianus lib. de anim. cap. 43. p. 287. somnum pulcerrime vocat *recreatorem corporum*, *redintegratorem virium*, *probatorem valetudinum*, *pacatorem operum*, *& medicum laborum;* sic mors piorum est veluti quædam ἀναπαίνωσις, renovatio ac reparatio omnium virium, ut Christo, justitiæ sole, in extremo die exoriente alacriores ac vegetiores sint ad peragenda opera, ad quæ in prima creatione divinitus sunt conditi. Quemadmodum dormiens ab omnibus adfectibus naturæ adversis, a curis, angoribus, tristitia, dolore, metu est immunis: sic pii in morte ab illis flagellis liberi beatam & tranquillam apud Deum vitam agunt, & in sepulcris velut κοιμητηρίοις ac dormitoriis suis somno fruentes lætum resurrectionis diem in pace exspectant. Quemadmodum dormientes non animadvertunt nec curant, quid in plateis agatur, an homines emant vel vendant, saltent vel pugnent, neque tempus mensurant, aut ejus articulos computant: sic mortui non adficiuntur curis hujus mundi, neque pensi quidquam habent, an superstites bello, vel fame, persecutionibus adfligantur, multo minus aliquid molestiæ vel solicitudinis ex adversis superstitum persentiscunt. 2. Reg. XXII. 20. *Colligam te ad patres tuos, ne videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum super locum istum.* Job. XIV. 21. *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.* Eccles. IX. 5. *Viventes sciunt, se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius*, scilicet eorum, quæ in his terris geruntur, additur enim v. 6. *nec habent partem in hoc seculo, & in opere, quod sub sole geritur.* Esa. LXIII. 16. *Abraham nescit nos, Israël ignorat nos.* Quemadmodum dormiens quandoque incendii terrores & magnas tempestates, durante ipsius somno exortas, non sentit, sed eas quasi prætervehitur: sic pie defuncti futuris calamitatibus præripiuntur. Esa. LVII. 1. *A facie mali collectus est justus.* v. 2. *Veniet pax, requiescet in cubili suo ambulans recte.*

§. XIX. III.) Ratione *consequentium*. Somnus non est perpetua quædam quies, sed certo tempore iterum expergiscimur, at tunc vigor animi, sensuum ac corporis redit alacrior: sic non manebimus perpetuo in morte, sed *veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii hominis, & procedent; qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala fecerunt, in resurrectionem judicii*, Dan. XII. 2. Joh. V. 28. 29. Beda in Marcum: *Mos christianus obtinuit, ut mortui, qui resurrecturi esse non dubitantur, dormientes vocentur.* Quemadmodum Christus filiam Jairi propterea negat esse mortuam, sed tantum dormire adserit, Matth. IX. 24. quia mox in vitam revocanda erat: sic in genere de mortuis statuendum quod dormiant, quia per Christum ad vitam sunt resuscitandi, Esa. XXVI. 19. *Vivent mortui tui, expergiscimini, qui habitatis in pulvere.* Luc. XX. 38.

Omnes

Omnes Deo vivunt. Quemadmodum dormientes facile e somno voce alterius hominis excitantur: sic mortui voce Christi in die novissimo perquam facile excitabuntur. Augustinus serm. XLIV. de verb. Dom. *Nemo nostrum tam facile excitat dormientem in lecto, quam Christus jacentem in sepulcro.* Quemadmodum e somno excitati vestibus nos induimus: sic pii ex mortuis resurgentes stola immortalitatis ornabuntur. 1. Cor. XV. 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Sicut nescimus, quomodo e somno expergiscamur: sic non intelligimus, qualis futura sit resurrectio. Quemadmodum e somno expergefacti videmur per pauxillas duntaxat horas dormiisse: sic in novissimo die a morte excitatis brevissimum videbitur illud tempus, quod inter mortem ac resurrectionem intercessit. Lutherus tom. IV. Latin. p. 528. in comm. Ps. XC. *Totum illud tempus, quod est ab initio conditi hominis, videbitur Adamo resurgenti tanquam somnus unius horæ.* Somnus igitur, quo singulis diebus ad vitæ conservationem indigemus, perpetuum μνημόσυνον ac quotidianum memoriale mortis nobis esse debet, cum in quotidiana illa mortis meditatione magna pars cœlestis sapientiæ consistat, Psal. XXXIX. 5. XC. 12. sicut Plato in Phædone dicebat, *veram philosophiam esse μελέταν τοῦ θανάτου.* Quando vestes lectulum ingressuri deponimus, cogitemus aliquando vestimentum corporis esse deponendum. Quando ad somnum nos componimus, cogitemus nos in cubile sepulcri aliquando collocandos. Quando oculos claudimus, cogitemus oculos nostros aliquando in morte esse claudendos. Quando cubitu surgimus, cogitemus ex sepulcris nostris post mortem aliquando resurrecturos. Si eo modo quotidie de morte cogitamus, aliquando pie & pacate mori possumus.

Adpellationes mortis. §. XX. Atque hæc est generalis & communissima mortis descriptio, qua somno a sanctis Dei hominibus comparatur. Specia-

1.) *ex vers. sept.*

les adpellationes occurrunt complures. Mosi usitatum est, ut pios in morte ac per mortem dicat colligi sive *congregari ad populum suum.* Gen. XXV. 8. XXXV. 29. XLIX. 33. Eadem phrasis exstat Num. XX. 26. XXXI. 2. Jud. II. 10. 2. Reg. XXII. 20. 2. Paral. XXXIV. 28. Esa. LVII. 1. אָסַף significat, *congregavit aliquid, ut adservetur, in unum redegit, reposuit, occultavit;* hæ significationes omnes huic loquendi formulæ congruunt, in morte enim ac per mortem pii ex confuso bonorum ac malorum in hac vita invicem commixtorum cœtu separantur, ac congregantur, animæ eorum *in fasciculum viventium colligantur*, 1. Sam. XXV. 29. sicque in unum rediguntur, ut a furore persecutorum occultentur, & usque ad diem judicii in quiete & pace conserventur. Dicuntur autem pii non simpliciter congregari ac colligi, sed *ad populum suum. Nemo colligitur ad eos, qui non sunt,* inquit Origenes. Ergo est populus, cui pii morientes adjunguntur, proinde animæ piorum in morte non evanescunt in auras, nec in nihilum rediguntur; sed congregantur in cœtum triumphantis ecclesiæ, & colliguntur ad beatum illum populum, qui ante ipsos in fide ex hac vita præcessit, cum quo unum corpus mysticum constituunt. Cinis & pulvis anima cassus non est populus, ergo sepulturæ respectu non possunt dici, ad populum suum congregari. Adde quod Abraham patriarcha, de quo Spiritus sanctus primo omnium hac phrasi utitur, corpore suo non ad sepulcra majorum & populorum suorum, sed ad conjugis Saræ exuvias tantum in agro Hephronis sit adgregatus, ut recte monet Gesnerus in Genes. XXV. quod iterum evidens argumentum est, non *corporis*, nec *sepulturæ*, sed *animæ* respectu pios ad populum suum congregatos dici. (*) Lutherus in Genes. XXV. p. 320. *Quo transivit Abraham? collectus est ad populos suos. An ergo restant adhuc populi post hanc vitam? sic enim*

(*) Hanc ipsam expositionem uberius edisserit GERHARDVS in *commentario super Genesin*, & quidem ad *cap. XXV. p. 494. quæst. V.* Negant tamen alii, locutionem istam Mosi usitatam, qua pii in morte dicuntur

ſonant verba, quaſi migraſſet de populo ad populum, de una civitate in aliam civitatem. Id vero inſigne & memorabile eſt teſtimonium reſurrectionis & vitæ futuræ, quod proponendum eſt in conſolationem omnibus, qui credunt in Deum. Cognata huic phraſi eſt illa altera, qua Deus mortem Abrahæ deſcribit Gen. XV. 15. *Ingredieris ad patres tuos in pace.* Ergo Abraham in morte non eſt penitus exſtinctus, ſed potius ad patrum ſuorum cœtum translatus.

§. XXI. Joſua XXIII. 14. mortem vocat *viam univerſæ carnis. Ecce*, inquit, *ego vado* in *via* vel per viam *univerſæ carnis.* Eadem loquendi formula utitur David 1. Reg. II. 2. exprimit autem moriendi neceſſitatem omnibus hominibus communem, propter peccatum ac per peccatum in mundum introductam, quod ſcilicet mors omnibus ſit conſtituta, quodque homines non minus quam reliqua animalia morti omnes ſint ſubjecti. Hebr. IX. 27. Eccl. IX. 3. *Omnibus eſt calcanda ſemel via leti*, inquit poëta. David mortem vocat eductionem animæ מִמַּסְגֵּר *ex clauſura* ſive *carcere*, Pſal. CXLII. 8. τὸ mori in ſe ac per ſe conſideratum vocat *ambulare per vallem umbræ mortis* Pſal. XXIII. 4. Eſaias de morte piorum ſic loquitur XXVI. 19. *Expergiſcimini, qui habitatis in pulvere.* v. 20. *Vade populo mi, ingredere* בַּחֲדָרֶיךָ *in conclavia*, in cubicula tua. (LXX. interpretes εἰς τὸ ταμεῖόν σε, ergo mortuorum ſepulcra ſunt בָּתֵּי־חַיִּים *domus viventium*, κοιμητήρια, *dormitoria*) *claude januam ſuper te, abſconde te paululum, donec tranſeat indignatio.* Eſa. LVII. 1. *Juſtus periit*, (אָבַד interdum ſignificat omnimodam rei perditionem, in qua ſignificatione, ſi hoc loco accipiatur, explicandum eſt habito reſpectu ad opinionem impiorum, coram *illorum oculis videntur interire* ac cum perditione amoveri, præſertim ſi vel a tyrannis occidantur, vel præmatura morte abripiantur, Sap. III. 3. ſed coram Dei oculis vere vivere incipiunt) *& non eſt quisquam, qui ponat ſuper cor, viri miſericordiæ* נֶאֱסָפִים *congregantur, & non eſt, qui intelligat, a facie mali colligitur juſtus* (id eſt, propter malum mundo imminens congregantur, ſicut oviculæ imminente tempeſtate in ſepta a paſtore colliguntur, ſicut tempore incendii paterfamilias pretioſam ſupellectilem colligit & in locum tutum reponit) v. 2. *Ingredietur in pacem, requieſcet* מִשְׁכְּבוֹתָם *in cubiculis ſuis ambulans coram eo.* (pax ad animas, requies ad corpora in ſepulcris pertinet, quia enim pii dicuntur in morte obdormire, ex eo neceſſario ſequitur, quod ſepulcra ipſorum ſint cubicula, dormitoria.)

§. XXII. Auctor libri *Sapientiæ* mortem piorum ſic deſcribit cap. III. 1. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt*, (poſt mortem ſcilicet, de qua in fine præcedentis cap. egerat) *& non tanget illos tormentum.* v. 2. *Viſi ſunt in oculis inſipientium mori & æſtimata eſt adflictio,* ἡ ἔξοδος αὐτῶν exitus illorum (eadem adpellatione Chriſti mors inſignitur Luc. IX. 31. ac Petrus 2. epiſt. I. 15. mortem ſuam itidem vocat ἔξοδον, in morte enim anima ex corpore egreditur, ac homines ex ſtatu hujus vitæ in aliam vitam egrediuntur. Iſraëlitarum ex Ægyptiaca ſervitute liberatio vocatur ἔξοδος, ut oſtendit ἐπιγραφὴ libri ſecundi Moſaici & Hebr. XI. 22. ſic anima noſtra, quamdiu in corpore moratur, mifera captivitate ac ſervitute premitur, Rom. VII. 14. 23. 34. ſed quando e corpore egredietur, tunc ex vinculis illis liberatur. Pſalm. CXLII. 8.) v. 3. καὶ ἡ ἀφ' ἡμῶν πορεία *ipſorum a nobis*, in regionem ſcilicet viventium, *profectio* ac iter *habetur contritio, illi autem ſunt in pace.* Sap. IV. 7. *Juſtus ſi præoccupatus fuerit morte,* ἐὰν φθάσῃ τελευτῆσαι, *erit in* ἀναπαύσει (in hac vita nulla eſt intercapedo laboris, doloris ac moleſtiæ Pſalm. XC. 10.

cuntur colligi, ſive *congregari ad populum ſuum, urgendam hoc eſſe*; cum *ex æquo boni & mali dicantur ad patres ſuos venire, cum moriuntur*, obſervante *Hieronymo.* Addunt, nec dici poſſe, animam Abrahami corporis vinculis ſolutam, eodem in ſtatu fuiſſe ac Chaldæi idololatræ. Conferenda, quae hanc in rem diſſeruit Jo. Clericvs in *commentario* ſuo ad *Exod. XV.* 18.

10. sed in morte succedit ἀνάπαυσις) v. 10. *placens Deo factus dilectus est & vivens a peccatoribus* μετετέθη *translatus est.* (Eadem appellatione utitur apostolus Hebr. XI. 5. de Henocho. Qui domicilia commutant, ac res suas ex una habitatione in aliam transferunt, illi proprie dicuntur μετατίθεσθαι, sic in morte fit habitaculi permutatio, quia *tabernaculum terrenæ hujus domus dissolvitur, ut accipiamus ædificium ex Deo, domicilium non manu factum sed æternum in cælo* 2. Cor. V. 1. 2. Petr. I. 14. Domicilii translatio molesta esse consuevit, sed si quis ex ruinoso ædificio in regale palatium, ex pessima vicinia in consortium suavissimorum amicorum transmigret, illi commutatio ejusmodi grata esse debet, id ipsum ad mortem piorum applicari potest &c.)

2.) *Ex nov. test.* §. XXIII. In nov. test. apud *evangelistas* hæ occurrunt descriptiones. Matth. X. 22. XXIV. 13. Marc. XIII. 13. 1. Cor. I. 8. Hebr. III. 6. &c. mors vocatur τέλος, non quod omnia in morte & cum morte finiantur, quia etiam de Christi morte hæc adpellatio usurpatur, Joh. XIII. 1. sed quia terrenæ ac mortali huic vitæ ac mundanæ conversationi finem imponit, unde etiam inter τὰ ἔσχατα sive *novissima* hominis recensetur. Eccl. IX. 10. *Non opus, nec cogitatio, nec scientia, nec sapientia in sepulcro, quo tu vadis.* Luc. II. 29. Simeon pulcerrima phrasi mortem describit: νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σε δέσποτα ἐν εἰρήνῃ. Videtur desumtum ex Num. XX. 29. ubi de morte Aaronis LXX. interpretes utuntur verbo ἀπολύεσθαι, ac de Abrahamo dicunt Genes. XV. 2. ἐγὼ ἀπολύομαι ἄτεκνος, *vadam* sive moriar, *absque liberis.* Verbum ἀπολύειν accipitur 1.) de *dimissione ex carcere & vinculis*, Matth. XVIII. 27. XXVII. 15. Marc. XV. 11. Luc. XXIII. 16. Act. III. 13. Apud Xenophontem Hellen. IV. χρημάτων πολλῶν ἀπολύειν est *accepta magna pecuniæ summa aliquem ex carcere dimittere* &c. Hæc significatio pulcre congruit huic loco, quia nostra in terris vita nihil aliud est quam carcer tenebricosus ac sordidus, ex quo per beatam ἀπόλυσιν liberamur. Josephus lib. II. de bello Judaic. c. 12. & Eusebius lib. IX. præparat. evang. c. 2. de Essenis referunt, quod docuerint, τὰς ψυχὰς ἀθανάτους ἀεὶ διαμένειν καὶ ἐπειδὰν ἀνεθῶσι τῶν κατὰ σάρκα δεσμῶν, οἷον δὴ μακρᾶς δουλείας ἀπυλλαγμένας χαίρειν καὶ μετεώρους φέρεσθαι, *cum animæ a vinculis carnalibus solutæ sunt, quasi de longissima servitute liberatas lætari & in sublime ferri.* 2.) De *dimissione in patriam.* Sic Christus dicitur ἀπολύσαι τὰς ὄχλους, quando homines, quos in deserto detinuerat, a se dimittit in suam quemque patriam. Matth. XIV. 15. XV. 32. Marc. VIII. 9. Polybius: ἀπέλυσαν εἰς τὴν οἰκίαν, hæc significatio itidem huc accommodari potest. Vita hæc nostra est perpetua quædam per desertum mundi peregrinatio; quando ad mortis terminum pervenimus, in cœlestem nostram patriam dimittimur. 3.) De *dimissione* vel *discessu post confectum negotium*, Exod. XXXIII. 11. Act. XIII. 3. XV. 30. sic quando in hac vita confecimus iter nostrum ac omne illud, quod Deus per nos confici voluit, tunc a Domino nostro, qui nos in hanc stationem collocavit, benevole dimittimur, nec licet ante illam dimissionem Domini nostri ex hac vita discedere. 4.) De *liberatione ab infirmitate*, Luc. XIII. 12. mulier ἀπολέλυσαι *dimissa es a tua infirmitate*: sic mors est ultimus omnium morborum & ærumnarum medicus, ac anima nostra ad perfectam sanitatem post mortem reducitur. Luc. IX. 31. Christi mors vocatur ἔξοδος, de cujus adpellationis ratione diximus §. præced. capitis ejusdem v. 51. vocatur ἀνάληψις *receptio.* Quamvis vero peculiariter de morte Christi, quam secuta est gloriosa in cœlum adsumtio ac reditus ad patrem, ἀναλήψεως nomine descriptus, Marc. XVI. 19. Act. I. 2. 1. Tim. III. 16. hæc adpellatio ibidem usurpetur, tamen in genere ad mortem piorum adcommodari potest. Dicitur enim proprie ἀνάληψις, quando filii, qui diu domo abfuerunt, parentibus suis restituuntur, ac patres eos pro suis iterum agnoscunt: ἀναλαμβάνειν inquit Budæus, *est filium abdicatum in domum recipere, quod patres*

tres post emendationem & satisfactionem Atheniis faciebant. Demosthenes contra Neæram: ἀνελαβεν ὡς αὐτὸν. Sic nos miseri exsules a patria cœlesti in hoc mundo peregrinamur, sed Christus sua ἀναλήψει nobis hoc promeruit, ut in patriam nostram recipiamur, utque Pater cœlestis nos pro filiis suis agnoscat, unde orat Tobias: *Nunc Domine præcipe in pace,* ἀναλαβεῖν *suscipi Spiritum meum,* Tob. III. 6. de Elia in cœlum quadrigis angelicis sublato dicitur 2. Reg. II. 9. πρὶν ἢ ἀναληφθῆναι με ἀπὸ σοῦ. Sirac. XLVIII. 9. ὁ ἀναληφθεὶς ἐν λαίλαπι. De Enocho eadem phrasis usurpatur, Sir. XLIX. 16. ἀνελήφθη ἀπὸ τῆς γῆς, quia *spiritus in morte redit ad eum,* ac recipitur ab eo, qui *dedit illum,* Eccl. XII. 7. In profanis scriptoribus ἀνάληψις est virium recuperatio post morbum, convalescentia, unde Suidas exponit per ἀνάῤῥωσιν corroborationem: eadem significatio huc adcommodari potest, quia post mortem anima nostra peccati languore convalescit & ad perfectam sanitatem adspirat. Joh. V. 24. mors vocatur μετάβασις *transitus,* quia per mortem ex hac vita terrena in cœlestem transitum facimus, ac maceriam illam, quæ a Christi & omnium electorum in cœlis gloria nos sejungit, transilimus. Luc. XVI. 26.

§. XXIV. Apud *Paulum* suavissimæ occurrunt mortis nomenclaturæ. 1. Cor. XV. 43. *Seminatur* ἐν φθορᾷ, *surgit* ἐν ἀφθαρσίᾳ, v. 44. *seminatur in ignominia, surgit in gloria, seminatur in infirmitate, surgit in virtute,* v. 45. *seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale;* ubi observa, apostolum emphatica quadam metaphora verba ἐναλλαξ permutasse, quia superius v. 36. semini ea adtribuit, quæ pertinent ad corpora nostra, hic vero corporibus nostris tribuit ea, quæ pertinent ad semen. Latet autem in verbo *seminandi* de corporibus mortuis aliquoties repetito elegans metaphora. Joh. XII. 24. *Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Coram oculis insipientium, quibus de messe nihil constaret, absurdum videretur grana frumenti in terram projicere, sic impii, quibus resurrectionis articulus vel ignotus vel ἄτοπος, mortem statuunt plenarium & totalem interitum. Grana frumenti in terram projecta suo tempore iterum progerminant: sic in resurrectione *ossa nostra instar graminis revirescent,* Esa. LXVI. 14. Tristem sementem sequitur lætissima & uberrima messis: sic in dolore & tristitia morimur, sed in lætitia resurgemus. Psal. CXXVI. 5. *Qui seminant in lacrimis, cum jubilatione metent.* v. 6. *Euntes ibant & flebant portantes pretiosum semen. Venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos,* 2. Cor. V. 1. *Scimus, si terrestris domus tabernaculi,* id est, terrestre tabernaculum, in quo velut domo quadam habitamus, *dissoluta fuerit, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis.* Elegans hæc est mortis descriptio. In hac vita *inhabitamus domus luteas,* Job. IV. 19. circumferimus corpus terreum, ac proinde fragile & caducum instar tabernaculi, quod temporariam duntaxat habitationem præstat, in quo belli tantum tempore milites commorantur, quodque cito transferri potest. Illud tabernaculum, dicit apostolus, in morte *dissolvi,* sed loco illius accipimus *domum non manu factam,* nec transitoriam, sed *æternam in cœlis.* v. 4. Mori vocatur ἐκδύσασθαι *exui,* cujus metaphoræ rationem exposuimus superius §. XVII. v. 8. Pii in morte dicuntur ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον. Dum in hac vita degunt, *peregrinantur* & absunt *a Domino,* id est, nondum sunt in vera patria, in cœlo; sed quando per mortem ex hac vita in cœlestem transferuntur, tunc *ex corpore peregrinantur & præsentes sunt apud Deum,* id quod elegantissima sua ἀνταναλλασει apostolus innuit v. 6. ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι ἐκδημοῦμεν ἀπὸ τοῦ κυρίου. v. 8. ἐκδημοῦντες ἐκ τοῦ σώματος ἐνδημοῦμεν πρὸς τὸν κύριον Phil. I. 23. *Cupio* ἀναλῦσαι, *& esse cum Christo* 2. Tim. IV. 6. *Tempus meæ* ἀναλύσεως *imminet.* Verbum ἀναλῦσαι non tantum notat separationem animæ a corpore, nec tantum dissolutionem massæ corporis hu-

humani ex quatuor elementis compositæ & coagulatæ, quam utramque in morte fieri constat, dissolvit enim Dominus structuram hominis, ut eam multo elegantius & gloriosius reparet; sed etiam alias metaphoricas significationes obtinet, quæ ad piorum mortem recte adplicari possunt. Significat enim 1.) *farcinas colligere, ad iter se præparare*, & illud ingredi, sicut nautæ dicuntur solvere, cum migraturi solvunt rudentes & mari se committunt odyss. o. ac equitaturi equos parant, quos postea ingressi hospitium solvunt: sic piorum mors est quædam profectio ac emigratio ex statu vitæ mortalis in regionem viventium. 2.) *Emigrare ex hospitio* seu diversorio, ac domum reverti. Luc. XII. 36. usurpatur de hero ex nuptiis domum revertente: sic in morte anima ex corporis hospitio in veram patriam revertitur, unde Chrysostomus vertit μεθίσασθαι *sedem commutare, transferri, ex domo conductitia migrare.* 3.) *Ex vinculis solvi.* Sic boves toto die jugo adligati vesperi dicuntur ἀναλύσαι, ac vincti in carcere solutis compedibus in libertatem restituti itidem dicuntur ἀναλύσαι. Idem ad mortem piorum commode adplicari potest. Tempus hujus vitæ est tempus *laboris* & oneris, Job. VII. 2. Psal. XC. 10. in morte ex vinculis illis solvimur ac jugo crucis liberamur. Tertullianus exponit *recipi*, in qua versione respectum habuit ad cognatum verbum ἀπολύσαι. 4.) *Cubitum se conferre.* Jud. XIII. 1. *Ut vespera facta est, festinaverunt servi ejus* ἀναλύειν. Sic pii in cubile suum se conferunt, quando per mortem ex hac vita evocantur. Ibidem, ad Philippenses scilicet, cap. I. v. 21. τὸ ἀποθανεῖν apostolus vocat κέρδος, in quæ verba sic commentatur Cyprianus serm. IV. de mortalit. p. 209. *Lucrum maximum computat* (christianus) *jam seculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri, exemtum pressuris angentibus, & venenatis diaboli faucibus liberatum ad lætitiam salutis æternæ Christo vocante proficisci.* Alius ex veteribus idem apostoli dictum sic explicat: *Lucrum est, evasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, lucrum ad meliora transire.* Ecquis neget maximum esse lucrum, quod pii in morte pro peccato justitiam, Rom. VI. 7. pro labore requiem, Job. III. 13. pro militia pacem, Job. VII. 1. Sap. III. 3. pro fletu solatium, Luc. XVI. 25. pro corruptibilitate ἀφθαρσίαν, pro mortalitate ἀθανασίαν, pro ignominia gloriam, 1. Cor. XV. 53. 54. pro miseria felicitatem, Apoc. XIV. 13. pro morte vitali vitam immortalem, Joh. V. 24. pro captivitate libertatem, pro malorum tumulo omnium bonorum cumulum consequuntur? Hebr. XI 5. mors adpellatur, μετάθεσις *translatio*, de qua adpellatione dictum est superius §. XXII. Hebr. XIII. 7. dicitur ἔκβασις τῆς ἀναστροφῆς, *exitus conversationis nostræ* in his terris, qui est simul omnium malorum & miseriarum nostrarum ἔκβασις, 1. Cor. X. 13. Petrus 2. epist. I. 14. mortem suam vocat ἀπόθεσιν τοῦ σκηνώματος, *depositionem tabernaculi*, imitatus phrasin Paulinam 2. Cor. V. 1. Johannes Apoc. XIV. 13. *in Domino mori*, dicit *requiescere a laboribus.* In hac vita laboramus sub pondere crucis & peccati, sed post mortem ad pacatam quietem pervenimus, tunc Christus plene & perfecte nos ἀναπαύει, Matth. XI. 28. & ex intempesto hujus mundi mari ad quietissimum & tranquillissimum æternæ vitæ portum nos deducit. In fragmentis apostolorum a Prætorio editis Petrus ad Albini conjugem & alios fratres dixisse memoratur: *Fugiendum censetis, ut mortem declinemus, quam multis suspiriis ut progressum vitæ expetivimus.* Irenæus lib. III. c. 37. f. 224. *Deus prohibuit hominis transgressionem interponens mortem & cessare faciens peccatum, finem inferens ei per carnis resolutionem, quæ fieret in terra, ut cessans aliquando homo vivere peccato, & moriens ei inciperet vivere Deo.*

§. XXV. In *scriptoribus ecclesiasticis* hæ potissimum occurrunt descriptiones. Tertullianus lib. de patient. cap. 9. p. 132. *Profectio est, quam mortem putas. Non est lugendus, qui antece-*

2.) *Ex patribus.*

dit, sed plane desiderandus. Lib. de anim. cap. 27. p. 278. *Mors non aliud determinatur quam disjunctio corporis, animæque.* Cap. 51. p. 291. *Opus mortis in medio discretio corporis animæque*; & paulo ante cap. 50. *Publica totius humani generis sententia mortem naturæ debitum pronunciamus.* Cæcilia virgo ad supplicium ducta dixit: *Non homo sed miseria christiani hominis moritur.* Cyprianus serm. IV. de mortalit. p. 208. *Contestatur Simeon, tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam & tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti sedis & securitatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa est enim nostra pax, illa fidei tranquillitas, illa stabilis & firma & perpetua securitas.* Pag. 212. *Mortalitas ista ut Judæis & gentibus & Christi hostibus pestis est, ita servis Dei salutaris excessus est.* Pag. 213. *Quam præposterum est, quamque perversum, ut cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos, & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis ejus imperio pareamus?* Et postea: *Fratres nostros accersione dominica de seculo liberatos scimus non amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiscentes & navigantes desiderari eos debere, non plangi.* Pag. 214. *Quod morimur, ad immortalitatem morte transgredimur, nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire, non est exitus sed transitus, & temporali itinere decurso ad æterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? quis non mutari & reformari ad Christi speciem, & ad cælestis gratiæ dignitatem venire citius exoptet?* Et postea: *Venturus ad Christi sedem, ad regnorum cælestium claritatem lugere non debet nec plangere, sed potius secundum pollicitationem Domini, secundum fidem veritatis in professione sua & translatione gaudere.* Pag. 215. *Cum accersitionis propriæ dies venerit, incunctanter & libenter ad Dominum ipso vocante veniamus.* Et postea: *Considerandum est & identidem cogitandum, renunciasse nos mundo, & tanquam hospites & peregrinos hic interim degere. Amplectamur diem, qui adsignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos & laqueis secularibus exutos paradiso restituit & regno cælesti. Quis non peregre constitutus properet in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter caros liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus, parentes nostros patriarchas habere jam cœpimus, quid non properamus & currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus?* Methodius mortem piorum vocat φαρμακευτικὴν κάθαρσιν ψυχῆς καὶ σώματος. Est, qui eam vocat *peccatorum malorumque omnium sepulturam, finem malorum & januam ad vitam.* Hilarius in Psal. LXII. circa medium: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus, quia per eam cum peccati lege resolutis de mutationis gloriosæ profectu æternitas, animæ corporisque jam sine peccati corpore rependetur.* In Psal. LXIII. *Mors non est animæ interitus, sed ejus e corpore discessus.* In Psalm. CXIX. p. 527. *Paulus beatus in habitatione corporis sui congemiscit, per incolatum carnis peregrinari se a Deo conquerens, ex quo contra peregrinandum in carne scit sibi esse, ut ei cum Deo incolatus sit, sed tamen melius ei esset dissolvi & cum Christo esse, libera scilicet per dissolutionem corporis anima, onere atque consortio, atque etiam infirmis hujus atque periculosæ carnis exuta.* Lactantius lib. III. instit. cap. 18. *Sicut vita ipsa bonum est, si cum virtute vivatur; malum, si cum scelere: sic & mors ex præteritis vitæ actibus ponderanda est. Ita fit, ut si vita in Dei religione transacta sit, mors malum non sit, quia translatio est ad immortalitatem: sin aliter, malum sit necesse est, quoniam ad æterna supplicia transmittit.* Ambrosius lib. de bono mortis cap. 2. *Si plena oneris vita, utique finis ejus allevamentum est, allevamentum autem bonum mors, mori autem finis, mors igitur bonum est.* Cap. 3. *Mors absolutio est animæ & corporis & quædam hominis separatio. Solvimur enim hoc nexu animæ & corporis cum recedimus.* Cap. 10. *Repetitur anima, non interimitur.* In Luc. VIII. *Ubi resurrectionis fides est, non mortis species*

sed

sed quietis est. De fid. resurrect. cap. 9. *Debuit dari finis malorum, ut mors restitueret, quod vita amiserat. Immortalis enim oneri potius quam usui est, nisi adspiret gratia. Et si bene discutias, non naturæ mors ista est, sed malitiæ. Manet eam natura, malitia moritur, resurgit quod fuit.* Idem de exceſſ. frat. *Non amitti sed præmitti videntur, quos non absumtura mors sed æternitas receptura est.* Basilius ſerm. in martyr. Julittam. *Non est mortuus, sed redditus.* Athanaſius in orat. contra idola p. 23. *Non anima est, quæ moritur, sed ob ejus discessum corpus moritur.* Ephrem in lib. de judicio cap. 3 *Quemadmodum in vinculis vel in carceribus, sic omnes sancti usque ad tempus resolutionis suæ in corporibus commorantur ad tranquillissimum portum festinantes, ut adipiscantur sine fluctibus vitam.* Nazianzenus orat. XXXVIII. εἰς τὰ γενέθλια. *Mortem ut peccati præcisionem homo lucratur, ne malum immortale esset.* In definit. rerum v. 25. ζωὴ δὲ σώματός τε καὶ ψυχῆς δέσις, ὡς θάνατον εἶναι τῶν δὲ τὴν διάσασιν. Gregorius Nyſſenus in orat. de morte: *Mors est velut obstetrix, ut ad vitam meliorem educamur.* Quamvis igitur in depoſitione hujus tabernaculi acerbitas mortis piis guſtanda, ut infanti ex anguſta alvo matris in hunc ſpatioſum mundum naſcenti, pericula & dolores partus perferendi ſunt, tamen brevi momento paroxyſmus ille durat, & dies *ille æternæ vitæ natalis fit*, ſicut dies martyrii ſanctorum natales in eccleſia vocantur, ut monet Chytræus lib. de mort. & vit. æt. pag. 49. Idem Nyſſenus in orat. habita in funere Pulcheriæ circa finem: *Mors nihil aliud est quam vitiositatis expurgatio.* Prudentius canit:

\- - - - - - - *Mors hæc reparatio vitæ est.*

Chryſoſtomus homil. XLV. in Geneſ. col. 375. *Mors est transmigratio a deterioribus ad meliora.* Homil. XXXV. in Matth. *Sicut quando æs effunditur, unde statua conflatur, nullam æris perditionem tunc esse dicimus, cum ad meliorem usum traducatur: similiter de corpore tuo futurum est, mors ipsa & mortalitas destruitur corruptione carnis &c.* Homil. II. in 2. ad Cor. *Non amisisti, sed in locum tutiorem reposuisti.* Auguſtinus epiſt. VI. *Non amisimus, sed præmisimus.* Lib. de Spir. & anim. cap. 43. *Mors hominis nihil aliud est quam carnis occasus, a qua cum vis potentiæ vivificantis abscesserit, in terram, de qua sumta est, redit, amissis sensibus, quos per se ipsam non habuit. Anima non aliter quam sol lucem diei, vitam tribuit carni, cum venerit, mortem efficit, cum recedit. Mors tamen non consumit conjuncta, sed dividit, dum origini suæ utrumque reddit.* Lib. I. hypognoſt. contra Pelag. circa medium: *Mors nihil est nisi nomen recedente vita, sicuti fames esurum defectus; sitis egentia potus; tenebræ absentia lucis; sterilitas defectus fructus; silentium vocis absentia; inopia privatio facultatum, & si quæ sunt alia, quæ rerum privatione nihil esse nisi nomen inveniuntur.* Idiota de contempl. mortis §. 8. *Mors portus est, ad quem in his mundi calamitatibus miseri navigamus omnes, ad quem quo citius pervenerimus, eo celerius liberabimur &c.* Apud Nicephorum lib. XI. cap. 43. cum quidam nunciaſſet eremitæ, filium ipſius mortuum eſſe, reſpondiſſe fertur, *cur ita blasphemaret? non enim filium suum mortuum esse, sed dormire.* Nimirum:

Nomina mors retinet, facilis sunt cætera somnus.

Bernhardus in epiſt. *Bona mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. Contra, mors peccatorum pessima, mala liquidem in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis ignisque duplici contritione.* Idem de tranſit. Malach. *Pretiosa mors sanctorum, pretiosa plane tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janua & perfectæ securitatis ingressus.* Damaſcenus lib. II. de orth. fid. cap. 1. poſtquam mentionem fecerat συντελείας τοῦ κόσμου, ſubjungit: ἔστι μὲν γὰρ συντέλεια μερικὴ ὁ ἑκάστου θάνατος. Conradus Teutonicus moriturus dixiſſe ſcribitur. *Illud punctum mortis, in quo me videtis, tantum est*

transitus a planctu ad risum, a labore ad quietem. Johannes Baptista Mantuanus lib. VI. Syl. - - - - *Vindemia mors est*

Spirituum, messis mors est, sunt horrea cæli.
Vinitor & messor Deus est, divique ministri.

Lindebergerus:

Mors, quae corporeae est hujus destructio massae,
Janua ea est vitae principiumque novae.
Transitus e vivis, vitae cælestis origo est.

3.) *Ex ethnicis.* §. XXVI. In *profanis scriptoribus* hæ periphrases mortis exstant. Plato eam definit, τῆς ψυχῆς καὶ τὲ σώματος λύσιν sive διάλυσιν καὶ χωρισμὸν, in Phædone & Gorgia. Item, quod sit μετοίκησις τῆς ψυχῆς εἰς ἄλλον τόπον, *animae migratio ex hoc loco in alium*, quod sit quædam ἀποδημία sive *peregrinatio*, in Phædone. Julius Cæsar apud Salustium in Catilina: *Mors requies aerumnarum in luctu atque miseriis est, & cuncta mortalium mala dissolvit.* Plutarchus: Mors est μεταβολὴ τῆς ψυχῆς ἢ φθορὰ, *loci mutatio, non animae extinctio.* Euripides: τὸ θανεῖν κακῶν μέγιστον φάρμακον. Socrates morituras cum interrogaretur, quid ageret, respondit: *Jam incipit me somnus commendare fratri suo.* Idem mortem vocavit ταυμάσιον κέρδος, referente Platone in apolog. Socratis. Homerus *somnum & mortem gemellos* facit. Seneca: *Stultum est somno delectari, mortem horrere, cum somnus adsiduus sit mortis imitatio.* (veras tamen causas, propter quas mors piorum somno comparetur, ethnici ignorarunt) Artabanus apud Herodotum: *Mors est optatissimum perfugium vitae aerumnosae, portus miserorum & effugium miseriarum.* Cicero in Tusc. mortem definit, *discessum animae a corpore, dissolutionem, commutationem, vitae migrationem in eas oras, quas qui e vita excesserunt, incolunt portum malorum, finem miserae vitae*, cum quibus congruit illud Servii in comment. Virg. *Res haec, quae mors vocatur, non est mors, quidpe quae nihil perire facit, sed resolutio, unde mors bene a plerisque interitus dicta est quasi interveniens & mixtarum rerum connexionem resolvens.* Epaminondas morituras apud Valerium lib. III. *Non finis meae vitae, sed melius & altius initium advenit, nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia moritur.* Gorgias orator jam senex interrogatus, an libenter moreretur, maxime dixit, *nam tanquam ex putri & diffluente domuncula non invitus discedo.* De Pythagoricis memorat Jamblichus de vita Pythag. cap. 36. quod familiare illis fuerit, ὥσπερ ἐκ δεσμῶν τὲ σώματος ἀπαλλάττειν, *ut e corpore velut e carcere aut e vinculis discederent &c.*

CAPVT II.

DE CAVSSIS MORTIS.

De caussis mortis. §. XXVII. Ab ὀνοματολογία transitum facimus ad πραγματολογίαν, ubi primo loco occurrit *caussarum* consideratio. (*) Quemadmodum vero doctrina ecclesiæ

(*) Quaestionem, *an detur naturae illa dissolutio*, quam *mortem* adpellare consuevimus, procul dubio studio heic praetermisit b. Gerhardus, cum ipsa experientia eaque communissima *existentia mortis* comprobetur, adeoque haec quaestio supervacanea prorsus atque inutilis haud immerito censeri queat.

Serio tamen motam fuisse hancce quaestionem a viris quibusdam acutissimis, recentior philosophiae historia dubitare nos non sinit. Ex ea enim abunde constat, haud paucos ex iis in eam descendisse sententiam, corporis humani, quocum anima jam conjuncta sit, machinam non totam in morte penitus destrui, sed crassiorem duntaxat materiam, sensibus externis obviam, perpetuisque mutationibus subjectam deponi, inque cineres redigi; in hac ipsa autem corticis externi destructione adhuc superstitem manere typum quendam animi subtiliorem, non adspectabilem, incorruptum, a quo tanquam proprio intimoque domicilio nunquam, nec ipsa adeo fati vi separetur animus.

Vestigia

cleſiæ de conſolationibus morti opponendis longiſſimo intervallo diſtat a conſolationibus, quas philoſophia ex penu rationis depromit: ita quoque eſt ſapientia eccleſiæ propria, ſcire veras & principales cauſas mortis. Ratio enim & ex principiis rationis exſtructa philoſophia ſubſiſtit duntaxat in *cauſſis proximis & intermediis*, ad *remotas vero & principales* cauſſas per-

Veſtigia hujus opinionis, quae hominem plane interiturum negat, in veterum monumentis, haud vulgari quidem eruditorum quorundam, LEIBNITII inprimis, ſtudio conquiſita, ab aliis autem haud agnita, vid. in *hiſtoire critique de la republique des Lettres, tom. XI. art. 2. p. 51.* itemque in *recueil des diverſes pièces, tom. II. p. 364 ſeqq.*

Speciatim HIPPOCRATIS cogitata de perpetua animalium duratione egregie illuſtrata accepimus a viris praeſtantiſſimis, b. Jo. MATTH. GESNERO in diſſertatione *de animabus Hippocratis*, Goettingae *MDCCXXXVII.* edita, & cel. HEINIO, philoſopho Berolinenſi, in *diſſert. ſur l'origine des êtres animés, ſuivant le ſyſteme d'Hippocrate.* Vid. *l'hiſtoire de l'academie des ſciences de Berlin. ann.* MDCCXLV.

Aliorum vero philoſophorum, eorum cumprimis, qui ſcholae *Platonicae* olim fuerunt addicti, placita huc pertinentia collegit atque erudite expoſuit RADVLPHVS CVDWORTHVS in *ſyſtemate intellectuali cap. V. ſect. III. §. XVI.* Conferenda tamen, quae ad h. l. commentatus eſt b. cancellarius MOSHEMIVS.

Quidquid vero de argumento hocce ſuſpicati ſint veteres, longe profecto uberius clariusque expoſita proſtant recentiorum philoſophemata, quibus abſoluti excidii ſuſpicionem ab hac corporis noſtri machina propulſantes, amoeniori facie donare mortem adniſi ſunt, eoque ipſo exſiſtentiam mortis dubiam reddidiſſe videri poſſent. Eminent inter eos PETRVS POIRETVS atque vir illuſtris, GODEFRID. GVIL. LEIBNITIVS. De utroque nonnulla diximus in *theſibus theologicis de noviſſimis, ſpeciatim de morte naturali, §. XXXIII. p. 51. ſeqq.* Cumprimis vero de iisdem legi meretur b. cancell. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in ſchediaſmate *de morte naturali, p. 11. ſeqq.* Nos de utroque in gratiam lectorum noſtrorum pauca heic ſubjungemus.

A PETR. POIRETO ut dicendi faciamus initium, ejusdem ſententia, quam publicis in ſcriptis, ſpeciatim in *oeconomia divina tom. IV. cap. II. §. XVIII. XIX. p. 40. ſeqq.* nec non in *cogitationibus rational. de Deo, anima & malo, p. 718. 719. 805. 806.* publice profiteri non dubitavit, eo redit, mortem naturalem corporis quidem noſtri, quoad partes in ſenſus incurrentes, organa, ſtructuram, motum deſtruere, nexumque membrorum diſſolvere, prout jam nunc inter ſe invicem coagmentata, unoque ſyſtemate ſuſtentata ſint: nunquam tamen diſſolvi conjunctionem animae cum corpore, non quidem craſſo iſto, & quaſi adventitio, ſed eo, quod in externa ac viſibili membrorum compage involutum lateat, & quo tanquam vehiculo ſuo actionumque omnium inſtrumento in perpetuum utatur. Subjungit vir doctus, abſurdam eſſe ſententiam, quae ſtatuat, animae corporisque conjunctionem penitus ceſſare poſſe, contrarium potius iis exemplis ſanctorum, qui poſt fata ſua in corporibus ſuis adparuerunt, veluti Moſis & Eliae, luculenter comprobari poſſe. Addit & hoc, corpus, quod anima ſemper ſecum vehat, eſſe invisibile & ſubtiliſſimum, nec contra hanc ſententiam urgeri poſſe doctrinam de reſurrectione mortuorum; oracula enim biblica, quae leguntur *Dan. XII. 2.* & *Joh. V. 8.* non agere de reſurrectione *corporali*, ſed *ſpirituali*, cum hora illius jam tempore Chriſti advenerit. Verum paucis notamus, locum Johanneum non poſſe explicari de *ſpirituali* ſive prima reſurrectione, ſed reſurrectionem *ſecundam*, ſive corporalem reſpicere. Simpliciter enim docuit ſervator loc. cit. *venit hora*, ſcilicet in noviſſimo die, nec addit, eam jam tum adeſſe; quae eſt obſervatio AVGVSTINI *libr. XX. de civit. Dei cap. VI.* Praetermittimus alia, quae ad locum huncce claſſicum adnotavit GERHARDVS noſter in *loc. de reſurrectione mortuorum § XCVI.* Nec tamen, quod vel tribus adjicimus, POIRETVS negat, in futura reſurrectione corticem illum craſſum, qui hactenus in terra delituerat, ex eadem die noviſſimo redituram eſſe, ſed eundem cum corpore noſtro, ſecundum effatum Pauliinum *1. Cor. XV. 42. ſeqq.* rurſus unitum iri, ſtatuit, exiſtimarque, ipſam reſurrectionem proprie loquendo nihil aliud eſſe, quam convocationem omnium corporum humanorum in toto hocce univerſo diſperſorum, ut ad primitivam lucem ac gloriam, qua olim fuerant gaviſa, reſtituantur. Vid. ejusdem *oeconom. div.* ſupra jam excitatam, *tom. IV p. 40.* Add. PETRI BAELII *dict. hiſtorique & critique, tom IV.* voce *Reburius, not. (b) p. 82. ſeqq.* edit. Amſtel recentiſs.

Jam, quod porro ad LEIBNITIVM adtinet, is eandem, de perennitate ultimorum corporis humani ſtaminum, ſententiam, in pleniori luce collocatam, non tantum argumentis a veritatis ſpecie minime alienis plurimum exornavit, ſed integro etiam ſyſtemati ſuo tanta arte ita intexuit, ut ab eodem divelli vix queat. Nam, cum obſervaſſet, ſecundum admirandas naturae leges ſtatum e ſtatu conſtantibus deduci legibus, & ſigillatim infecta nonnulla in varias transmutari formas, eodem manente animali, hanc ipſam transformationem, metempſychoſi quidem graviſſime impugnata, in ipſo *humano corpore*

pernoscendas adsurgere nequit. Sic Seneca in lib. de remediis fortun. scribit: *Morieris, ista hominis natura, non pœna est.* Ex verbo igitur divino constat, tres esse principales & primarias causas, propter quas homo morti est obnoxius. Prima est *diaboli seducentis malitia.* Altera *hominis delinquentis culpa.* Tertia *Dei vindicis ira*; quæ caussæ certo ordine sese invicem consequuntur. Conditus erat a Deo primus homo ad Dei imaginem, cujus pars erat immortalitas, hanc felicitatem diabolus homini invidit, ac per fallacem seductionem in

locum habere statuit, ita quidem, ut proprie loquendo nec per *generationem* demum existere incipiat, nec in *morte* intereat, sed suo ordine suisque legibus varias induat formas, vel evolutum, variisque materiae accessionibus auctum, quod fiat per *generationem*, vel involutum, diminutum, ac in se quasi contractum, id quod *mortis* sit consequens. Ita vero, ratiocinando pergit vir summus, partem tantummodo corporis, animae adjuncti, formamque externam & involucra organica per mortem dissolvi; integram vero machinam non perire, manente scilicet corpore primitivo, quod stamen perenne sit machinae externæ, animaeque sedes ac officina proxima atque inviolabilis, organismi denique omnis radix ac fundamentum. Hoc itaque in semine suo a rebus inde conditis praeformatum, nexu solvi nescio conjunctum esse cum anima; hoc, variis licet formis immutatum, externis illis machinae amplioris variationibus nunquam ita adfici, ut esse desinat; hoc ipsam mentis limitatæ naturam velare, quae ad percipiendas rerum adparentium imagines, & ad actiones in mundo corporeo continuandas, typi cujusdam sui regula carere nullo modo possit. Atque huc redit illustris LEIBNITII sententia, quam anno *MDCXCV.* in diario eruditorum Parisiensi, quod titulum fert: *Journal des savans, tom. XXIII. p. 444. seqq.* edit. Amstel. cum erudito orbe communicavit. Hic enim exstat *système nouveau de la nature & de la communication des substances, aussi bien, que de l'union, qu'il y a entre l'ame & le corps par M. D. L.* In brevi hocce libello *p. 449, 450.* mentem suam de morte ita exponit, ut ajat, quodvis animal in morte *non tantum quoad animam suam, sed etiam quoad machinam suam organicam conservari, quamvis destructio partium crassiorum illud ad ejusmodi reduxerit parvitatem, quæ sensibus nostris tam non pateat, ac tum partuit, cum nasceretur. Nec est*, ita pergit laudatissimus vir, *qui tempus mortis adcurate determinare queat. Hæc enim per tempus bene longum nihil aliud existimari potest, quam simplex suspensio actionum notabilium, & revera nihil aliud est in animalibus simplicibus. Patet id ex resuscitatione muscarum in aquis suffocatarum, & postea pulvere cretæ conspersarum, ut alia exempla haud commemoremus.* Nonnullis interjectis, sequentia subjicit LEIBNITIVS: *Proinde animal, quod semper vivum fuit atque organicum, idem*

semper manet. Et, quoniam ita nulla prima nativitas & generatio omnino nova alicujus animalis est, sequitur exinde, nullam ejus extinctionem talem *aut mortem, in metaphysico rigore acceptam, & per consequens nullam animarum transmigrationem, sed duntaxat transformationem quandam animalis, prout ejusdem organa hoc vel illo modo sunt constructa, & vel magis, vel minus evoluta* locum habere. Eodem quoque redeunt ea, quae LEIBNITIVS in praefatione *Theodicææ* praemissa *p. 32, 34.* hanc in rem tradit, quando ait, *organisationes novas non esse nisi sequelam mechanicam constitutionis organicæ præcedentis, quem ad modum papiliones oriantur ex bombyce*, uti Jo. SWAMMERDAM *monstraverit, id non nisi per evolutionem fieri.* Quapropter in *Theodicæa* quoque *part. I. num. 90. p. 207.* adserit, quod *mors adparens non nisi involutio sit, nec probabile sit, dari animas a corpore totaliter separatas.* Observat quoque *loc. cit. part. III. num. 396. p. 395. animas, entelechias vel virtutes primitivas, formas substantiales, substantias simplices vel monades, quomodocunque adpellentur, non posse nasci naturaliter, vel perire.* Tacemus alia loca, quae partim in *Theodicæa* modo excitata, *num. 397. p. 595, 596.* partim in *caussa Dei §. 85. seqq. p. 29 seqq.* praecipue vero, in *principiis philosophiæ, actis eruditor. Lipsi. supplem. tom. VII. sect. XI. p. 500 seqq.* insertis, hanc in rem leguntur, in quibus vir illustris suam hac de re sententiam subinde clarius edisserit. Nec prætermittenda est epistola D. DES MAIZEAU *ad* MASSONIVM data, in qua comprobatur, philosophos veteres, ad quos provocat LEIBNITIVS, velut auctorem libri *de diæta*, qui HIPPOCRATI alias tribuitur, itemque PARMENIDEM & MELISSVM, ejusdem sententiam de inextinctione atque indestructibilitate animalium haud tenuisse. Deprehendimus hancce epistolam in diario litterario, quod inscribitur: *l'histoire critique de la republ. des lettres, tom. XI. art. 2. p. 52 seqq.* nec non in *Recueil des diverses pièces. tom. II. p. 364 seqq.* Jungenda tamen est *l'hist. crit. loc. excitat. art. 13. p. 290 seqq.* Caeterum tantopere sibi huic placuit LEIBNITIVS, ut in judicio de *operibus Shaftsburianis* doluerit, in rapsodia Shaftsburiana non inveniri *proscriptionem mortis*, quam in apricum ipse produxerit *dans son banniſſement de la mort*, observante b. PFAFFIO in schediasmate supra jam adlegato *de morte naturali §. III. p. 14 seqq.* qui & hoc addit,

LEIB-

in peccatum eum præcipitavit, inde propter peccatum justo Dei judicio & primus homo & omnes posteri morti facti sunt obnoxii, vi divinæ comminationis: Gen. II. 17. *Quacunque die ex hac arbore comederis, morte morieris.* Sed hæc brevitas latius explicanda. *Primam* mortis, quatenus in se ac per se ut peccati effectus ac pœna consideratur, causam esse diximus *diaboli seducentis malitiam.* Illud constat I.) Ex *lapsus Adamici descriptione.* Primus homo ad imaginem Dei conditus ab omnibus animæ & corporis malis liber beatam in paradiso egisset vitam, donec tempore divinitus constituto ex vita animali ad vitam spiritualem absque ullo doloris sensu, ac citra animæ a corpore separationem translatus fuisset, ut colligitur ex comminatione transgressioni præcepti Dominici addita: *Quacunque die comederis ex hac arbore, morte morieris.* Quia enim comminationis loco homini denunciatur, quod *morte moriturus*, id est, certissime moriturus sit, si mandato Dei de non comedendo arboris vetitæ fructu minus obsequentem sese præstaret, ex eo immote colligitur, quod moriendi necessitati non fuerit obnoxius, si in sancta erga Deum obedientia perstitisset. Quod est pœna ἁμαρτίας, non potest esse conditio quædam naturalis ἕξεως. Sed hanc felicitatem diabolus ipsi invidit, ideoque odio Dei & invidia hominum impulsus, per *serpentem inobedientiam hominum operatus est*, ut loquitur Irenæus in præfat. lib. IV. p. 232. Diabolus *colubrum animal scilicet lubricum & tortuosis anfractibus mobile operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit, eoque per angelicam præsentiam præstantioremque naturam spirituali nequitia sibi subjecto & tanquam instrumento abutens fallaciam fermocinatus est fœminæ*, quæ sunt verba Augustini lib. XIV. de civ. Dei cap. 11. post medium. Insidiosa quæstione de mandati divini sensu ac certitudine fœminam exterius adgressus, interius animum ipsius venenatis spiculis vulnerat, & de comminationis additæ rigore dubitationem ei inspirat, mox dubitationem illam convertit in negationem, ac fallaci divinæ similitudinis promisso ad apostasiam sollicitat, unde fœmina contra expressum Dei verbum de fructu arboris vetitæ comedit, & in peccati socie-

A) *Diaboli seducentis malitia.*

Leibnitivm hanc de morte sententiam non excogitasse ipsum, sed a celeberrimo viro, Christiano Francisco Paullini didicisse, atque eodem anno cum Paullinio eandem in publicam lucem produxisse.

Ex sectatoribus *Leibnitii*, qui ejusdem de morte cogitata non tantum adoptarunt, sed & eandem subinde exornarunt, cumprimis nominari heic merentur Georg. Bernh. Bilfingervs in *dilucidat. philosoph.* § *CCXLV. seqq.* Jo Henr. Winckelervs in *institut. philos. universæ, part. I.* §. *836 — 843.* Pet. Sigorgnivs in *institut. Leibnitiennes*, Lugd. *MDCCLXVII.* editis, itemque Carolvs Bonnetvs, philosophus Genevensis, isque doctissimus qui systemati, raeformationis non tantum novam lucem adfudit, sed & speciatim placita de ultimis perpetuisque corporis humani staminibus uberius explicuit, variisque conjecturis, verb. grat. de *corpore calloso*, itemque de *materia æthereu* adauxit. Vid. ejus *Essai analytique sur l'ame, tom. II* § *726 — 754 p. 929 seqq.* nec non *la contemplation de la nature, tom. I. part. IV. c. XIII. p. 126. seqq.* ac denique *la palingenesie philosophique tom. I. part. I, II, III.* & *VII.* Adjungimus iisdem ex nostratibus philosophis ac theologis b. Jo. Gottl. Canzivm, in *meditationibus philosophicis, psychol. part. II. cap. VIII. p. 937 seqq.* ubi quaestionem: *utrum anima post mortem adjunctum sibi corpus sit habitura?* copiose pertractavit, sententiamque adfirmantem contra objectiones dissentientium vindicare adnisus est, b. Henr. Wilh. Clemmivm, in *der Einleitung in die Religion und gesammte Theologie, tom. VII. §. 441.* Godofr. Plovcqvetvm, in dissert. cui index: *problemata de natura hominis, ante & post mortem*, quae Tubingae *MDCCLXVI.* lucem adspexit *publicam*, & in *institut. philos. theoreticæ*, pariter Tubing. ann. *MDCCLXXII.* editis *p. 491. seqq.* Avgvstvm Frid. Boeckivm in sermone academico, itidem Tubingae habito typisque exscripto ann *MDCCLXVII. de corporibus organisatis*, nec non in dissert. sub ejusdem praesidio defensa, *de perpetuitate primorum corporis humani staminum*, Tubing. *MDCCLXX.* &, qui primo nominandus erat loco, theologum Tigurinum celeb. Jo. Casp. Lavatervm, in *den Aussichten in die Ewigkeit, part. I. epist. VII.* Vt complures alios heic taceamus. Addimus hoc unicum, b. Eliam Camerarivm, medicinae quondam apud nos professorem famigeratissimum peculiarem, *de exilio mortis Leibnitiano* edidisse dissertationem, lectu dignissimam.

cietatem etiam virum suum pertrahit, qui paulo post audire cogitur Gen. III. 19. *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Quamvis enim non statim post peccatum ex diaboli seductione perpetratum primus homo fuerit mortuus, tamen mors ei inflicta fuit, tum quoad *reatum*, quo morti obnoxius fuit factus, sicut maleficus morti adjudicatus in carcere aliquandiu adhuc vivit. Theodoretus ex Symmacho q. 38. in Genes. verba comminationis: *morte morieris*, sic παραφράζει. *Mortalis eris & singulis diebus exspectabis mortem:* tum quoad *moriendi necessitatem*, quam per peccati reatum incurrit, tum quoad *initia mortis* corporalis in fame, siti, frigore, lassitudine, morbis & variis adversis, quæ velut agmine facto in ipsum incurrere cœperunt. Sic ergo ex immortali homo factus est mortalis, & ex throno vitæ in barathrum mortis est a diabolo seductore detrusus.

§. XXVIII. II.) Ex *diserta Salvatoris adsertione.* Joh. VIII. 44. *Diabolus est ἀνθρωποκτόνος ab initio.* Scopus Salvatoris est demonstrare, Judæos vitæ ipsius insidias struentes esse filios diaboli, non natura scilicet sed vitio, *non quia diabolus eos creavit aut genuit, sed quia persuasit ac tenuit*, ut recte monet Augustinus tract. LII. in Joh. Probat id ipsum Salvator ex eo, quod *desideria diaboli patris sui quærant perficere, qui fuerit ἀπ' ἀρχῆς ab initio*, scilicet ratione initii defectionis, non autem creationis, *homicida*, id est, qui primum hominem ad vitam immortalem a Deo conditum in peccatum & per peccatum in mortem præcipitem dederit, atque hac ratione maximum homicidium commiserit. Quidam existimant, Salvatorem ad fratricidium Caini respicere, ad quod diabolus eum impulit, 1. Joh. III. 12. sed quia diserte additur, quod *ἀπ' ἀρχῆς a primo statim initio* diabolus sit homicida, & quia ἀνθρωποκτονία illi, non ut causæ impulsivæ, sed ut efficienti principali tribuitur, ideo rectius de seductione primorum parentum, per quam morti facti sunt obnoxii, intelligitur. Augustinus lib. II. contra literas Petilianic. 13. *Quærimus, unde fuerit diabolus homicida ab initio, & inventmus, quod primum hominem occiderit, non gladium stringendo, aut aliquam vim corporaliter infligendo, sed persuadendo peccatum & a parad si felicitate dejiciendo.* Lib. I. de Gen. ad lit. cap. 16. *Homicida ab illo initio, ex quo homo potuit occidi, non autem potuit occidere, antequam esset, qui occideretur. Ab initio ergo homicida diabolus, quia ipse occidit hominem primum, ante quem nullus hominum fuit.*

§. XXIX. III.) Ex *libri Sapientiæ consensione.* Sap. II. 23. *Deus creavit hominem ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ*, vel ut alii codices legunt, *ἐν ἀφθαρσίᾳ, & imaginem propriæ similitudinis fecit eum.* v. 24. *Invidia autem diaboli mors intravit in mundum.* Quamvis vero liber Sapientiæ non sit in canone, ac proinde ad fidei dogmata confirmanda minus efficax, tamen cum hæc assertio canonicæ scripturæ testimoniis sit omni ex parte congrua, ideo merito etiam ad hunc locum ut secundarium fundamentum refertur. Notetur autem oppositio. Deus quidem creavit hominem ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ, ut potuerit esse omnis corruptelæ ac mortis expers, sed diaboli, qui est ἀσπονδος Dei hostis, invidia mors in mundum intravit. Causa invidiæ ea fuit, quod sciens se propter *apostasiam in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservari, ac rudentibus inferni detractum in tartarum ad cruciatum esse traditum*, 2. Petr. II. 4. Jud. v. 6. homini ad vitam beatissimam condito felicitatem illam inviderit, eumque malorum suorum socium expetiverit. Augustinus serm. XIV. de verb. apost. hoc observat, quod non dicantur homines in diabolo peccasse, & per peccatum morti obnoxii facti, sicut in Adamo peccasse dicuntur Rom. V. 12. sed quod diaboli invidia mors in mundum intrasse dicatur. *Constat*, inquit, *in catholica fide, quod diabolus nec generaverit nostram naturam, nec condiderit, sola in illa seductio est præcedentis, imitatio consequentis. Denique quomodo dictum est de Adam, in quo omnes peccaverunt. Aliud est illo præcedente & seducente peccare, aliud in illo peccare, quia secundum*

cundum propaginem carnis in illo eramus omnes, antequam nati essemus, tanquam in parente tanquam in radice est venenata arbor, ibi eramus. Nam quia ad diabolum, hoc est, principem peccati & vere primum peccatorem, non pertinet origo, sed imitatio, cum de illo scriptura loqueretur, invidia inquit diaboli mors intravit in orbem. Imitantur autem eum, qui sunt ex parte ipsius. Imitando eum fiunt ex parte ipsius. Numquid dictum est in illo peccaverunt? cum vero de Adam diceretur propter originem, propter posteritatem, propter propaginem viscerum, in quo omnes, inquit, peccaverunt.

§. XXX. IV.) Ex *diaboli denominatione.* Hebr. II. 14. de diabolo dicitur, quod *habeat κράτος τῦ θανάτυ, imperium ac robur mortis*, id est, quod per peccatum homines sub regnum ac jugum suum redegerit, ut morte illos mulctare possit, sicut victor captivos morti destinat. Christus autem per mortem, quam pro nobis sustinuit, & per eam pro peccatis nostris satisfecit, abstulit diabolo dominium illud mortis, quod in corpus & animam hominis habebat, ut sic, quia per mortem diabolus dominabatur, Christus per mortem suam duplicem nostram mortem destruxerit. Observa autem, diabolum habuisse mortis imperium non eo modo, quo legitimus aliquis magistratus, rex aut princeps imperium in suos subditos habere dicitur, sed quo modo tyrannus per injustam occupationem regnum sibi adquirit, vel quo carnifex habet imperium in eos, qui morti propter facinora sua adjudicati & ipsius potestati traditi sunt. Diabolus enim nunquam in homines habuit legitimum aliquod dominium jure ad ipsum pertinens, sed Deus justus judex homines propter peccatum diabolo tanquam carnifici morte mulctandos tradidit. Proinde sicut tyrannus destrui dicitur, quando potestate tyrannica privatur, quamvis ipse in vivis relinquatur, sic Christus etiam dicitur destruxisse diabolum mortis imperium habentem, quia ejus regnum & imperium destruxit, dum sua morte homines a potestate diaboli ac mortis liberavit, non quia substantiam diaboli in nihilum redegit. Ex quibus omnibus constat, diaboli seducentis malitiam recte statui primariam ac principalem mortis causam, ac proinde diabolum recte vocari *patrem mortis*, sicut Christus eum vocat *patrem mendacii* Joh. VIII. 44. Pii veteres vocant diabolum *mortis conciliatorem.* Topiarius lib. I. de nov. c. 4. *Invidia diaboli operata est deceptionem, deceptio transgressionem, transgressio inobedientiam, inobedientia peccatum, peccatum mortem.* Antonius Margarita in lib. de fid. Jud. refert, Judæis in more positum esse, ut quando aliquis mortuus est, omnia vasa aquis repleta effundant, dicunt enim, satanam in illis abluere cultrum, quo interfecit mortuum, quod ex 2. Reg XXV & 1. Paral. XXI. probare nituntur. Quod majores symbolice docuerunt, id illi tanquam proprie dictum accipiunt.

B) *Hominis delinquentis culpa.*

§. XXXI. *Altera* principalis mortis causa est *hominis delinquentis culpa.* Justus erat primus homo abstinere a fructu arboris scientiæ boni ac mali, addita mortis comminatione, sed quia divinam illam comminationem susque deque habuit, ac Deum creatorem suum præcepti illius transgressione offendere non dubitavit, ideo non faciente servo, quod erat præceptum, fecit Deus, quod servo erat comminatus. Aequissimum est, ut, cum animus noster sua voluntate discesserit a Deo, nolens & invitus a corpore suo sejungatur, ac jure homo delapsus est in mortem, qui & Deum, autorem vitæ, contemsit, & diabolo, mortis parenti, consensit. Hic primorum parentum lapsus est amplissima illa janua, per quam mors in totum mundum penetravit; est pixis illa Pandoræ, ex qua omne malum in homines propagatum; est venenatus ille fons, qui totum genus humanum infecit ac corrupit. Probatur hoc tum ex *historia lapsus Adamici*, tum ex *manifestis dictis apostoli.* Primus parens noster mandatum acceperat de non comedendo vetitæ arboris fructu,

cum adnexa mortis comminatione, Gen. II. 17. utique ergo mors est peccati effectus & consequens. Idem cum in peccatum prolapsus fuisset, ex ore Dei audivit mortis sententiam, Gen. III. 19. *In sudore vultus tui vescēris pane tuo, donec revertaris in terram, ex quo sumtus es, quia pulvis tu, & in pulverem reverteris;* ubi homo dicitur *pulvis* non ratione animæ, nec ratione primævi status & conditionis, quam corpus ejus ante peccatum habuit, quia illud dono immortalitatis fuit præditum, sed ratione primæ originis, quia corpus ex limo terræ & sic ex pulvere fuit formatum, ac reversio in pulverem homini in peccatum prolapso denunciatur, non quasi homo in statum suum naturalem reciderit, sed quia homo per peccatum a statu suo naturali in alium præternaturalem voluntario errore descīverat; utique ergo mors est peccati consequens ac pœna, non conditio οὐσίας, sed pœna ἁμαρτίας. Peccatum iram Dei provocavit, ira Dei mortem mundo induxit. Sirac. XXV. 32. *A muliere initium peccati, & propter illud* (quidam referunt ad γυναῖκα, sed rectius refertur ad ἁμαρτίαν) *omnes morimur.* Confer loc. de imag. Dei §. LXXXII.

§. XXXII. Ex hoc fundamento deducta sunt pronunciata apostolica: Rom. V. 12. *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors pertranſiit,* ἐφ' ᾧ, *eo quod omnes peccaverunt.* Mundum hic appellavit apostolus universum genus humanum, docente Augustino in ench. cap. 26. in illud peccatum per *unum hominem*, per primum scilicet parentem, utpote caput & radicem humani generis, *intravit*, & *per peccatum mors*, tanquam ejus immediatum consequens & justissima pœna, *sicque in omnes homines mors pertranſiit;* ubi observanda elegans paronomasia in verbis εἰσῆλθε καὶ διῆλθε, ac notanda peculiaris emphasis posterioris verbi, est enim διῆλθε *pervasit*, eo modo, quo lues totam gregem pervadit atque inficit. Augustinus serm. IV. de verb. apost. *Pertranſiit. Verbum attendite, quod audiviſtis conſiderate. Videte, quid est pertranſiit, inde est parvulus reus, peccatum non fecit, sed traxit, etenim peccatum illud in fonte non manſit, sed pertranſiit, non in illum aut in illum, sed in omnes homines pertranſiit.* Particulam ἐφ' ᾧ plerique exponunt *pronominaliter, in quo*, scilicet Adamo primo homine, *omnes peccaverunt*, quia scilicet omnes erant in ejus lumbis, sicut in *Adamo dicuntur omnes mortui*, id est, morti facti obnoxii, 1. Cor. XV. 22. ac sicut Levi in *Abrahamo decimatus dicitur, in cujus lumbis erat*, Hebr. VII. 9. vel peccarunt in Adamo tanquam in communi stirpe, e qua omnes tanquam rami prodeunt. Sed quia ἐπὶ hoc sensu raro usurpatur, ac quia pendet hæc sententia a proxime præcedentibus verbis, in quibus nulla fit Adami mentio, referre autem *pronomen relativum* ad unum illum hominem, cujus in principio versiculi sit mentio, nimis durum & ἀνακόλουθον videtur; ideo simplicius exponitur *causaliter, eo quod omnes peccaverunt*, in qua forma ponitur Rom. VIII. 3. 2. Cor. V. 4. quo modo etiam Syrus reddidit. Interim fatemur circa verbum ἥμαρτον subintelligendum esse, quod omnes *in Adamo* peccaverint, id est, quod ex Adamo omnes trahant peccatum, per carnalem scilicet generationem, & hac ratione omnes morti sint obnoxii facti. *Mortis* autem nomine, quam apostolus per peccatum in mundum introiisse adserit, non potest intelligi duntaxat *mors animæ spiritualis* in aversione a Deo, ac in amissione divinæ gratiæ & inhabitationis consistens, quia apostolus distinguit inter peccatum & mortem, ac illud hujus causam constituit, jam vero peccatum & animæ mors realiter non differunt: nec potest tantum intelligi *mors æterna*, quia mortem illam, de qua loquitur, etiam in eos, qui non peccant ad similitudinem Adæ, in ipsos etiam infantes regnare scribit; intelligitur ergo proprie *mors corporis*, cui in se ac per se extra Christi gratiam consideratæ reatus mortis æternæ immediate est connexus. In eodem cap. 14. pergit apostolus: *Regnavit mors ab Adamo usque ad Mosen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudine prævaricationis Adam;* id

id est, effectus ipse, videlicet mors, tessatur etiam ante legem latam peccatum fuisse in mundo, cum infantes mortui fuerint, qui tamen non eo modo, quo Adam, plena scilicet ac deliberata voluntate peccaverunt, estque magna emphasis in verbis θάνατος ἐβασίλευσεν, id est, instar regis, qui hostes devicit, tyrannice in homines sæviit, quia vero *diabolus habet mortis imperium*, Hebr. II. 14. sensus est, quod diabolus per mortem regnaverit. v. 15. *Vnius delicto multi mortui sunt*, id est, propter lapsum unius, videlicet Adæ, omnes homines morti facti sunt obnoxii. v. 17. *Vnius delicto mors regnavit per unum.* v. 21. *Regnavit peccatum in morte.* Rom. VI. 23. *Stipendia peccati mors*, non solum æterna, sed etiam temporalis, adeoque etiam omnes caduceatores ac nuncii mortis temporalis, unde apostolus in *plurali* loquitur τὰ ὀψώνια, eo quòd uno *mortis* vocabulo comprehendantur multæ species pœnarum ac mortis. Ὀψώνια proprie dicuntur cibaria quædam & lautitiæ, quibus milites adliciebantur, qui ventris gulæque causa vitam habebant venalem. Revocamur igitur ab apostolo ad considerationem lapsus Adamici. Primus parens noster & nos in ipso sub vexillo diaboli contra Deum rebellionem cœperat fructu vetitæ arboris inescatus, quale vero retulit stipendium? mortem temporalem & æternam. Rom. VII. 24. optat se liberari *a corpore mortis hujus*, quod a quibusdam sic exponitur, ut *pronomen τούτου* referatur non ad propinquius θανάτου, sed ad remotius σώματος, ut sic σῶμα θανάτου, vocetur, quia est θανάτῳ ὀφειλόμενον, obnoxium morti propter peccatum in eo adhuc habitans, v. 17. quia duo illi venenati vermes, peccatum & mors, in corpore nostro habitant, quamdiu hic vivimus. Quidam accipiunt dictum μετωνυμικῶς, ut per mortem intelligatur naturæ corruptio, quæ mortem in nobis operatur, sicut Rom. VI. 6. σῶμα τῆς ἁμαρτίας ponitur, ac Col. III. 5. membra hujus corporis enumerantur, quo sensu accipit Ambrosius in comment. Sic ergo diceretur *corpus mortis*, id est, peccati, quod est causa mortis, sicut Elisæi discipuli exclamant: 2. Reg. IV. 40. *Mors in olla*, id est, cibus venenatus causa mortis est in olla. Vtraque expositio ostendit, mortem peccati in carne habitantis consequens & effectum ab apostolo statui. Flacius in clavi sic exponit, *de corpore mortis hujus*, id est, a corpore hoc mortifero tam tetram peccati originalis pestem circumferente. Quidam sic exponunt *a corpore mortis hujus*, hoc est, de hac morte, videlicet de plaga hujus doloris, quam capio ex duello carnis & spiritus. Exod. X. 17. *Tolle a me mortem istam*, id est, plagam. Sed persistimus in prima explicatione. Rom. VIII. 10. *Si Christus est in vobis, corpus mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita propter justitiam.* Piscator per corpus intelligit id ipsum, quod antea dixerat *carnem*, quia opponit ei *spiritum*, existimat ergo, intelligi vitiositatem naturæ, quæ in corpore hæret, ut sit sensus: *Corpus est mortuum*, id est, peccatum in carne hærens majori ex parte exstinctum est, quod adtinet scilicet ad peccati formale ac reatum, ne ad peccatum nos impellere possit. *Spiritus* vero, id est, novitas vitæ, unde existit studium pietatis, *est vita*, id est, vivit, est actuosa & operosa *propter justitiam*, id est, quoad justitiam, ut impellat nos ad pias & justas actiones. Tossanus contra exponit de peccato nondum mortificato & exstincto. *Corpus*, id est, corrupta natura *est mortua*, id est, inepta ad omne bonum propter peccatum, cui dedita est; sed *spiritus*, id est, animus hominis quatenus est regenitus, *est vita*, id est, ostendit se vivum & efficacem per opera justitiæ, quæ Spiritus sanctus efficit. Sed quia apostolus utitur voce *corporis* ac particulam αἰτιολογικὴν *propter* usurpat, & quia in v. 11. proxime sequente consolationem resurrectionis adjungit, ex eo intelligitur, v. 10. de morte temporali, sive naturali, cui pii adhuc propter peccatum obnoxii sunt, ipsum agere, ut sit sensus: *Corpus mortuum est*, id est, moriendi necessitate constrictum, mortique obnoxium (non propter naturam vel ex necessitate naturæ, sed) *propter peccatum* in carne

adhuc hærens, quo modo etiam Augustinus lib. XIII. de civ. Dei cap. 23. exponit. Rabbi Salomon: *Homo est quasi folium, quod in paradiso ab arbore vitæ cecidit, quod dum vento tentationum rapitur & desideriorum flatibus levatur, suorum peccatorum pondere ad mortem trahitur.* 1. Cor. XV. 21. *Per hominem*, Adamum scilicet delinquentem, *mors.* v. 22. *In Adamo omnes moriuntur*, quia scilicet in eo omnes peccaverunt, id est, naturam peccato corruptam ab eo per generationem carnalem traxerunt. v. 56. *Aculeus mortis est peccatum*, quia nisi peccatum in carne nostra habitaret, mors non posset nos lædere ac pungere. Chrysostomus: *Fabricavit diabolus ensem, quem exacuit invidia, obtulit serpens, accepit homo, quo se ipsum jugulavit.* Photius: *Mors est merces, quam nobis per peccatum nostrum inobedientia nostra comparavimus.* Damascenus lib. III. orthod. fid. c. 1. in principio: *Per peccatum mors intravit in mundum, ὥσπερ τι θήριον ἄγριον καὶ ἀνήμερον τὸν ἀνθρώπινον λυμαινόμενος βίον, tanquam fera quædam agrestis & immanis humanam depopulans vitam.*

c) *Vindicis Dei ira.*

§. XXXIII. *Tertia* mortis causa est *vindicis Dei ira.* Quamvis enim Deus ratione *voluntatis antecedentis*, sive misericordis sit & φιλάνθρωπος, Tit. III. 4. φιλόψυχος, Sap. XI. 27. nec *delectetur morte morientis*; Ezech. XVIII. 23. unde etiam hominem non ad mortem, sed ad sui imaginem, Gen. I. 27. ac proinde ἐπ' ἀφθαρσίᾳ condidit, Sap. II. 23. ac diserte de ipso dicitur, *quod mortem non fecerit neque lætetur in perditione vivorum;* Sap. I. 13. tamen quia sapientissimo consilio homini proposuerat γυμνάσιον obedientiæ in prohibitione arboris vetitæ, ac mortis comminationem huic suæ prohibitioni adjecerat, ideo homini in peccatum prolapso non potuit non irasci, ac proinde ratione *voluntatis consequentis* seu judiciariæ, ut & respectu immotæ suæ veritatis non potuit non hominem propter peccatum morti adjudicare, cum non solum immota justitiæ regula, sed etiam infallibilis antegressæ comminationis veritas illud requirerent. Mors dupliciter consideratur: 1.) ratione *causæ promerentis*, eatenus non est a Deo, sed ab homine & diabolo; 2.) ratione *causæ decernentis & punientis*, eatenus mors est a Deo, tanquam justo judice ob peccata homines hac pœna adfligente. Deus simpliciter & per se mortem non fecit, sed ex justa retributione peccantibus irrogavit. Topiarius libr. I. de novis. cap. 2. *Mors privatio cum sit nomen tantum habens non essentiam, ideo Deus mortis creator dici non potest, quidquid enim Deum fecisse dicimus, habet essentiam*, (quod Esa. XLV. 7. Deus *tenebras creasse dicitur*, metaphorico sensu ac respectu remotionis contrarii accipiendum) *interim in pœnam peccati eam homini inflixit, & adversus illum mortis sententiam tulit.* Ipse enim est *ignis consumens* Deut. IV. 24. Hebr. XII. 29. coram quo peccatores sunt *instar stipularum*, sed aliud est ferre mortis sententiam, aliud esse mortis causam. Ad hanc mortis causam revocat nos Moses Psal. XC. 3. *Convertis hominem usque ad contritionem.* v. 7. *Consumti sumus in furore tuo, & in ira tua territi sumus.* v. 8. *Posuisti iniquitates nostras coram te, absconditum nostrum ad luminare vultus tui.* v. 9. *Quoniam omnes dies nostri declinaverunt propter iram tuam* Sir. XI. 14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & divitiæ sunt a Domino.* XVII. 1. *Deus creavit hominem de terra, & iterum convertit eum in illam.* Eadem causa in historia lapsus nobis proponitur. Postquam enim primi parentes diabolo auctore ac seductore in peccatum prolapsi fuerant, citantur ad Dei judicium, ac comminatio inobedientiæ proposita in memoriam ipsis revocatur. Quamvis vero propter intercessionem filii ac sponsionem plenariæ satisfactionis in plenitudine temporis præstandæ ab æterna morte absolvantur, & fide in promissum semen mulieris Deo reconcilientur; tamen εἰς μνημόσυνον in memoriale lapsus præcedentis, ac παίδευτηριον vitæ sequentis temporales calamitates, ac inter has etiam mors temporalis ipsis imponitur,

nitur, quando audire Adamus cogitur, *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Huc pertinet etiam dictum apostolicum 1. Cor. XV. 56. *Virtus peccati lex est*, quia lex, quæ est æterna & immota norma justitiæ divinæ, ostendit, accusat, arguit ac damnat peccatum in natura nostra hærens, & quia consequenter iram Dei adversus peccatum monstrat, propter quam morti obnoxii reddimur, ideo *virtus peccati* ab apostolo vocatur. De hac mortis caussa sic differit Augustinus lib. I. hypogn. circa medium: *Numquid cum delinquentibus mortem futuram prædixisset, quod futurum erat, ipsum feciſſe credendum est? Quid enim eam cavendam præmonuit, si ejus in eorum occasu factor est ipse? sed nec eis per diabolum venientes peccantibus succedere voluisset, nisi Dominus in judicio justo in vindictam propter inobedientiam permisisset.*

§. XXXIV. Atque hæ sunt *veræ, principales, primæ ac remotæ* caussæ mortis. *Propinquæ & intermediæ caussæ* sunt vel *internæ* vel *externæ*. *Interna* est caloris nativi defectus. Quia enim corpus humanum ex quatuor elementis compactum, quorum qualitates perpetua quadam actionis & passionis reciprocatione in se agunt, inde humorum in corpore humano δυσκρασία ac intemperies oritur, quam vel ex caloris nativi languore ac defectu, vel ex humidi radicalis suffocatione tandem mors consequitur. *Externæ mortis caussæ* sunt, quæ extrinsecus homini accidunt ac mortem ei inferunt, ut sunt aër pestilens, ignis comburens, aqua suffocans, gladius amputans, laqueus guttur constringens, animalia venenata mordentia &c. Scaliger exerc. CCCLII. *Vita nostra est actus animæ, in quem nihil habet tempus juris aut imperii, sed cœli faciunt impressiones, eorum motus varii varias, quibus corpus nostrum ad intemperiem evehatur, qua ex prolapsione ineptum fit ad animæ conjunctionem. Itaque ejus separatio mors dicitur.* Bonaventura lib. II. sent. dist. 19. q. 5. *Mors tripliciter potest homini contingere, aut per elementorum pugnam & dissolutionem, id est, elementorum qualitates sive qualitates primas, aut per humidi radicalis consumtionem, aut per extrinsecam læsionem.* In hisce intermediis & proximis mortis caussis perquirendis medicina ac philosophia occupata est, neque potest humana ratio ex suis principiis altius adsurgere, sed verbum Dei tradit nobis hanc doctrinam, quod primum hominem ad immortalitatem conditum contra omnes interitus ac dissolutionis caussas sufficienter Deus munierit. Contra pugnam primarum qualitatum elementarium data erat homini æquabilis & exacta medietas temperamenti, cum in ipso fuerit totius naturæ integritas ac rectitudo, Eccl. VII. 30. Contra caloris nativi & humidi radicalis defectum data ipsi erat arbor vitæ, cujus fructus in humore primigeniam puritatem conservabat, & calorem nativum corroborabat. Contra extrinsecas mortis caussas muniverat Deus hominem per paradisi inhabitationem ac felicissimi status collationem, per connatam homini prudentiam, per fidam angelorum custodiam, ac per specialem Dei erga ipsum curam ac providentiam. Proinde nisi primi homines venenum peccati ab infernali serpente sibi propinatum voluntaria insania hausissent, nec extrinsecæ nec intrinsecæ mortis caussæ in ipsis vel ipsorum posteris locum habuissent.

§. XXXV. Respectu intermediarum ac proximarum caussarum mors hominis a medicis distinguitur in *naturalem & violentam.* Naturalis mors est, cum humore ob continuum caloris pastum arescente, velut pabulo deficiente, calor flaccescit & tandem exstinguitur, perinde ut oleo deficiente lucerna. Hanc mortis speciem vocant μάρανσιν. Violenta est, cum casu aliquo vel humor detrahitur, vel calor violenta quadam oppressione exstinguitur, eaque vel interna, ut in veneno, ingluvie, immodica potus adluvione, quemadmodum cum nimium olei in lucernam infunditur, quam mortis speciem vocant σβέσιν: vel externa a caussa quadam extrinsecus agente, veluti cum ignis lapidibus ac multo cinere obrui-

tur. Aristoteles lib. de respir. cap. 7. *Mors alia violenta, alia naturalis est.* Violenta *cum principium est externum*, naturalis, *cum interius.* Cicero in Catone majore: *Adolescentes sic mori videntur, ut cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur, & quasi poma ex arboribus, si cruda sint, vi avelluntur, si matura & cocta, decidunt, sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas.* Theologi paulo aliter has mortis species definiunt. *Naturalem* enim vocant, quando homo vel virium in senio defectu, vel vi morbi divinitus immissi in lectulo suo mortem oppetit. *Violentam*, quando quis vel sibi ipsi voluntarie mortem conscisci, vel ab aliis e medio tollitur, sicut Abel interfectus a Caino, Johannes baptista ab Herode. Quidam addunt tertiam *singularem*, eorum, qui perierunt in diluvio, Sodomitarum, Core, Datan & Abiran &c. sed hæc ad speciem mortis violentæ reduci potest.

Quæritur 1.) de illis, qui pereunt morte violenta.

§. XXXVI. Quæritur hoc loco: 1.) *Quid de illis statuendum, qui violenta morte intereunt, an vitæ æternæ extorres simpliciter sint dicendi?* Photinianorum ea est opinio, *damnari universos, qui ob facinora jugulantur a carnifice, vel violenta seu cruenta morte intereunt.* Vide Sommerum in tract. anno 1583. edit. & in confut. senior. p. 69. 70. &c. cui errori opponimus: 1.) *exemplum latronis* cum Christo crucifixi & vere ad Deum conversi, Luc. XXIII. 42. 2.) *Universalitatem promissionum evangelicarum*, quæ fundatur in sufficientissimo Christi merito pro omnibus omnium hominum peccatis præstito, & in infinita Dei misericordia, qua omnium hominum salutem serio expetit. 3) *Efficaciam veræ ac seriæ pœnitentiæ*, quæ licet sera sit, per fidem in Christum, quæ est veræ pœnitentiæ anima, omnium peccatorum remissionem impetrat. 4.) *Evidens dictum Christi* Joh. VI. 37. *Venientem ad me non ejiciam foras.* Atqui si malefici pœnitentiam agentes non reciperentur in gratiam, quidam ad Christum venientes repudiarentur, nec constaret salvatoris pronunciato sua veritas, quod absit. 5.) *Aequalem latitudinem concionum legalium & evangelicarum.* Sicut per conciones legales omnes homines accusantur peccati, & rei statuuntur æternæ damnationis: sic vicissim per conciones evangelicas omnibus offertur gratia Dei, peccatorum remissio & vita æterna, Rom. XI. 32. modo agant pœnitentiam, & vere in Christum credant. 6.) Testatur *historia sacra* & experientia, etiam pios sapientissimo Dei consilio publicis calamitatibus in peste, obsidionibus, prœliis, captivitatibus, exsiliis, inundationibus, incendiis, &c. involvi; temerarium ergo fuerit, omnes, qui eo modo interierunt, æternæ damnationi adjudicare.

II.) *De illis, qui sibi ipsis manus inferunt.*

§. XXXVII. II.) *An qui sibi ipsis violentas manus inferunt, indistincte omnes sint damnandi?* Edidit hac de quæstione peculiare scriptum Andreas Celichius, theologus Megapolitanus, in quo ostendit, temeraria judicia in hisce casibus esse cohibenda. Quamvis enim αὐτοχειρία sit gravissimum peccatum pugnans cum *lege divina*, cum *lege naturæ*, cum *præceptis moralibus*, violatur enim fortitudinis officium, cum *politia*, quia tollitur civis reipublicæ, cum *jure civili*, quod αὐτοχείρας jubet esse infames &c. tamen absolute & indistincte omnes αὐτοχείρες non sunt temerario judicio damnandi. Vt enim Samsonis exemplum heroicum prætermittamus, constat, quosdam ex vi morbi omnem rationis usum impediente in se ipsos esse injurios, quia ad saniorem mentem postmodum reversi divina gratia ad peccati sui agnitionem perducuntur, & ad Deum iterum convertuntur. Testatur historia Jobi ac Jeremiæ, quanta sit vis dolorum ac tentationum, ob quam uterque diei nativitatis maledixit; interim Deus, qui dives est in misericordia, utrique hoc peccatum benigne condonavit, idem etiam extrema hominis suspiria exaudire potest, si id, quod ex gravitate morbi ac tentationum commissum, pœnitenti corde deflet. Adnotabo hac de re judicium Davidis Chytræi in lib. de vit. & morte p. 76. *Etsi*, inquit, *non possumus de pleris-*

risque, qui mortem sibi conſciverunt, aliter judicare, quam eſſe eos in diaboli poteſtate, a quo ad tantum ſcelus impulſi ſunt &c. tamen exempla aliqua exſtant, & in hac ipſa urbe (Roſtochienſi) *duo vel tria memini, ubi cives alioquin honeſti & honeſto genere nati, cum ſe lethaliter jam vulneraſſent, in illa ipſa perturbatione, ante mortem ad ſe redierunt, & indicia veræ pœnitentiæ non obſcura oſtenderunt. Vt enim latro in cruce extremo vitæ momento ad Deum converſus eſt, & Philippis cuſtos carceris extracto gladio ſe ipſum interfecturus ſubito pœnitentiam agit, & in naufragiis & aliis ſubitis caſibus multi ad Deum convertuntur, ita quosdam αὐτόχειρας inflicto jam vulnere lethali ad Deum redire conſtat. Non enim adbreviata eſt manus Domini, ut ſalvare nequeat, neque adgravata eſt auris ejus, ut non exaudiat quocunque tempore remiſſionem peccatorum fiducia Chriſti ſervatoris vero cordis gemitu petentes. Cum igitur judicium Dei de multis talibus arcanum & abſconditum ſit, ſolus enim Dominus novit, qui ſunt ejus, ut* Eſa. XXIV. *inquit; Secretum meum mihi, non debemus nec poſſumus de omnibus, qui violentas manus ſibi adtulerunt, quod pariter damnati ſint, certo judicare.* Conf. decad. V. conſil. Bidenbachii conſil 7. 8. 9.

Antitheſis errantium, 1.) *extra eccleſiam.*

§. XXXVIII. Errant circa mortis cauſſas: 1.) quidam *extra eccleſiam*, 2.) quidam *in eccleſia.* 1.) Extra eccleſiam. 1.) *Stoici*, qui mortis cauſſam ad inevitabilem fati neceſſitatem & ad æternam ſeriem cauſſarum neceſſario connexarum retulerunt, quorum ſententiam ſic exprimit Manilius:

Fata regunt homines, certa ſtant omnia lege.

2.) *Epicuræi*, qui caſu & fortuito homines ut naſci, ita etiam mori judicarunt, quorum ſententiam ſic exprimit Lucanus lib. II.

Sive nihil poſitum eſt, ſed ſors incerta vagatur,
Fertque refertque vices, & habent mortalia caſum.

Vtinam vero Stoicorum fatum & Epicuræorum fortuna extra eccleſiæ pomœria ſeſe continerent! at teſtis eſt experientia, in ipſo viſibilis eccleſiæ gremio, id eſt, in cœtu eorum, qui luce verbi revelati gaudent, Stoicorum & Epicuræorum furores a quibusdam foveri. Epicurææ certæ voces ſunt, quæ ex ore impiorum adnotatæ exſtant Sap. II. 2. *αὐτοσχεδίως ἐγεννήθημεν, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus, quoniam fumus eſt reſpiratio in naribus noſtris, & ſermo ſcintilla eſt in motu cordis noſtri.* v. 3. *Qua exſtincta cinis evadet corpus, & ſpiritus noſter diffundetur tanquam mollis aër.* Sed paulo poſt ſequitur v. 21. *ταῦτα ἐλογίσαντο καὶ ἐπλανήθησαν.* Quinimo quando extra verbi lucem corruptæ rationis judicio indulgemus, & juxta illud de morte ſententiam ferimus, natura omnes ſumus vel Stoici vel Epicuræi; declinamus enim vel ad ſyrtim fatalis Stoicorum neceſſitatis, vel ad charybdin cœcæ Epicuræorum fortunæ. 3.) *Aſtrologi ac genethliaci judiciarii*, qui ex conjunctionibus, oppoſitionibus ac motibus ſiderum mortem hominis dependere ſtatuunt, ac certo & determinate ex erecto nativitatis themate ejusdem tempus prædicere ſatagunt, quibus Auguſtinus lib. V. de civ. Dei cap. 1. circa finem opponit hoc immotum argumentum: *Quid eſt, quod nihil unquam dicere potuerunt genethliaci, cur in vita geminorum, in actionibus, in eventis, poſſeſſionibus, artibus, honoribus cæterisque rebus ad humanam vitam pertinentibus, atque in ipſa morte ſit plerumque tanta diverſitas, ut ſimiliores eis ſint, quantum ad hæc attinet, multi extranei, quam ipſi inter ſe gemini per exiguum temporis intervallum in naſcendo ſeparati, in conceptu autem per unum concubitum uno etiam momento ſeminati?* quod ipſum cap. 4. exemplo Eſavi & Jacobi declarat. Conf. Mirandulanus in opere contra aſtrol. & Scaliger exerc. CCLI. 4.) *Philoſophi gentiles*, qui in proximis & intermediis mortis cauſſis ſubſiſtunt, ac in *ὕλῃ νοσοποιῷ καὶ θανατοφόρῳ* conſideranda unice occupati, altiores & principaliores quasdam mortis cauſſas ſtatuendas vel inveſtigandas eſſe negant,

negant, qua ratione mortem hominis cum interitu ac παυολεθρίᾳ brutorum, a qua toto genere distincta est, confundunt, quodque per & propter peccatum ex diaboli seductione a primis parentibus perpetratum justo Dei judicio in naturam humanam ad imaginem Dei & ad immortalitatem conditam aliunde invectum est, illud homini æque ac brutis naturale esse perverso ac præposlero judicio statuunt. Conciliator Petrus de Apono diff. 113. probat, quod animal nequeat in æternum vivere, 1.) ratione *primæ & secundæ materiæ*, quia utraque est corruptionis principium, illud patere dicit ex lib. I. physic. hoc vero ex libris duobus de ortu & interitu. 2.) Ratione *formæ*, quia hæc ut est finita, ita finito tempore informat. 3.) Ratione *efficientis*, quia calor debilitatur, qui non semper id, quod optimum est, reponit. 4.) Ratione *finis*, quia omnium sublunarium mutatio requiritur.

II.) *In ecclesia.*

§. XXXIX. II.) In *ecclesia* circa hoc doctrinæ cœlestis caput 1.) errarunt olim *Pelagiani*, qui docuerunt, *hominem fuisse moriturum, etiamsi non peccasset.* Augustinus epist. CVI. & in lib. de hæres. ad Quodvult d. c. 88. *Ipsum Adam dicunt, si non peccasset, fuisse corpore moriturum, neque mortuum merito culpæ, sed conditione naturæ.* Argumenta ipsis opponenda exposuimus in loc. de imag. Dei. §. C. 2.) Ex *pontificiis* Augustinus Steuchus in adnot. Gen. II. scribit, *ex Adami lapsu genus humanum non corporis sed animæ mortem incurrisse, & fuisse homines morituros, etiamsi non peccassent.* Reliqui pontificii hominem primum immortalem fuisse concedunt; interim tamen immortalitatem illam in primo homine ante lapsum *donum supernaturale fuisse*, adeoque eum *per & juxta naturam mortalem fuisse* adserunt. Bellarminus de statu primi hominis c. 9. Pererius lib. V. in Gen. disp. de tert. hominis excell. p. 566. p. 619. cui errori, quæ opponenda sint fundamenta, in tract. de imag. Dei expositum fuit. 3.) *Photiniani* negant, primum hominem fuisse immortalem a Deo conditum, ex quo sponte sequitur, non ipsam mortalitatem, sed moriendi necessitatem esse peccati pœnam. Catechismus Racoviensis Germ. p. 21. *Adamus non est in immortalitate conditus.* p. 26. *Ne quidem sciri potuit ab Adamo immortalitatis via.* In prælectionibus Socini anno 1609. editis, & Heidelb. academiæ a Smalcio inscriptis ἐπιγραφὴ primi cap. sic habet: *Primus homo etiam ante lapsum natura mortalis fuit*, quam thesin septem argumentis confirmare nititur. Anno 1610. Racoviæ edita est disputatio Socini, quam de statu primi hominis ante lapsum cum Francisco Puccio anno 1578. habuit, in qua decem argumentis pro immortalitate primi hominis a Puccio adlatis respondere conatur, cumque Puccius defensionem suorum argumentorum susciperet, prolixam isti defensioni Socinus opposuit refutationem priori isti scripto adnexam. Ostorodus in inst. germ. c. 33. p. 268. Socini argumenta repetit. Smalcius disp. VII. contr. Frantz. p. 399. eamdem terit orbitam.

An primus homo ante lapsum fuerit immortalis? Affirmativa probatur X. argumentis.

§. XL. Quamvis vero plena & solida hujus quæstionis pertractatio ad alium locum, videl. ad doctrinam de imagine Dei in primo homine pertineat; tamen cum ad causas mortalitatis pernoscendas ejus cognitio plurimum conferat, ideo summatim ac breviter capita argumentorum Pelagiano ac Photiniano errori opponendorum adsignabimus. *Primum* ducitur ab *hominis ad Dei imaginem creatione.* Qui conditus est ad imaginem Dei, ille etiam immortalis est a Deo conditus; quomodo enim homo mortalis existens Dei immortalis imaginem in se exprimere potuisset? Basilius in hexaëm. hom. X. *Incorruptibile non figuratur corruptibili, & corruptibile non est imago ejus, quod est incorruptibile.* Jam vero homo conditus est *ad Dei imaginem.* Gen. I. 27. Ergo etiam immortalis a Deo conditus est; unde cum auctor libri Sapientiæ dixisset, hominem a Deo conditum ἐπ' ἀφθαρσίᾳ cap. II. 23. immediate per quamdam ἀιτιολογίαν subjungit, &

& ad imaginem propriæ similitudinis fecit illum. In Græco est εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτὸν, *imaginem propriæ suæ naturæ fecit eum.* 2.) A *mortis comminatione.* Quod comminationis loco tanquam pœna peccati & inobedientiæ homini denunciatur, non potest esse naturæ conditio. Atqui mors comminationis loco homini denunciatur. Gen. II 17. *Quacunque die comederis ex illa arbore, morte morieris.* Ergo. Nec potest excipi, *comminationem illam de morte æterna duntaxat loqui,* quia generalis locutio ostendit, intelligendum esse id omne, quod *mortis* nomine in scripturis intelligitur, id quod gemina illa mortis mentio innuit, ut superius ex Augustino docuimus. 3.) A *comminationis illius post lapsum exsecutione.* Cui post lapsum propter peccatum mortalitas & mors obvenit, ille non fuit per naturam ante lapsum mortalis. Gregorius Nyssenus de opif. hom. cap. 2. *Si Deus hominem a principio mortalem fecisset, nequaquam peccantem morte condemnasset, nam mortalem mortalitate nullatenus condemnat.* Atqui Adamo post lapsum demum propter peccatum mortalitas & mors obvenit. Gen. III. 17. *Quia comedisti ex illa arbore &c.* v. 19. *in labore vultus tui vescēris pane tuo, donec in terram revertaris, e qua sumtus es.* 4.) Ex *primævi status descriptione,* Gen. II. 25. Primi homines *erant nudi,* ergo corpora ipsorum non fuerunt frigori aliisve injuriis obnoxia, alias sine dolore & sanitatis detrimento non potuissent nudi ambulare, inde Sap. II. 23. dicitur, quod *Deus condiderit hominem ἐπ' ἀφθαρσίᾳ,* quod plus est quam ἐν ἀθανασίᾳ, quia excludit non solum mortem, sed etiam mortalitatem, adeoque omnem φθαρτικὴν κακότητα. 5.) Ex *causarum mortalitatis ac mortis remotione.* In primo hominis statu aberat omnis causa mortis physica. Aberat vis externa, quam in hominem, omnium creaturarum dominum a Deo constitutum nulla creatura exercere potuisset. Aberat fames & sitis, quam homo fructibus arborum paradisiacarum & potu fluminis sedare potuisset. Aberant morbi, quibus subjectus homo non fuisset. Aberat senium & debilitas a qua per fructum arboris vitæ præservatus fuisset. Hugo de S. Victore in Gen. II. *Deus munierat hominem per lignum vitæ & dextram potentiæ, ut posset non mori, intus portam negligentiæ per rationem humanam, extra portam violentiæ observans per divinam custodiam, ut nisi homo ratione abutens portam negligentiæ aperiret, nunquam per portam violentiæ aliquid ei noxium intraret.* Contra vero aderat exactissima temperamenti συμμετρία ac harmonia, præsto erat arbor vitæ, per quam humidum primogenium & calor nativus æquali bonitate usque ad constitutum vitæ animalis terminum reparari potuissent, aderat provida Dei cura & fida angelorum custodia, ut superius docuimus. Variant quidem veterum sententiæ de causa, cur Adam in statu innocentiæ potuerit non mori. Athanasius enim in orat. de incarnat. Verbi p. 60. dicit, *hominem secundum naturam corporis esse mortalem, sed non fuisse moriturum propter imaginem Dei, ad quam erat conditus.* Augustinus lib. XVI. de Genes. ad liter. cap. 19. immortalitatis causam *arbori vitæ* adscribit, quia ejus esus atque usus perpetuam hominis sanitatem effecisset. Quidam in *libero hominis arbitrio* causam quærunt, quod a Deo ita fuerit munitum, ut si vellet, posset omnia cavere & avertere, quæ vel intus vel foris mortem & corruptionem homini adferre possunt. Thomas part. I. q. 97. art. 1. existimat, id futurum fuisse *vi animæ, ex qua in corpus transitura fuisset plenitudo sanitatis & perpetuæ incorruptionis vigor.* Scotus lib. II. sentent. distinct. 29. negat, talem immortalitatis vigorem ab anima in corpus transfundi potuisse, sed *futurum quidem fuisse corpus dissolubile, nunquam tamen hominem fuisse moriturum, quia Deus præveniisset tempus dissolutionis transferendo eum ex hac vita in cælestem absque mortis interventu.* Interim in eo consentiunt, nec mortalitati nec morti primum hominem ante lapsum obnoxium fuisse, ac possunt pleræque illæ causæ, utpote subordinatæ, optima ratione conjungi. 6.) A *causarum mortalitatis & mortis adsignatione.*

Spiritus sanctus ubique causam mortis tribuit naturæ hominis non institutæ, sed destitutæ, id est, non ut a Deo facta est, sed ut veneno peccati per seductionem serpentis infecta est, Sap. II. 24. Rom. V. 12. 1. Cor. XV. 21. &c. quorum dictorum emphasin expendimus superius §. 32. Sic ergo ex illis scripturæ testimoniis concludimus: Quod est pœna peccati, & naturam destruit, illud primo homini integro tribui nequit. Mors & mortalitas est pœna peccati, ac naturam destruit. Ergo. Quod per peccatum in mundum intravit, illud ante peccatum in mundo non fuit, nec homini per naturam & ex creatione convenit. Atqui mors ac mortalitas per peccatum intravit in mundum. Ergo. Quod per diaboli invidiam intravit in mundum, illud homini non inerat ante lapsum per naturam. Sed mors ac mortalitas per invidiam diaboli intravit in mundum. Ergo. 7.) A *Christi redemtione.* A quocunque nos Christus liberavit, illud ipsum, si non peccatum est, peccati tamen supplicium est & pœna. Atqui Christus redemit nos a morte corporali, ac fecit, ut ea nobis esset veræ vitæ janua. Ergo mors corporalis, cum non sit pecccatum, fuit peccati supplicium, & per consequens, in primo statu ante peccatum locum non habuit. 8.) A *speranda vitæ æternæ restitutione.* Petrus Act. III. 21. in vita æterna exspectandam dicit ἀποκατάστασιν πάντων. Jam vero in vita æterna nec mors nec mortalitas locum habebit, Apoc. XXI. 4. Ergo, nec in statu integritatis locum habuit. 9.) Ex *animæ & corporis essentiali unione.* In quo per naturam est essentialis, perpetua & indissolubilis inter animam & corpus unio, illi mors non potest esse naturalis. Ratio *connexionis* pendet a definitione mortis, quod sit *separatio animæ a corpore.* Arqui in Adamo ante lapsum per naturam erat essentialis, perpetua & indissolubilis inter animam & corpus unio. Ratio pendet ex fine conditi hominis. Anima a Deo creatore sic condita erat, ut non solum ipsa esset immortalis, sed etiam ut in corporis domicilio perpetuum habitaret, quia non constituebat per se entis speciem completam, sed una cum corpore & in corpore integrum ac perfectum hominem. 10.) Ex *absurdorum consectione.* Si primus homo per naturam fuit mortalis ac morti obnoxius, consequens fuerit, comminationem mortis primo homini propositam fuisse inane terriculamentum, mortem non per invidiam diaboli & per hominis peccatum, sed per naturam a Deo conditam in mundum intrasse, ac proinde etiam Deum mortem fecisse, prodromos mortis, dolores & morbos homini ante lapsum molestos fuisse, cum posito consequente ponatur etiam antecedens, mortem non esse naturæ humanæ destructivam, sed potius conservativam, cum natura & naturale non intendat sui corruptionem, sed conservationem, Christum ipsum etiam naturaliter mori debuisse &c. Sed hæc omnia sunt absurda. Ergo & illud, ex quo talia consequuntur. Conjunge examen errorum Photinianorum de statu integritatis & peccati D. Hunnii, fratris nostri in Christo honorandi, & disputationem D. Derschovii, amici nostri singularis, de immortalitate primi hominis, ac refer ad hunc locum dicta piorum veterum. Augustinus lib. XIII. de civ. Dei cap. 15. *Inter Christianos, qui veraciter catholicam fidem tenent, constat, etiam ipsam corporis mortem non contigisse nobis lege naturæ, sed merito inflictam esse peccati, quia peccatum vindicans Deus dixit primo homini, in quo tunc omnes eramus, terra es, & in terram ibis.* Lib. de prædestinat. & gratia cap. 3. *Mors non naturæ conditio est, sed pœna peccati.* Lib. I. hypognost. circa medium: *Vt moriantur homines, pœna peccati est, ut revertantur ad vitam, Domini miserantis est.* Thalmudistæ ac Cabbalistæ in libro Schemoth Rabba super Exod. XXI. 1. rationem reddunt, cur dictio Tholedoth, id est, generationes, in universis bibliis, tantum bis cum pleno Vau scribatur, qua scilicet ante peccatum Adæ mors nondum fuerit in mundo, ideo Gen. II. 1. plene adhuc scribi, in cæteris vero defective: quia autem tempore Messiæ mors plane abolenda & destruenda sit vi vaticinii Esa. XXV. 8.

ideo

ideo in ejusdem genealogia Ruth. I. 18. iterum plene scribi.

Exceptio Photinianorum.

§. XLI. Excipiunt Socinus & Osiorodus d. l. (quibus se conjungit Timplerus in anthrop. c. 1. probl. 13.) *comminationem divinam* Gen. II. 17. *ac sententiam apostolicam* Rom. V. 12. *accipiendam esse non de naturali mortalitate, sed de ipsa morte ac moriendi necessitate. Poterat* (inquiunt) *Adamus, si non peccasset, quamvis natura mortalis, a morte Dei beneficio conservari, vel si mortuus fuisset, in vitam aliquando revocari, atque immortalis fieri. Peccatum igitur non mortalitatis naturalis, sed necessariæ mortis causa fuit. Resp.* Imo vero non tantum moriendi necessitas, sed ipsa etiam naturalis mortalitas ex peccato orta est, ut argumenta in medium adducta evincunt. Hæc duo *mortalitas* (ratione potentiæ propinquæ) & *mors*, nec ante lapsum nec post lapsum sejungi possunt, sed adamantino invicem inter se nexu cohærent. Qui est mortalis, illum oportet tandem fieri morti obnoxium, id quod ex ipsa comminatione divina intelligitur: *Quacunque die ex hac arbore comederis, morte morieris.* Aut mori significat, actu statim ipso interire, in ipso illo momento, quo peccatum committitur, exstingui, aut mortalem fieri, & in illum statum redigi, ut morti obnoxius reddaris. Si prius, comminationi divinæ non constabit sua veritas. Ergo posterius. Vnde Theodoretus verba comminationis, *morte morieris*, sic interpretatur, *mortalis eris, & singulis diebus mortem exspectabis.* Quod si ergo ex naturæ proprietate primus homo mortalis fuisset, ac propinquam mortis potentiam in se habuisset, utique illa potentia naturalis a causis naturalibus in actum deducta fuisset, ac proinde etiam ipsa moriendi necessitas in homine ante lapsum locum habuisset, unde Socinus sibi ipsi contradicens in scripto contra Puccium p. 201. diserte scribit, *mortalitatem illam Adami ex natura materiei, ex qua creatus fuit, necessario provenisse.* Et p. 267, *mortalitatem seu corruptibilitatem terrenæ conditioni, quæ Adamo semper propria fuit, necessario inhæsisse.* Vtique ergo non solum naturalis mortalitas, sed etiam moriendi necessitas fuit in primo homine ante lapsum. At hoc ipsum manifestis scripturæ dictis ac ipsorum Photinianorum hypothesi adversatur. Proinde quod Socinus dicit, *Adamum, si in statu integritatis mortuus fuisset, in vitam a Deo revocari ac immortalem fieri potuisse,* in eo & veritati & sibi ipsi fortissime contradicit; si enim ipsa mors est a peccato, ut docet veritas & concedit Socinus, quomodo quæso Adamus in statu integritatis ab omni peccato immunis persistens mortuus fuisset? est hoc oppositum in adposito. Quod vero adserit, *Adamum, si non peccasset, quamvis natura mortalem, a morte Dei beneficio conservari potuisse,* illud ambigue dicitur; proinde ad ambiguitatem illam explicandam ac removendam utimur sequentibus distinctionibus. Immortale aliquid dicitur potissimum quatuor modis: 1.) quod *essentialiter ac simpliciter, absolute, & omnimode, per suam naturam & essentiam est immortale*; hoc sensu *solus Deus* dicitur *habere immortalitatem*, Rom. I. 23. 1. Tim. I. 17. VI. 16. Jacob. I. 17. 2.) Quod *ex gratia creationis propter segregationem a materia, quæ corruptionis solet esse radix, est incorruptibile.* Eo modo angeli & animæ humanæ, utpote essentiæ ἄϋλοι & materiæ omnis expertes immortales a Deo sunt conditæ. Quamvis enim anima hominis corpori corruptibili uniatur, tamen propter illam unionem ac consociationem nec materialis nec corruptibilis ac mortalis redditur. 3.) Quod *per Dei potentiam & specialem ordinationem factum est incorruptibile, quamvis in se & sua natura consideratum, sit mortale ac corruptibile.* Sic corpora beatorum ac damnatorum erunt immortalia, illa quidem ex dono gratiæ, hæc ex dispositione divinæ justitiæ, cum tamen in sua natura considerata sint resolubilia, ac proinde etiam mortalia. 4.) Quod *ex conditoris dono & ex certa hypothesi potentiam non moriendi obtinet, nec actu moritur, quamvis alia conditione posita mori*

possit. Hoc modo Adamus in statu innocentiæ fuit immortalis, quia durante illo statu, actu non fuisset mortuus, quin & potentiam non moriendi obtinuisset, sed ut in peccatum potuit prolabi, ita quoque propter peccatum potuit mori. Adcurate igitur inter immortalitatem primi hominis in statu naturæ *institutæ*, & immortalitatem beatorum in statu naturæ *restitutæ* distinguendum. Illa consistebat in *potentia non moriendi*, hæc in *moriendi impotentia*, illa erat hypothetica, hæc absoluta immortalitas; illa excludebat & actum & necessitatem & propinquam potentiam moriendi, non autem remotam & conditionalem, hæc & actum & necessitatem & omnem omnino potentiam moriendi tam remotam quam propinquam excludit. Sicut primus homo poterat non peccare, ita etiam poterat non mori, interim tamen etiam poterat per abusum liberi arbitrii peccare, & per peccatum mortem sibi ac posteris suis adtrahere. Beati in vita æterna, ut non poterunt peccare, ita etiam non poterunt mori; ac proinde ut in bono, ita quoque in immortalitatis dono erunt plene confirmati. Augustinus lib. XXII. de civ. Dei cap. 30. *Sicut prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit, non posse mori: ita primum liberum arbitrium posse non peccare, novissimum, non posse peccare.* Lombardus II. sent. distinct. 19. lit. A. *In primo statu habuit homo posse mori & non mori. Et hæc fuit prima humani corporis immortalitas, scilicet non posse mori. In secundo vero statu post peccatum habuit, posse mori & non posse non mori, quia in hoc statu moriendi est necessitas. In tertio statu habebit posse non mori & non posse mori, quia ad illum statum pertinet moriendi impossibilitas, quod ex gratia erit, non ex natura.* litera D. *Alia est immortalitas carnis, quam in Adamo accepimus, alia, quam in resurrectione speramus per Christum. Ille factus est homo immortalis, ut non posset mori, si non peccaret, moreretur autem, si peccaret. Filii vero resurrectionis non poterunt ultra peccare nec mori.* Confer Meisnerum in anthropol. decad. I. disput. I. §. 36.

§. XLII. Vt autem *immortale* variis modis accipitur, ita quoque *mortale*. Dicitur enim aliquid mortale, 1.) vel ratione *potentiæ remotæ*, vel ratione *potentiæ propinquæ*. Priori sensu illud dici potest *mortale*, quod cum sit ex materia elementari compositum, remotam in se habet resolubilitatis, ac proinde etiam mortalitatis potentiam, quamvis illa δύναμις durante illo rei statu, nec ad potentiam propinquam nec in actum deducatur. Eo modo corpus primi hominis ante lapsum fuit mortale. Posteriori sensu *mortale* dicitur, quod potentiam moriendi propinquam in se habet, adeoque ad corruptionem naturaliter propendet, quæ naturalis inclinatio ad actum tandem deducitur. Hoc modo corpus primi hominis demum post lapsum mortale esse cœpit. 2.) Vel *absolute*, vel *hypothetice*. Mortale priori sensu dicitur, quod causis mortis internis & externis est obnoxium, ac nulla alia conditione posita moriendi potentiam obtinet; hoc modo corpus primi hominis ante lapsum non fuit mortale. Mortale posteriori sensu dicitur, quod causis mortis ac morti obnoxium non est, quamdiu in concreato statu persistit, interim posita quadam conditione, si scilicet excidat ab illo statu, morti obnoxium fieri potest. Hoc sensu corpus primi hominis etiam ante lapsum mortale dici potest. 3.) Vel κατὰ τὶ καὶ ἀκύρως de eo, quod potest mori posita quacunque conditione, vel ἁπλῶς *simpliciter & per se*, quod internum habet moriendi principium. Priori sensu illud dicitur mortale, quod qualemcunque δύναμιν moriendi etiam remotissimam includit, quæ tamen sanæ & recte se habente natura non traducitur in actum. Posteriori sensu mortale dicitur, quod ad mortem certo secuturam per continuam partium absumtionem naturaliter propendet. Priori sensu potuerunt primi homines mori, videlicet si peccarent, posteriori vero sensu non fuerunt mortales. Ex quibus omnibus facile intelligi potest, quo sensu vel orthodoxe vel minus recte dicatur, Adamum, quamvis natura mortalem, Dei beneficio a morte conservari potuisse. Augustinus libr. VI. de

de Geneſ. ad liter. cap. 25. *Corpus hominis ante peccatum & mortale ſecundum aliam & immortale ſecundum aliam cauſſam dici poterat, id eſt, mortale, quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori. Aliud eſt enim non poſſe mori, ſicut quasdam naturas immortales creavit Deus, aliud autem poſſe non mori, ſecundum quem modum primus homo creatus eſt immortalis, quod ei præſtabatur de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ, a quo ligno ſeparatus eſt, cum peccaſſet, ut poſſet mori, qui niſi peccaſſet, poſſet non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris. Si enim corpus animale, utique mortale, quia & mori poterat, quamvis & immortale ideo, quia & non mori poterat. Neque enim immortale, quod mori omnino non poſſit, erit niſi ſpirituale, quod nobis futurum in reſurrectione promittitur.* Idem in quæſt. ex vet. teſt. cap. 19. *Deus hominem fecit, qui, quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, ut ipſe ſibi auctor eſſet ad vitam aut ad mortem, ut cuſtodiens ſe a peccato, labore ſuo gauderet & eſſe ſe immortalem, negligens vero factus ipſe ſibi imputaret, quia cæperat eſſe mortalis. Quamdiu enim in creatoris lege duravit, dignus fuit edere de arbore vitæ, ut mori non poſſet. Nec enim corpus tale erat, quod diſſolvi impoſſibile videretur, ſed guſtus arboris vitæ corporis corruptionem inhibebat.*

Reſponſiones ad argumenta I horum, quorum I.) *dictum a primi hominis generatione.*

§. XLIII. Hæc omnia, ſi recte obſerventur, facili negotio ad Socini argumenta, quæ Oſtorodus ordine repetit, reſponderi poteſt. I. A *generatione. Primus homo etiam ante peccatum liberis procreandis a Deo conditore deſtinatus erat.* Gen. I. 28. *Qui autem immortales ſunt, liberos non procreant.* Luc. 20. 36. *Reſp.* 1.) Scriptura de primo homine ante lapſum utrumque aſſerit, videlicet quod immortalis fuerit, ac quod liberos gignere debuerit. Utrumque igitur de ipſo credi debet. 2.) Diſtinguendum inter ſtatum naturæ *inſtitutæ* & in vita æterna plene *reſtitutæ*, inter conditionem hujus ſeculi ante lapſum, & ſtatum futuri ſeculi poſt mundi conſummationem. Dictum Salvatoris non de priore, ſed de poſteriore ſtatu loquitur. Cum primi homines ad Dei imaginem, ac proinde ad immortalitatem eſſent conditi, nondum completus erat electorum ad ſalutem ordinatorum numerus, ideo ex Dei ordinatione liberos gignere debuerunt; ſed in reſurrectione ac ſtatu vitæ æternæ completus erit ſalvandorum numerus, ideo nulla opus erit generatione. 3.) Medium non eſt opponendum fini ſive termino *ad quem.* Terminus *ad quem* creationis primi hominis fuit vita cœleſtis ac æterna, medium vero vita animalis ac terrena; neque enim a Deo ad vitam æternam ita conditus erat primus homo, ut eam immediate poſſideret, ſed ut peracto prius in paradiſo terreno hujus vitæ curriculo ad illam eveheretur, hoc medium non eſt fini ac termino opponendum. 4.) Socini argumentum confundit proprietates corporis animalis & ſpiritualis. Qui ſunt immortales, ſcilicet in corpore ſpirituali, non procreant liberos, ſed qui ſunt immortales in corpore animali, illi liberos generare poſſunt. 5.) Immortalitas individui in primo homine non tollit multiplicationem ſpeciei; neque enim Deo placuit omnes homines ſimul condere, ſicut omnes angelos ſimul creaverat, ſed per generationem voluit humanum genus propagari, quod ipſum immortalitati in vita animali fraudi eſſe non potuit.

§. XLIV. II.) A *manducatione. Vbi immortalitas eſt, ibi eſcis ciboque non eſt locus*, 1. Cor. VI. 13. *At homo ante lapſum utebatur cibo*, Gen. I. 29. Idem argumentum latius explicat & acrius urget Gittichius in diſceptat. ſcholaſt. contra Lucium p. 51. *Quorſum fructum arboris vitæ & aliarum arborum, quibus veſcebatur, ſi vitam in ſe manentem habuiſſet Adam, an non nutritio eſt perditæ ſubſtantiæ per intrinſecus aſſumta alimenta reſtitutio? Si ergo* II.) *A manducatione.*

ille nutriebatur, subinde periisse aliquid de substantia ipsius necesse fuit, si hoc, fuit ergo corruptibilis, & ab ipsa creatione mortalis. Confer Socinum in anti-Pucc. p. 122. & 236. Smalcium in refut. Frantz. disp. VII. p. 405. *Resp.* 1.) Argumentum sic corrigimus: Quicunque vescitur cibo immortalitatem adferente, ille a morte se præservare, & immortalitatem concreatam tueri potuit. Adamus ante lapsum vesci potuit cibo immortalitatem adferente, fructibus scilicet arboris vitæ, quæ naturali atque occulta facultate vitam ipsius sanam ac vegetam conservasset, atque a debilitate, senio & morte ipsum præservasset, ut colligitur tum ex adpellatione hujus arboris, tum ex adpellationis interpretatione divinitus tradita Gen. III. 22. Augustinus lib. III. de civ. Dei cap. 20. *Alebantur primi parentes reliquarum arborum fructibus, ne animalia corpora molestiæ quid esuriendo ac sitiendo sentirent, de ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis undecunque subreperet, vel senectute confecti decursis temporum spatiis interirent.* 2.) Confunditur denuo status hominis ante lapsum & in vita futura. Dictum apostoli loquitur non de priore, sed de posteriore statu. Quamvis vero collatio quædam inter illos status instituatur, cum posterior respectu prioris dicatur ἀποκατάστασις, Act. III. 21. tamen adhuc manet quædam disparitas; alias corpus primi hominis statuendum foret glorificatum, spirituale & absolute, sive ἁπλῶς immortale. 3.) Si esus cibi semper conjunctam habet mortalitatem, consequens erit, Christum etiam post resurrectionem fuisse natura mortalem, cum & ipse aliquoties apud discipulos cibo fuerit usus. Sed posterius dici nequit. Ergo nec prius. Photiniani quidem statuunt, Christum resurrexisse in corpore mortali, sed hæc hypothesis falsa & erronea ex Rom. VI. 9. & aliis scripturæ locis refelli potest. 4.) Immortalitas & animali & spirituali corpori competit, sed diversimode, ut paulo ante expositum fuit. Immortalitas in corpore spirituali opponitur usui ciborum, sed in corpore animali eidem subordinatur. Prior immortalitatis species in statu gloriæ est absoluta, posterior in statu innocentiæ est hypothetica.

§. XLV. III.) A *corporis conditione. Omne corpus animale est mortale*, 1. Cor. XV. 44. ubi *corpus animale illud vocatur, quod prius vile, corruptibile & mortale fuerat dictum, idque a spirituali discernitur, quod glorioſum, incorruptum & immortale ibidem dicitur. Jam vero Adamus etiam ante peccatum habuit corpus animale.* Gen. II. 7. 1. Cor. XV. 45. *Resp.* 1.) *Majorem* limitamus. Corpus animale est mortale, scilicet post lapsum, hanc enim limitationem addendam esse, colligitur ex Gen. III. 19. ubi post lapsum demum homini dicitur: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* 2.) Corpus animale non opponitur corpori immortali, sed corpori spirituali, cum immortalitas utrique sit communis, certo tamen gradu ac respectu. Corpus animale est, cui vitam sensum ac motum præstat anima, scilicet ad constitutum aliquem hujus vitæ cursum, in quo homo interim indiget cibo ac potu. Corpus spirituale est, quod præditum est qualitatibus spiritualibus, nec indiget amplius cibo & potu. Augustinus de fid. & symbol. cap. VI. *Corpus spirituale est, quod spiritui promtum præstabit obsequium, omni fragilitate ac labe terrena in cœlestem puritatem & stabilitatem mutata & conversa.* Animale corpus per naturales animæ operationes regitur ac sustentatur; spirituale per spiritum citra cibum, potum, concoctionem &c. regitur. Illud est hujus, hoc vero futuræ vitæ proprium. Vtrique tamen immortalitas, diversa licet ratione, competit. 3.) Apostolus loquitur de statu Adæ & qualitatibus corporis ejus post lapsum, quando factus est humani generis parens, & corpus non solum animale ex naturæ conditione, sed etiam mortale ex præcepti divini transgressione factum in nos propagavit. 4.) Quamvis igitur Adamus in prima statim creatione factus fuerit in animam viventem, ac proinde etiam ante lapsum corpus animale sortitus fuerit, illud tamen nondum

III.) *A corporis conditione.*

dum fuit mortale, sed post lapsum demum mortalitatis conditioni subjectum fuit, ac proinde *non mortalitatem*, sed, ut sic loquar, *animalitatem* corporis Adamici apostolus ex dicto Geneseos probat.

IV.) *Ex imaginis gestatione.*

§. XLVI. IV.) Ex *imaginis gestatione. Primus homo, antequam peccaret, jam erat terrenus, nempe quia e terra formatus fuerat. Sed nos in eo, quod morimur & corrumpimur, imaginem primi hominis, quatenus terrenus erat, portamus. Ergo primus homo, quatenus terrenus fuit, mortalis censendus est, & sic etiam antequam peccaret. Resp.* 1.) Si vel maxime de statu hominis ante lapsum apostolus ageret, nihil obtinerent Photiniani, primus enim homo terrenus diceretur non propter mortalitatis conditionem, quia contrarium ostendunt argumenta superius producta, sed tum propter *originem*, quia ex limo terræ formatus erat, tum propter *habitationem*, quia in peradisum terrenum collocatus erat, ac vitam in his terris aliquamdiu exigere debebat, antequam in cœlestem paradisum & in statum futuræ vitæ transferretur. 2.) Quo sensu primus homo dicatur terrenus, ex antithesi apostolica 1. Cor. XV. 47. omnium optime colligitur. Quemadmodum enim secundus homo Christus dicitur *Dominus de cœlo*, ratione *originis*, quia de cœlo quasi in nostram carnem sese demisit, Luc. I. 78. sic etiam Adamus e contrario dicitur terrenus, quia ex terra formatus est. 3.) Ex toto contextu manifestum est, apostolum non loqui de statu Adami ante lapsum, sed de statu ejusdem post lapsum, ac utrumque complecti, tum quid Adamus obtinuerit ex beneficio creationis, tum quid contraxerit ex vitio transgressionis, utrumque enim in nos per carnalem generationem in hac vita propagat. Terrenus est, tum ratione *ortus*, tum ratione *qualitatum vitiosarum* ex lapsu contractarum, quas etiam in nos omnes propagat, ut imaginem terreni hac ratione gestemus. 4.) Scopus apostoli est, demonstrare, a diversis principiis diversas vitas in nos propagari, perinde ut in Roman. V. eadem *ἀντιθέσει* utitur. Ab Adamo in peccatum prolapso animalem & transitoriam, a Christo cœlestem & æternam vitam consequimur; ab illo quidem per carnalem generationem, ab hoc vero per spiritualem regenerationem. Sicut Adamus in peccatum prolapsus mortem & corruptionem in nos derivavit: sic Christus resurrectionem ad vitam & corporum *ἀφθαρσίαν* nobis promeruit.

V.) *A Christi redemtione.*

§. XLVII. V.) A *Christi redemtione. Si peccatum mortalitatem naturalem homini adtulisset, Christus, qui peccatum abstulit, ejusque propriam vim omnem ac pœnas illi proprie constitutas delevit, mortalitatem quoque naturalem abstulisset ac delevisset, quod tamen non fecit. Cum primus homo diaboli opera peccaverit, quidquid ex peccato illo vere profectum est, opus diaboli censeri debet. Atqui Dei Filius adparuit, ut dissolveret opera diaboli*, 1. Joh. III. 8. *igitur si ex peccato illo mortalitas naturalis revera profecta esset, eam quoque Filius Dei dissolvisset. Resp.* 1.) Per *instantiam*: Christus juxta Socini hypothesin mortem naturalem sive temporalem non abstulit, nec delevit, cum omnes homines illi adhuc sint obnoxii, tam pii quam impii. Vt enim Socinus ex eo, quod adhuc mortales sumus, infert, Christum non abstulisse naturalem mortalitatem, ita ex eodem principio inferri potest, Christum non abstulisse mortem, quia omnes morimur. Jam vero concedit Socinus, peccatum esse causam necessariæ mortis, mortem esse opus diaboli ex peccato primi hominis vere profectum. Agnoscat igitur, non posse sic inferri: si ex peccato mortalitas naturalis revera profecta esset, eam quoque Filius Dei dissolvisset; possemus enim eodem modo contra Socini hypothesin inferre: si ex peccato mors ipsa revera profecta fuisset, eam quoque Filius Dei dissolvisset. 2.) Per *inversionem*: A quocunque nos Christus sua passione ac morte liberavit, illud ipsum non est concreata hominis conditio, sed malum ex peccato ortum, ac proinde

inde in statu integritatis non habuit locum. Jam vero Christus a mortalitate & morte nos liberavit, ut ex manifestis scripturæ dictis paulo post demonstrabimus. Ergo mortalitas & mors non est concreata hominis conditio, sed malum ex peccato ortum. 3.) Per *inficiationem*. Negamus illud, quod tam confitenter adserit Socinus, Christum non abstulisse nec deleviſſe mortalitatem, nec dissolvisse opus diaboli ex peccato ortum. Progredimur autem in demonstranda adsertione contraria hoc modo: Vti eadem est ratio mortalitatis & mortis ante lapsum, ita quoque post lapsum. Vt enim non solum mors, sed etiam mortalitas in statu integritatis a primo homine penitus abfuit; ita quoque non solum mors, sed etiam mortalitas per peccatum in mundum introiit. Jam vero Christus derivando in se pœnas ex peccato ortas sustulit illud omne, quod ex peccato ortum. Ergo non solum mortem, sed etiam mortalitatem naturalem a nobis sustulit. Vtrumque constat ex manifestis scripturæ dictis: Oseæ XIII. 13. *Ero pestis tua, ὁ μορς*; utique ergo Christi mors est mors nostræ mortis. 1.Cor. XV. 21. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* v. 22. Et *sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* v. 26. *Novissimus hostis destruetur mors.* 2. Tim. I. 10. *Christus mortem destruxit, in lucem autem produxit vitam & ἀφθαρσίαν*, ubi respectus habetur ad opus creationis, ut sit sensus, Christum eadem virtute mortem aboleviſſe ac vitam promeruisse, qua olim ex tenebris lucem in prima creatione produxit. Probe autem observandum, quod apostolus vitam & incorruptibilitatem sive immortalitatem conjungat, ac utrumque Christum nobis adtulisse adserat, utique ergo non solum mortem, sed etiam mortalitatem a nobis abstulit. Hebr. II. 14. *Per mortem destruxit eum, qui habebat imperium mortis, hoc est, diabolum.* v. 15. *Ac liberavit eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* 4.) Idem probatur ex enumeratione specierum mortis. Liberavit nos Christus a *morte animæ*, quia pro peccatis nostris satisfecit, ac Patri suo cœlesti nos reconciliavit, ut non amplius simus *abalienati a vita Dei*, Eph. IV. 18. sed spiritualis illius vitæ participes facti. Liberavit nos a *morte corporis*, quia ex illa morte in vitam nos revocabit, & hostem illum noviſſimum tandem penitus destruet. Liberavit nos a *morte æterna*, ne in eam per corporis mortem incidamus, sed *ex morte in vitam transeamus*, Joh. V. 24. nec mortem illam æternam *videamus* vel *gustemus*, Joh. VIII. 51. 52. 5.) At, inquis, *si Christus a mortalitate ac morte nos redemit, cur igitur non solum mortales adhuc sumus, sed morti etiam obnoxii tandem ipso actu reddimur. Resp.* Quemadmodum liberationi a peccato per Christum nobis præsitæ non repugnat, quod peccatum in carne adhuc circumferimus, nec liberationi a potestate satanæ, quod ejusdem tentationibus in hac vita adhuc obnoxii sumus, nec liberationi ab ira Dei, quod eamdem quandoque in conscientiæ angoribus sentimus; ita quoque liberationi a morte per Christum nobis præsitæ nequaquam repugnat, quod morti temporali adhuc obnoxii sumus, quia beneficia Christi non concludenda sunt angustiis hujus vitæ terminis, sed in ipsam æternitatem sese extendunt. Liberavit nos Christus a morte multis ac variis modis. Primo, *timorem mortis in nobis exstinguendo*, Hebr. II. 15. cum enim peccatum *stimulum mortis* sustulerit 1. Cor. XV. 56. ideo non amplius mortem temporalem tanquam peccati supplicium & æternæ mortis initium per totam vitam extimescimus, sed potius ut veræ vitæ januam cupide desideramus. Secundo, *mortem in aliquid melius commutando.* Quamvis enim post peccatum remissum paterna illa castigatio adversitates hujus vitæ & mortem temporalem nobis infligens adhuc maneat, tamen mors non obtinet pristinam suam naturam & qualitatem, quam extra Christi satisfactionem ac meritum habuit, sed mutatur piis & in Christum credentibus in suavem somnum & veræ vitæ exordium, in peccati exterminium & omnium malorum levamentum. Tertio, *in media morte vivifica consolatione nos sustentando*, ac denique quarto, *corpus*

corpus noſtrum ex terræ pulvere reſuſcitando, in qua reſurrectione plena atque integra ex morte victoria & perfecta ἀφθαρσία per Chriſtum nobis continget. Joh. VI. 39. XI. 25. 1. Cor. XV. 25. &c. Atqui ſi Chriſtus a morte & mortalitate nos nequaquam liberaſſet, nunquam illius veræ vitæ & ἀφθαρσίας participes redderemur.

VI.) *Ex arboris vitæ conſtitutione.*

§. XLVIII. VI.) Ex *arboris vitæ conſtitutione. Si primus homo, antequam peccaret, fuiſſet natura immortalis, quid opus fuiſſet propter eum vitæ arborem eique ad comedendum tradere?* Gen. II. 17. *Reſp.* 1.) Per *inverſionem.* Quia inter cæteros paradiſiacos fructus fuit arbor vitæ, quæ naturali atque occulta facultate vitam hominis conſervandi, vires vegetas præſtandi, ac a debilitate, ſenio & morte ipſum præſervandi fuit inſtructa, ex eo colligitur, primum hominem non fuiſſe mortalem, ſed immortalem. Quidam ex veteribus non naturalem ac nativam quamdam vim corroborandi vires, ſed ſacramentalem duntaxat ſignificationem tribuunt. Quidam ſtatuunt, lignum illud vitæ eam vim habuiſſe, ut vel ſemel guſtatum perfectam adferret immortalitatem, ideoque non ante ſumendum fuiſſe, quam transferendi eſſent homines de ſtatu gratiæ in ſtatum gloriæ. Neutra hypotheſis Socini argumentum confirmat. 2.) Per *conceſſionem.* Si primus homo ab uſu fructuum paradiſiacorum, ac præſertim arboris vitæ penitus abſtinere voluiſſet, procul dubio morti obnoxius factus fuiſſet. Lombardus lib. II. ſent. diſt. 19. *Sicut peccavit comedendo, quod erat prohibitum, ita etiam peccaret, ſi non comederet, quod erat juſſum.* Sed ex eo inferri nequit, ipſum natura mortalem fuiſſe, quia hac ratione Adamus contra ordinem divinitus inſtitutum peccaſſet, cum de fructibus arboris comedere juſſus fuerit, unica arbore ſcientiæ boni & mali excepta, ſic ergo non ex *naturæ conditione*, ſed *ordinis divini tranſgreſſione* mortalis fuiſſet factus. 3.) Per *diſtinctionem* inter immortalitatem in ſtatu integritatis ac primævæ creationis, & inter immortalitatem in ſtatu glorificationis, ut & inter mortalitatem abſolutam & hypotheticam, inter potentiam moriendi remotam & propinquam, de quibus diſtinctionibus ſuperius actum fuit.

VII.) *Ex cauſarum enumeratione.*

§. XLIX. VII.) Ex *cauſarum enumeratione. Cum omnes cauſæ efficientes mortalitatis noſtræ naturalis, ſive in nobis ſive extra nos ſint, jam antequam primus homo peccaret, exiſterent, non minus quam poſtea; neceſſe eſt, ut ipſe etiam effectus mortalitatis naturalis non minus antea quam poſtea exſtiterit.* *Reſp.* 1.) Per *diſtinctionem.* Non ſufficit cauſas mortis internas vel externas *materialiter* exſtitiſſe, ſed neceſſe eſt, ut *formaliter* in actu exſtiterint, id quod de primævo hominis ſtatu dici nequit. Neque enim humores vel quantitate vel qualitate peccaſſent, nec calor naturalis humidum radicale penitus abſumſiſſet, nec corpus hominis a frigore, æſtu, combuſtione, ſuffocatione læſum fuiſſet, cum ab internarum & externarum illarum cauſarum injuriis Deus ſufficienter hominem muniverit. 2.) Per *inficiationem.* Cauſæ mortis principales, primariæ ac adæquatæ, videlicet peccatum, ira Dei, ac tyrannis diaboli in primo illo ſtatu non habuiſſent locum, ideo etiam nullum a morte vel mortalitate homini in eo perſiſtenti metuendum fuiſſet periculum.

VIII.) *Ex abſurdi conſecutione.*

§. L. VIII.) Ex *abſurdi conſecutione.* Oſiorodus in inſt. Germ. c. 33. p. 266. Socini argumentis etiam hoc addit: *Si homo in juſtitia & immortalitate ſimilis fuiſſet a Deo conditus, nec peccare nec mori potuiſſet, quia Dei juſtitia & immortalitas in eo confiſtit, quod ipſe nec peccare nec mori poſſit. Sed conſequens abſurdum. Si enim homo nec peccare nec mori potuiſſet, utique actu non peccaſſet nec mortuus fuiſſet. Ergo & antecedens.* Ex quo porro infert, *imaginem Dei, ad quam homo fuit conditus, non in juſtitia & immortalitate,*

litate, sed in dominio super bestias & in ratione constitisse. Resp. 1.) Per *inversionem.* Quia homo ad imaginem & similitudinem Dei fuit conditus, utique etiam immortalis fuit conditus; quomodo enim homo mortalis Dei immortalis imaginem gestare potuisset? 2.) Per *distinctionem* inter immortalitatem Dei & Adami. Facile concedimus, Adamum non fuisse eo modo, gradu ac sensu immortalem, quo Deus est immortalis *essentialiter ac simpliciter, absolute & omnimode, per suam naturam & essentiam*, quinimo & hoc concedimus, Adamum non fuisse eo modo, sensu ac gradu immortalem, quo beati in statu gloriæ erunt immortales; sed ex eo inferri nequit, ipsum nullo plane modo ac sensu immortalem fuisse. A remotione enim unius speciei ad remotionem generis non valet consequentia. 3.) Per *limitationem* propositionis *majoris.* Qui Deo æqualis est in justitia & immortalitate, non autem qui ratione justitiæ & immortalitatis Deo duntaxat similis, is non potest peccare nec mori. Vt simile non est idem vel æquale, ita quoque similitudo non est identitas nec æqualitas, sed sufficit ad similitudinem qualiscunque conformitas ac proportio. Quod si jam subsumatur de primo homine, eum fuisse Deo æqualem in justitia & sanctitate, tum falsum adsumi in propatulo est. 4.) Per *concessionem.* Adamus peccato & morti actu obnoxius est factus, ergo etiam peccare & mori potuit, sed hæc est potentia moriendi *remota*, non *propinqua; hypothetica*, non *absoluta.* Jam vero talis immortalitas, qualem primo homini tribuimus, probe consistit cum potentia moriendi remota & hypothetica, ut & cum imagine Dei, ad quam primus homo fuit conditus. Pari ratione concedimus, imaginem Dei δευτέρως & secundario in dominio super bestias constitisse, sed ex eo inferri nequit, quod in justitia & sanctitate, itemque in immortalitate ea non sit statuenda, cum contrarium disertis verbis tradat apostolus. Eph. IV. 24.

IX.) *Ex corporis compositione.*

§. LI.

IX.) Ex *corporis compositione.* Quidam hoc insuper ututuntur argumento: *Quidquid ex contrariis elementis componitur, illud est mortale. Sed in statu innocentiæ corpus hominis compositum fuit ex diversis, imo contrariis elementis. Ergo. Resp.* 1.) Per *instantiam.* Corpora beatorum glorificata erunt composita ex elementis, nec tamen erunt mortalia & corruptibilia. 2.) Per *limitationem.* Quidquid ita constat ex contrariis elementis, ut in eo non sit exactissima primarum ac secundarum qualitatum harmonia, nec habeat exactissimam temperamenti æqualitatem, nec possit usu cujusdam fructus in vegetis atque integris viribus conservari, nec sit animæ ad immortalitatem conditæ indissolubili vinculo unitum, illud etiam est mortale & corruptibile. Jam vero de corpore primi hominis subsumi non poterit; illud enim, quamvis fuerit ex contrariis elementis compositum, tamen exactam qualitatum harmoniam ac temperamenti æqualitatem obtinuit, ac usu arboris vitæ ab omni corruptione præservari potuit, quin & animæ ad immortalitatem conditæ essentialiter & indissolubiliter fuit unitum. 3.) Per *distinctionem* inter potentiam moriendi *remotam & propinquam.* Quidquid ex contrariis elementis componitur, est resolubile ac mortale, scilicet potentia remota, non autem habet propinquam potentiam & inclinationem naturalem ad mortem. Deus & voluit pro sua sapientia, & potuit pro sua omnipotentia ex contrariis & corruptibilibus elementis tale corpus formare, quod esset immortale sensu eo, quem expositum dedimus superius, & animæ ad immortalitatem conditæ organum perpetuum. Ecquis ergo sapientiæ ac potentiæ illius limites præscribere velit? Etiam stellas ex rebus elementaribus, aquis scilicet cœlestibus, & substantia aërea, luce scilicet condidit, quas tamen incorruptibiles esse, constans quorundam est adsertio. Coronidis loco notari potest, quodnam sit πρῶτον ψεῦδος in hac Photinianorum opinione de naturali mortalitate primi hominis, videlicet 1.) *ratiocinii humani elevatio.* Vt enim in aliis fidei capitibus, ita quoque in hac quæstione de statu hominis ante lapsum plus æquo tribuunt judicio cor-

corruptæ rationis, & quia ratio sibi relicta & extra verbi lucem non potest aliter judicare, quam mortem homini æque ac reliquis animalibus esse naturalem, ac corpus ex elementis compositum esse mortale, ideo rationis judicium relicta verbi luce præpostere sequuntur. 2.) *Peccati originalis negatio.* Quia enim peccatum originis ἀποτόμως negant, quid mirum, quod de effectu illius peccati tam graviter aberrant? Finis ac scopus hujus opinionis Photinianæ eo directus est, ut doctrina de satisfactione Christi labefactetur. Facile enim intelligunt vim hujus nostri argumenti: Quicunque moritur, propter peccata moritur. Christus actu mortuus est. Ergo propter peccata mortuus, non autem sua, teste tota scriptura. Ergo propter nostra peccata, & per consequens, sua morte pro peccatis nostris satisfecit.

CAPVT III.

DE MATERIA MORTIS.

Materia. §. LII. Atque hæc de *causa efficiente* mortis dicta sunt. *Materia ex qua* mortis nulla dari potest, cum sit privatio. *Materia in qua* sive *subjectum* est *totus homo*, non quidem ratione partium seorsim consideratarum, quia anima est immortalis & incorruptibilis, Matth. X. 28. sed ratione totius *compositi*, quia totus homo mori & interire dicitur, id quod probamus 1.) ex *phrasi scripturæ*: Gen. V. 5. *mortuus est Adam.* v. 8. *mortuus est Seth.* v. 11. *mortuus est Enos*, & sic consequenter. 2.) Ex *regula philosophorum.* Actiones & passiones non patribus, sed toti composito ac supposito tribuenda sunt. *Compositæ substantiæ*, inquit philosophus, *insunt omnes actiones & passiones, sed propter naturas, ex quibus est composita.* Thomas II. 2. quæst. 58. art. 2. *Actiones sunt suppositorum & totorum, non autem proprie loquendo partium & formarum seu potentiarum. Non enim proprie dicitur, quod manus percutiat, sed homo per manum, neque proprie dicitur, quod calor calefaciat, sed ignis per calorem.* Jam vero mors est quædam passio. Ergo toti homini tribuenda. 3.) Ex *mortis natura.* Mors est solutio animæ a corpore. Jam vero totus homo constat anima & corpore, nexu quodam essentiali sibi invicem devinctis. Ergo etiam totus homo mori recte dicitur. 4.) Ex *oppositione.* Quod proprie dicitur vivere, illi etiam mors recte & proprie tribuitur, quia mors opponitur vitæ privative. Jam vero totus homo, totum compositum proprie dicitur vivere. Anima est principium, quo homo vivit, sed illud, quod vivit, est totum compositum, vita enim est actus animæ in corpore. Ergo etiam totus homo proprie dicitur mori. 5.) Ex *causæ & effectus collatione.* Quod est subjectum peccati originalis, illud etiam est subjectum mortis, quia mors est effectus & consequens peccati. Jam vero totus homo est subjectum originalis peccati, ut suo loco fuit demonstratum. Ergo.

CAPVT IV.

DE FORMA MORTIS.

Forma. §. LIII. *Forma* mortis ex ejusdem descriptione superius tradita colligi potest. Scriptura sacra de forma mortis sic loquitur: Eccl. XII. 7. *Revertetur pulvis* (corpus ex terræ pulvere formatum) *in terram, quemadmodum fuit; & spiritus* (anima) *revertetur ad Deum, qui dedit illum.* 2. Cor. V. 1. *Si terrestris domus hujus tabernaculi dissolvitur &c.* v. 4. *Nolumus exui,* ἐκδύσασθαι. v. 8. *Bonam voluntatem habemus magis* ἐκδημῆσαι ἐκ τῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον, *peregrinari a corpore & præsentes esse*

apud Dominum. Phil. I. 23. Ἐπιθυμίαν ἔχω εἰς τὸ ἀναλῦσαι, *dissolvi & esse cum Christo.* 2. Tim. IV. 6. *Tempus meæ* ἀναλύσεως *instat.* 2. Petr. I. 14. *In propinquo est* ἡ ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματός μου. Cum enim homo constet ex anima & corpore, essentiali vinculo invicem unitis, ideo mors hominis nihil aliud est, quam animæ a corpore ἀνάλυσις sive solutio. Cum anima in corpore, velut in terreno quodam habitaculo peregrinetur, quamdiu homo vivit, ideo mors hominis nihil aliud erit, quam terrestris illius habitaculi ac tabernaculi κατάλυσις καὶ ἀπόθεσις, ac animæ ex diuturna peregrinatione ad Deum ἐπαναχώρησις. Cum corpus sit quasi indumentum ac vestimentum animæ, ideo mors hominis nihil aliud est, quam vestimenti illius ἔκδυσις sive exuitio. Cum vita sit actus animæ in corpore, τὸ ζῆν ἕξις σύνθεσις καὶ σύνδεσμος ψυχῆς σώματι. Aristoteles lib. VIII. metaph. Scaliger exerc. CII. sect. 5. utique mors vitæ privative opposita formaliter erit animæ & corporis divulsio sive distractio, ac conjunctissimorum illorum amicorum separatio.

An mors sit annihilatio?

§. LIV. Errant igitur *Photiniani*, qui mortem definiunt per annihilationem sive in nihilum redactionem. Smalcius de div. Christi cap. 13. fol. 79. *Resurrectio & resurgere nihil aliud est, quam ex non existente iterum existere. Hinc generationi adsimilatur resurrectio, hinc etiam de mortuis dicitur, quod non sint, natura scilicet rei inspecta. Et quod aliqui vivere dicuntur, nempe Deo, id non aliter accipiendum est, quam eos olim ex mortuis resuscitatum iri, hoc enim vere est Deo vivere, ut locus* Luc. XX. *aperte declarat, in quo Christus per id, quod dixerat de Abrahamo, Isaaco & Jacobo, quod Deo vivant, demonstrat eos resurrecturos ex mortuis.* Dicta scripturæ, in quibus de mortuis dicitur, quod *non sint*, potiora hæc sunt: Psalm. XXXIX. 14. *Define a me, antequam vadam,* וְאֵינֶנִּי *& non ego.* Jer. XXXI. 15. *Rahel renuit consolari super filiis suis,* כִּי אֵינֶנּוּ, *quia non ipsi*, id est, quia nullus eorum supereſt, ita ut singularis pro plurali *distributive* ponatur. XLIX. 10. *Vastatum est semen ejus & fratres ejus & vicini ejus,* וְאֵינֶנּוּ, *& non ipsi.* Thren. V. 7. *Patres nostri peccaverunt, & non ipsi.* Matth. II. 18. adducitur dictum Jeremiæ de filiis Rachelis, ὅτι οὐκ εἰσί, ex quibus omnibus Smalcius infert, quod *mori sit non existere, & resurgere nihil aliud sit, quam ex non existente iterum existere. Resp.* 1.) Per *instantiam.* Si mori est *in nihilum redigi*, nemo eorum, qui a Christo ac sanctis Dei viris, tum in vet. tum in nov. test. sunt resuscitati, vere fuit mortuus, quia nemo eorum fuit in nihilum redactus, sed anima ad corporis domicilium, e quo non multo ante egressa erat, fuit duntaxat revocata; quinimo nec ipse Christus fuisset vere mortuus, absit enim, ut dicamus, eum fuisse in nihilum redactum, cum diserte de ipso negetur, quod viderit διαφθοράν, Psal. XVI. 10. Act. II. 27. 2.) Per *infitiationem.* Nec anima nec corpus hominis in morte in nihilum redigitur. Non anima, quia illa a corpore discedens immortalis subsistit, ut suo loco probabimus. Non corpus, quia somno consopitum in pulvere terræ quiescit, resuscitationem in extremo die exspectans. 3.) Per *deductionem ad absurdum.* Si mori est in nihilum redigi, plane negabitur resurrectio. Animæ utpote immortali resurrectio adscribi nequit, non enim resurgit, nisi quod prius cecidit; corpori itidem ex hypothesi Photinianorum resurrectio tribui nequit, negant enim illam ipsam carnem, quam in hac vita circumferimus, & quæ in morte per cinerefactionem resolvitur, resurrecturam. Smalcius in exam. cent. error. p. 36. *Corpora hæc,* (inquit) *quæ nunc circumferimus, resurrectura non credimus, sed alia nobis danda esse ab apostolo edocti sumus.* Ostorodus in inst. p. 394. verba symboli apostolici: *Credo resurrectionem carnis*; sic depravat: *Credo resurrectionem non carnis, sed illius, quod fuit caro, sicut publicani & meretrices dicuntur præcessuræ Pharisæos in regno cælorum* Matth. XXI. 31. *hoc est, qui fuerunt publicani & meretrices.*

Quid

Quid ergo resurget, quid ex non existente iterum existet? nihil plane. Creatio igitur potius erit, quam resurrectio. 4.) Hæc omnia evidenter probant, phrasin illam, *non esse*, de mortuis usurpatam accipiendam esse ratione *totius compositi*, quod illud non amplius sit, scilicet tale compositum, quale antea fuit, sicut in vulgato versiculo dicitur:

Post hominem vermis, post vermem fætor & horror:
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Nequaquam vero ratione *partium seorsim confœderatarum*, quasi vel alterutra, vel utraque earum in morte statim in nihilum redigatur, quia mors est talis ἀνάλυσις, per quam totum quidem compositum dissolvitur; interim partes non rediguntur in nihilum, sed quælibet in suum redit locum, pulvis in terram, spiritus ad Deum. Sic destructio domus non est omnimoda ejusdem annihilatio, cum partes quædam post destructionem manere possint superstites. Recte Dionysius de eccl. hierarch. cap. 11. Mors non est ἀνυπαρξία τῆς οὐσίας, sed potius τῶν ἡνωμένων διάκρισις εἰς τὸ ἡμῖν ἀφανὲς ἄγουσα. Hilarius in Psal. LXIII. *Qui prædicabit animæ cum corpore occasum, audiet, animam non esse terrenam, sed ex adflatu Dei ortam elementis corporis admisceri, mortem autem non interitum esse, sed discessum ejus ex corpore.* Idem in Psal. CXL. circa finem: *Ablatio animæ non abolitio ejus est.* 5.) Ne ulla restet dubitatio, adducimus locum Gen. V. 24. ubi de patriarcha Enocho dicitur, *ambulavit cum Deo*, וְאֵינֶנּוּ, *& non ipse, quia tulit eum Deus.* Ecquis vero dixerit Enochum in nihilum esse redactum, cum de eo dicatur, quod *Deus ipsum tulerit* sive adsumserit, videlicet ad se in gloriam cœlestem, quod *translatus fuerit*, ne *videret mortem* Hebr. XI. 5. Eccl. XLIV. 16. nequaquam igitur *absolute & simpliciter* intelligendum, quod Henoch post suam μετάθεσιν non fuerit, & quod mortui non sint, sicut hæc phrasis usurpatur Rom. IV. 17. *Deus vocat ea, quæ non sunt*; sed *secundum quid*, respectu scilicet hujus vitæ æternæ, quod in terris non amplius fuerit superstes; unde phrasis illa Hebr. XI. 5. sic exponitur οὐχ εὑρίσκετο, *non inveniebatur.* 6.) Confero etiam locum propheticum Dan. IX. 26. *Post hebdomadas sexaginta & duas excidetur Messias*, וְאֵין לוֹ, *& non ei.* Quidam exponunt, *non sibi*, id est, non morietur propter sua, sed propter aliena peccata, Vatablus: *& non ei*, scilicet erit opem ferens; LXX. interpretes: καὶ κρῖμα οὐκ ἔσαι ἐν αὐτῷ, *non erit in eo causa mortis.* Symmachus: οὐχ ὑπάρξει αὐτῷ. Vulgata: *Et non erit ei populus*, qui eum negaturus est. Tremellius & Junius, *cum nihil erit ipsi*, id est, nihil amplius Hierosolymis erit habiturus, sed ea plane reprobaturus, ac suos inde ducturus. Piscator: *nulla in eo erit iniquitas.* Lutherus: *er wird nichts mehr seyn*: In margine addit, *in regno Mosaico & politico*, quia novum regnum auspicabitur. Sed simplicissime juxta phrasin usitatam exponitur, *& non erit*, id est, vere erit mortuus, ac *de terra viventium abscissus*, ut explicatur Esa. LIII. 8. 7.) Quid de interitu mundi Photiniani statuant, ex ipsorum scriptis colligi nequit, an *alterationem* duntaxat, an vero *annihilationem* futuram credant. Quod si cum plerisque Calvinianis alterationem tantum statuerent, posset illis validissimæ instantiæ loco opponi dictum Job. XIV. 12. *Non resurget, donec non erit cælum.* 8.) Quod resurrectio adsimiletur *generationi*, ex eo inferri nequit, *resurgere nihil aliud esse, quam ex non existente iterum existere*, quia resurrectio non vocatur generatio, sed παλιγγενεσία *regeneratio* Matth. XIX. 28. per quam intelligitur non animæ & corporis ex nihilo creatio, sed totius naturæ nostræ instauratio, per quam peccatum & mors penitus abolebuntur, quo sensu etiam Petrus diem resurrectionis vocat diem ἀποκαταστάσεως πάντων Act. III. 21. Sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum est anima nostra regenerata per fidem. Ex Act. XIII. 33. non potest potest probari, resurrectionem esse generationem, quia verbum ἀναστήσας non de Christi ex mortuis resuscitatione, sed de ejusdem missione ac susci-

citatione usurpatur, ut ex scopo concionis apostolicæ, ex textus συνεπείᾳ, v. 23. & 33. ex adversativa particula δὲ, v. 34. ex collatione aliorum scripturæ locorum Act. III. 22. & 26. VII. 37. Rom. XV. 12. & ex hujus ipsius capite v. 22. in prælectionibus de Deo demonstravimus. Et qua veritatis specie de Christi resuscitatione ex mortuis dici potest, quod per eam Christus ex non existente iterum existere cœperit? Quod Lucæ XX. 36. illi, qui ex mortuis suscitantur, dicuntur *filii resurrectionis*, nequaquam probat, resuscitationem esse quandam generationem, sed est phrasis Hebraica in scripturis sæpius usitata. *Filii resurrectionis*, id est, participes resurrectionis, sicut ibidem v. 34. *filii hujus seculi* dicuntur, qui in hoc seculo ætatem agunt. 9.) Denique quod phrasis Spiritui sancto de mortuis sanctis patriarchis usurpata, *vivere Deo*, sit non existere, & olim resurgere, id e diametro textui adversatur, sic enim Deus esset *Deus non vivorum, sed mortuorum*, quod Christus ἄτοπον esse ibidem adserit. Vivunt ergo Deo patriarchæ etiam mortui, quia ipsum a facie ad faciem intuentur, ipsum laudant ac prædicant, ut inferius late demonstrabimus.

CAPVT V.

DE FINE MORTIS.

Finis mortis. §. LV. *Finis mortis* in se ac per se consideratæ est, esse pœnam peccati. Rom. VI. 23. Postquam enim primus homo in peccatum prolapsus ex ore Dei audiit: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, Gen. III. 19. inde omnes ejus posteri, utpote in quos peccatum primi hominis per carnalem generationem propagatur, propter peccatum morti facti sunt obnoxii. Rom. V. 12. Eccl. XXV. 32. Quod si vero non amplius in se ac per se, sed respectu diversorum objectorum, *piorum* scilicet ac *impiorum*, mors consideretur, tum diversitas finis & effectus deprehenditur. *Impiis* mors est 1.) *peccati pœna* proprie & exquisite sic dicta, quia a Deo irato ipsis infligitur, unde etiam dicuntur *consumi cum terroribus*, Psal. LXXIII. 19. 2.) Est *secundæ sive æternæ mortis initium*, unde ab una morte ad aliam transeunt. *Piis* vero mors 1.) proprie & adcurate loquendo non est talis pœna peccati, id quod patet tum ex *termino a quo*, quia non infligitur a Deo irato, sed est paterna castigatio, quam propter peccatum in carne adhuc hærens, ex gratia tamen remissum & per Spiritum mortificari cœptum, non minus quam reliquas hujus hujus vitæ calamitates sustinere coguntur, tum ex *termino ad quem*, de quo in sequentibus membris dicetur. 2.) Est *suavis ac dulcis somnus*, quo ad tempus consopiti ad vitam aliquando evigilabunt. 3.) Est *liberatio a labe adhærentis peccati*, ab insidiis diaboli, a scandalis mundi, ab omnibus hujus vitæ periculis & miseriis. Rom. VI. 7. Regeneratio tollit peccati reatum, renovatio tollit peccati dominium, mors ejus sensum, redactio corporis in cineres ejusdem radicem, vitiosam scilicet qualitatem. 4.) Est *materia agonis ac victoriæ*, ut in Christo & per Christum mortem vincant ac coronam gloriæ victoribus promissam consequantur Apoc. II. 10. 5.) Est *translatio ad statum beatum*, & janua ad veram vitam, Joh. V. 24. collectio ad patres, emigratio ad Dominum &c. Augustinus lib. XIII. de civ. Dei cap. 4. *Per ineffabilem Dei misericordiam & ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutis, & fit justi meritum etiam supplicium peccatoris. Tunc enim mors est adquisita peccando, nunc impletur justitia moriendo &c. non quia mors bonum aliquod facta est, quæ antea malum fuit, sed tantam Deus fidei præstitit gratiam, ut mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur in vitam.* Ambrosius lib. de fide resurrect. cap. 9. *Debuit dari finis malorum, ut mors restitueret, quod vita amiserat. Immortalis enim oneri potius*

tius est, quam usui, nisi adspiret gratia. Et si bene discutias, non naturæ mors ista est, sed malitiæ. Manet enim natura, malitia moritur, resurgit, quod fuit; qua de re in tract. postremo de vita æterna plenius dicetur.

An mors sit satisfactio pro peccatis?

§. LVI. Circa finem & effectum mortis errant *pontificii* docendo, *mortem esse satisfactionem pro peccatis, & meritum vitæ æternæ.* Thomas contra gent. *Homo per pœnam mortis satisfacit, & meretur quoque, quamvis enim in hora mortis non habeat usum liberi arbitrii, sufficit tamen illi bona intentio.* Hanc Thomæ sententiam adlegat & adprobat Keisersbergius in lib. German. de proprietatibus villici p. 136. ubi inter cætera sic scribit: *Vere mors sanctorum pretiosa coram Deo, quia propter illam peccata delentur, & ejus merito palmæ justitiæ obtinentur, quod quamvis Augustinus de morte martyrum dicat, tamen verum est de quavis morte, quam quis patienter & fideliter sustinet.* Ibidem disputat, *remisso peccato originali per baptismum mortem relictam esse pro satisfactione actualium peccatorum &c.* & p. 138. *violentam mortem latronis, furis aut alterius malefici patienter toleratam esse satisfactionem pro peccatis.* Contra vero 1.) Scriptura unicam tantum pro peccatis satisfactionem, a Christo scilicet præstitam, novit Esa. LIII. 5. LXIII. 3. Rom. IV. 25. Hebr. II. 14. IX. 28. X. 14. &c. 2.) Vt ergo apostolus infert, *si per legem justitia, Christus frustra mortuus est*, Gal. II. 21. ita eodem modo inferimus: Si per mortem nostram satisfacere possumus, Christus frustra mortuus est. 3.) Quod in se ac per se est pœna peccati, non potest esse satisfactio pro peccato. Jam vero mors in se est pœna peccati. Ergo. 4.) Oppositio apostolica est perquam emphatica: Rom. VI. 23. *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei est vita æterna in Christo.* 5.) Vera ac Deo grata patientia, qua martyres violentam ac reliqui pii naturalem mortem æquo animo suscipiunt, est fructus veræ fidei, quæ in uno & solo Christo satisfactionem pro peccatis & meritum vitæ æternæ quærit. 6.) Ergo nec meriti nec medii rationem in impetranda peccatorum remissione mors corporalis obtinere potest; non illud, quia sola Christi passio est satisfactio pro pecatis & meritum remissionis: nec hoc, quia sola fides promissionem de remissione peccatorum propter Christum in verbo evangelii oblatam salutariter adprehendit.

CAPVT VI.

DE OBJECTO MORTIS.

Objectum mortis.

§. LVII. *Objectum mortis* est totum genus humanum. Vt enim moritur *totus homo*, ita quoque moritur *omnis homo*, id quod probant 1.) *Scripturæ sacræ oracula*, tum *adfirmativa*, quæ testantur omnes homines morti obnoxios esse: 2. Sam. XIV. 14. *Moriendo morimur, & velut aquæ, quæ defluunt in terram, quæ non congregantur*, id est, mortales sumus, quia verba *activa* & *neutra* apud Hebræos quandoque significant inhærentes qualitates, vita omnium est labilis ac fluxa instar aquarum in terram effusarum, quæ non recolliguntur, anima enim non revertitur in corpus ad hujus vitæ usuram ante resurrectionem. Augustinus in Psal. CIX. *Torrens est profluxio mortalitatis humanæ. Sicut enim torrens pluvialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit & currendo decurrit, id est, cursum finit, sic est omnis iste cursus mortalitatis. Nascuntur homines, vivunt, moriuntur, & aliis morientibus alii nascuntur. Quid hic tenetur? quid hic non decurrit? quid non quasi de pluvia collectum it in mare & abyssum?* Job. XXX. 23. mors vocatur *domus congregationis omnis viventis*, id est, in quam omnes viventes congregantur. Sirac. VIII. 8. *Memento, quod omnes morimur.* XIV. 18. *Omnis caro ut vestis veterascit.*

rascit. XXV. 32. *Propter peccatum omnes moriemur.* Rom. V. 12. *Mors in omnes homines pertransiit.* Hebr. IX. 27. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium*, ubi indefinita æquipollet universali, ut intelligitur ex membro posteriore. Quemadmodum enim *omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi*, 2. Cor. V. 10. ita quoque omnibus statutum est mori. Tum *negativa*, in quibus neminem a morte immunem esse adseritur: Psal. LXXXIX. 49. *Quis vir vivet, & non videbit mortem?* unde etiam mors vocatur *via universæ carnis*, Jos. XXIII. 14. 1. Reg. II. 2. ac *testamentum jam olim cum homine initum*, ἡ διαθήκη ἡ ἀπὸ αἰῶνος, θανάτῳ ἀποθανῇ, Sirac. XIV. 18. 2.) *Universalis mortis causa.* Cum enim omnes homines post lapsum protoplastorum nascantur peccato obnoxii, ideo etiam omnibus moriendum. Rom. V. 12. 1. Cor. XV. 22. Solus Christus ut omnis peccati expers, ita quoque a lege mortis liber fuit, quod autem *mortuus est, peccato mortuus est semel*, Rom. VI. 10. hoc est, quia peccata nostra expianda in se susceperat, ideo etiam pœnam peccatorum nostrorum, mortem scilicet in se se transtulit, & sic ipse etiam propter peccata mortuus est, non quidem sua, sed nostra in se conjecta ac sibi imputata, quod vero omnes reliquos homines adtinet, illi propter sua peccata morti sunt obnoxii. 3.) *Manifesta exempla.* Non solum scriptura, sed etiam ipsa experientia testantur, omnes homines morti obnoxios esse. Moriuntur juvenes & senes, divites & pauperes, pii & impii, eruditi & indocti, deformes & pulcri &c. Job. III. 14. *Requiescunt in morte reges, consules, principes.* v. 19. *Parvus & magnus ibidem, & servus manumissus a domino.* Eccl. II. 16. *Morietur sapiens cum stulto.* Sirac. X. 12. *Rex hodie & cras morietur.* XLI. 5. *Ne timeas judicium mortis, memento priorum te & ultimorum, hoc enim judicium tuæ carni a Domino.* v. 6. *& quid recusas in beneplacito Altissimi? sive decem sive centum, sive mille anni. Non est in inferno redargutio vitæ.* Lutherus reddidit: *Im Lode fragt man nicht, wie lang einer gelebet hat.* 4.) *Piorum veterum dicta.* Justinus apol. I. pro Christ. pag. 38. πάντος πάντι γενομένῳ ἀνθρώπῳ καὶ θανεῖν ὀφείλεται. Basilius sermone de gratiis Deo agendis tom. I. p. 363. *Mortis lex irrefragabilis.* Chrysostomus in Matth. X. *Mors munus necessarium est naturæ jam corruptæ, quæ non est fugienda, sed potius amplectenda, ut iterum fiat voluntarium, quod futurum est necessarium, offeramus Deo pro munere, quod pro debito teneamur reddere.* Hieronymus in epist. ad Heliodor. *Xerxes ille magnus rex potentissimusque, qui subvertit montes, maria constravit, cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem & innumerabilem vidisset exercitum, flevisse dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus super talem adscendere speculam, de qua universam terram sub pedibus cerneremus, jam tibi ostenderem totius mundi ruinas, gentes gentibus, reges regibus, regna regnis collisa! Alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios in servitutem trahi &c. & non tantum Xerxis exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos. Vincitur sermo rei magnitudine, & minus est, quod dicimus. Redeamus igitur ad nos, & quasi e cælo descendentes paulisper nostra videamus. Sentis obsecro te, quando infans, quando puer, quando senex factus sis. Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus.* Bernhardus in serm. *Quid in rebus humanis certius est morte, quid incertius hora mortis invenitur? Non miseretur inopiæ, non reveretur divitias, non sapientiæ, non moribus, non ætati denique parcit, nisi quod senibus mors est in januis, juvenibus vero in insidiis.* 5.) *Sanctorum gentilium effata.* Æschylus referente Stobæo serm. CXVII. Μόνος θεῶν θάνατος ἀ δώρων ἑρᾷ, *Una e diis mors nulla captat munera.* Phocylides: Πάντες ἴσον νέκυες, ψυχῶν δὲ θεὸς βασιλεύει, κοινὸς χῶρος ἅπασι, πένησι τε καὶ βασιλεῦσι, *Omnes ex æquo morti obnoxii sunt, animas autem regit Deus. Communis omnes locus manet tum pauperes tum reges.* Quintus

Cala-

Calaber. Οὔτι γὰρ ἄνδρες ζώομεν ἤματα πάντα, πότμος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται, *Non enim homines vivimus dies omnes, mors enim omnibus parata est.* Euripides: Βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται, καὶ τῶν ἐσι ξυντῶν ὅσις ἐξεπίσαται τὴν ἄυριον μέλλεσαν, εἰ βιώσεται, *Cunctis mortalibus mors debetur. Et nullus hominum certo novit, an victurus sit diem crastinum.* Metrodorus: Πρὸς μὲν τὰ ἄλλα, δυνατὸν ἀσφάλειαν πορίσασθαι, χάριν δὲ θανάτε πάντες ἀνθρωποι πόλιν ἀτείχισον οἰκῦμεν, *Adversus alia quidem, munimenta parari possunt, quod vero mortem attinet, omnes homines civitatem immunitam habitamus.* Poëtæ mortem vocant *pamphagam*, ac juxta cytharæ illius sonum, πάντες δεῖν χορεύειν adserunt. Ovidius ad Liviam:

Fata manent omnes, omnes exspectat avarus
Portitor, & turbæ vix satis una ratis.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam.
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

Horatius lib. I. carm.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

ibidem:

Omnes una manet nox
Et calcanda semel via lethi.
Mista senum & juvenum deflentur funera, nullum
Sæva caput Proserpina fugit.

Propertius:

Longius aut citius mors sua quemque manet.

Corn. Gallus:

Omnibus est eadem lethi via, non tantum unus
Est vitæ cunctis exitiique modus.
Hac pueri atque senes pariter juvenesque ferentur;
Hac par divitibus pauper egenus erit.

Isocrates ad Demon. τὸ τελευτῆσαι πάντων ἡ πεπρωμένη κατέκρινε, τὸ δὲ καλῶς ἀποθανεῖν ἴδιον τοῖς σπουδαίοις ἀπένειμαι. Seneca epist. LXXII. *Omne humanum genus quodcunque est, quodcunque erit, morte damnatum est.*

§. LVIII. Vniversalitatem illam objecti non labefactant I) *Exempla Henochi*, Gen. V. 24. *& Eliæ*, 2. Reg. II. 11. siquidem 1.) extraordinaria exempla non tollunt generalem & ordinariam regulam. Voluit Deus hac μεταθέσει publicum ac peculiare testimonium dare doctrinæ de resurrectione mortuorum, immortalitate animæ & vitæ æternæ. Irenæus lib. V. cap. 7. *Henoch translatus est translationem justorum præmonstrans. Helias adsumtus est adsumtionem patrum prophetans.* 2) Fuerunt & ipsi morti obnoxii, ac propter peccatum in carne adhuc hærens juxta ordinarium naturæ cursum actu mortui fuissent, nisi speciali Dei privilegio ab hac naturæ lege & communi omnium debito fuissent excepti. 3.) Immutatio illa, per quam corpora ipsorum ex animali & terrena vita in spiritualem & cœlestem translatorum facta sunt spiritualia & immortalia, instar mortis obtinuit. 4.) Pontificii addunt, tempore antichristi ipsos adhuc esse occidendos, quod colligunt ex Eccl. XLIV. 16. XLVIII. 10. Apoc. XI. 7. sed falsitatem hujus judaicæ opinionis jam olim monstravit Hieronymus Matth. IV. *Judæi*, inquit, *& judaizantes hæretici ante πλειμένον suum Heliam putant esse venturum & omnia restituturum.* II.) *Immutatio eorum*, quos dies novissimus deprehendet vivos, 1. Cor. XV. 51. 1. Thess. IV. 15. quia mutatio illa, in qua & per quam vita prior, animalis scilicet ac naturalis cessabit, erit instar mortis. Ambrosius in 1. Thess. IV. *In ipso raptu eorum, qui vivi reperientur, mors erit & resurrectio, ubi anima quasi per sejorem egressa de corpore, eidem in momento reddetur.* Adde, quod 1. Cor. XV. 51. Græci & Latini codices varient, uti suo loco plenius dicetur. III.) *Opinio de Jeremia* propheta, quam proponit Victorinus martyr in Apoc. XI. quod *ipse nondum mortuus in paradiso adhuc vivat, ut inde in fine seculi veniat prædicaturus pœnitentiam, & ab antichristo occidendus. Multi*, inquit, *putant, unum ex*

his duobus teſtibus eſſe Eliam, aut Heliſæum, aut Moſen, ſed omnes mortui ſunt. Jeremiæ autem mors non invenitur, quia omnes veteres noſtri tradiderunt, illum eſſe Jeremiam. Nam & ipſum verbum, quod factum eſt ad eum, teſtificatur ei dicens: Prius quam figurarem te in ventre, cognovi te, & priusquam de vulva procederes, ſanctificavi te, & prophetam in gentibus poſui te. In gentibus autem propheta non fuit, & ideo verbum Domini verax neceſſe habet, quod promiſit exhibere, ut in gentibus propheta ſit. Sed hanc Victorini opinionem damnat Hilarius can. in Matth. XX. Ad rationem adductam Sixtus Senenſis lib. VI. biblioth. adnot. 346. recte reſpondet, oraculum illud divinum: *Poſui te in lucem gentibus*; non ſic accipiendum eſſe, quaſi Deus eum miſſurus eſſet extra Judæam ad prophetandum & prædicandum in regiones gentium, ſed quod de gentium factis prophetare deberet; prædixit enim Aſſyriorum victorias adverſus Iſraël & ipſorum quoque regni excidium. IV.) *Similis opinio* de Johanne evangeliſta, quam poſuimus ac refutavimus in harm. de reſurrect. cap. XI. p. 403.

CAPVT VII.

DE ADJVNCTIS MORTIS.

Adjuncta mortis.
A) Tempus.

§. LIX. *Adjuncta* mortis ſunt 1.) *tempus*, 2.) *numerus*, 3.) *antecedentia & conſequentia.* A) *Tempus* mortis eſt vitæ terminus, cuique homini divinitus conſtitutus. Deut. XXX. 20. *Deus eſt vita tua & longitudo dierum tuorum.* Job. XIV. 5. *Si definiti ſunt dies ejus* (hominis) *ſi numerus menſium ejus apud te eſt, ſi ſtatuta ejus feciſti*, id eſt, terminos ei præſcripſiſti & certum tempus, quod ſit victurus, neque præteribit, quos non prætergrediatur, ut diutius vivat. Particula אם hoc loco non ponitur *interrogative*, ſed *conditionaliter*, nam v. ſeq. abſolvitur ſententia: *Si definiti ſunt dies ejus, recede ab eo.* חרץ ſignificat *ſedulo & ſolicite minutiſſima quæque curavit, ordinavit, decrevit.* Dicuntur ergo dies hominis חרוצים *definiti, deciſi, decreti: dem Menſchen ſind die Tage ſeines Lebens zugewogen. Numerus menſium ejus tecum eſt*, vel penes te: *ſeine Monat ſind ihm zugezehlet.* XVI. 22. *Anni numeri ſive numerati venerunt.* Pſal. XXXI. 16. *In manu tua tempora mea.* Pſal. XXXIX. 5. *Fac me ſcire menſuram dierum meorum.* CXXXIX. 16. *Omnes dies mei in libro tuo erant conſignati, antequam formarentur, cum ne unus quidem illorum exſtaret.* Textus Hebræus eſt ellipticus, unde quidam ſubintelligunt אשר, quidam vero מקרם, ſed ſenſus eodem redit. Act. XVII. 28. *In ipſo vivimus, movemur & ſumus.*

Antitheſis
1) Epicuræorum.

§. LX. Errant circa vitæ terminum 1) In *defectu Epicuræi*, qui fortuitum & caſualem eum eſſe arbitrantur, quorum cogitationes ac ſermones graphice depinguntur Sap. II. 2. Αὐτοσχεδίως ἐγεννήθημεν, καὶ μετὰ τοῦτο ἐσόμεθα ὡς οὐκ ὑπάρξαντες. Quibus Epicuræis cogitationibus opponenda eſt doctrina de divina providentia, cujus objectum ſunt omnia, quæ ſunt ac fiunt, tum ratione *conſervationis*, tum ratione *gubernationis*, tam quoad *communem*, quam quoad *ſingularem* naturam, tam quoad principia *corruptibilium*, quam quoad principia *incorruptibilium*, tam ratione *exiſtentiæ*, quam ratione *virtutis & efficaciæ*, tam ratione *interitus*, quam ratione *ortus*. Peculiariter autem ac ſpecialiter providentia divina verſatur circa hominem, tum in *vitæ ingreſſu*, tum in *progreſſu*, tum in *egreſſu*. Vt enim Deus omnia propter hominem condidit, ita quoque peculiariter Deo curæ eſt homo, totius mundi epitome ac μικρόκοσμος. Quod ſi ergo *ne paſſerculus quidem in terram cadit ſine Patre cæleſti*, id eſt, ſine providentia ac voluntate Patris cœleſtis, Matth. X. 29. quanto minus

minus homo, nobiliſſima Dei creatura, ſine ejusdem providentia fortuitum & caſualem vitæ terminum habebit, cum ipſe πολλῶν ϛρυθίων διαφέρῃ, v. 31. *Si capilli capitis numerati ſunt*, Matth. X. 30. an non & dies vitæ in numerato eſſent apud Deum?

II) *Stoicorum.* § LXI. II) In *exceſſu Stoici*, qui vitæ humanæ terminum fatalem eſſe arbitrantur, quam opinionem Calviniani, abſolutæ neceſſitatis patroni, jampridem fecerunt ſuam. Statuunt enim, Deum abſoluto, id eſt, omnem omnino cauſarum reſpectum excludente decreto unicuique homini certam mortis horam ac certum mortis genus ita determinaſſe, ut alio temporis articulo & alio mortis genere interire nec poſſit, nec potuerit, quam quo eum interire contingit. Antequam vero hanc opinionem oppugnemus, adnotabimus certas quasdam hypotheſes, quæ ad ſtatum quæſtionis recte formandum, & ad contraria argumenta ſolvenda plurimum conferunt. 1.) Diſtinguendum eſt inter *mortem ipſam ſimpliciter, abſolute & in genere conſideratam*; ac inter *genus & horam mortis*, id eſt, inter mortem determinate, & in ſpecie cum circumſtantiis certis conſideratam. Mors ipſa ſimpliciter, abſolute & in genere conſiderata poſt lapſum protoplaſtorum omnibus hominibus juxta ordinarium naturæ curſum eſt neceſſaria; Hebr. IX. 27. ſed genus & hora mortis non ſunt abſoluta & fatali quadam neceſſitate unicuique certa & definita. 2.) Terminus vitæ eſt vel *phyſicus* vel *hyperphyſicus*. Prior reſpicit cauſas naturales, quibus Deus ordinarie agendi vires liberas permittit. Poſterior reſpectum habet ad cauſas ſupernaturales, ad peculiarem ſcilicet Dei operationem ſupra & contra naturales cauſas quandoque agentem. Eſtque vel *gratiæ*, vel *iræ*. Terminus *gratiæ* eſt, quo Deus piis vitam vel prolongat vel decurtat. Terminus *iræ*, quo impiis vitam in medio dierum abrumpit. 3.) Præſcientia divina, quatenus talis, nuda notitia terminatur, proinde quamvis ſit infallibilis & certiſſima, non tamen abſolutam a priori ſive conſequentis neceſſitatem infert. Notum quidem Deo ab æterno, & infallibiliter quidem notum, quo temporis articulo, quove mortis genere quilibet homo ſit interiturus, ſed propter hanc infallibilem Dei præſcientiam non adfertur homini neceſſitas *a priori*, ut hoc articulo temporis, & hoc genere mortis occumbat, ſed neceſſitas, ex præſcientiæ infallibilitate originem ducens, eſt duntaxat conditionata, *a poſteriori* & conſequentiæ. 4.) Diſtinguendum inter conſtitutionem termini *abſolutam & limitatam*. Terminum vitæ cuivis homini divinitus conſtitutum eſſe non negamus, ſed abſoluta quadam ac fatali neceſſitate ſine ullo cauſarum ſecundarum, tum naturalium, tum voluntariarum reſpectu eum conſtitutum eſſe, id vero totis viribus negamus. Conſtituit Deus unicuique horam & genus mortis, non tamen abſoluto & cauſas omnes excludente decreto, ſed reſpectu habito tum ad cauſas naturales, tum ad voluntarias. Quia enim omnia futura in præſentiſſimo τῷ νῦν ab æterno exactiſſime intuetur, ideo illi, quem præſcit ebrietatem, tyrannidem, cædes, libidines, & alia flagitia ſectaturum, juxta comminationes in verbo revelato propoſitas brevem vitæ terminum & tragicum mortis genus conſtituit, quem vitæ ſuæ terminum homo flagitioſus præterire nequit, quia cauſas βραχυβιότητος, atrocia ſcilicet delicta ſua non deponit, ſed in illis obſtinate perſeverat, neque tamen vel ad peccata, vel ad peccatorum pœnam, præmaturam ſcilicet ac tragicam mortem, abſoluto quodam & infallibili Dei decreto impellitur; ſed ſi pietati operam dediſſet, ſi vitam in melius emendaſſet, Deus hoc ipſum prævidiſſet, & juxta promiſſiones ſuas alium vitæ terminum & aliud mortis genus ipſi præſtituiſſet. Lyranus in Jobi cap. XIV. utitur hac diſtinctione: *Conſtitutio termini dupliciter intelligi poteſt. Vno modo, prout eſt in divina ordinatione, & ſic termini vitæ hominis præteriri non poſſunt anticipando vel differendo, quia ejus providentia eſt infallibilis: alio modo, ut eſt in effectu exteriori, in quantum ex*

An terminus vitæ ſit fatalis?

naturalibus causis est periodus certa vitæ hominis, & in aliquibus major & minor secundum varietatem complexionis, & secundum hoc termini vitæ possunt anticipari per malum regimen, gladium, vel aliam occasionem. 5.) Distinguendum inter *regulam ordinariam*, & *exceptiones extraordinarias*. Regula ordinaria est, piis exspectandam esse μακροβιότητα, sed exceptio extraordinaria est, quod præmatura quandoque morte pii abripiuntur, ne malitia pervertat ipsorum intellectum, neve futuris involvantur adversis, promissiones Dei temporalia bona concernentes intelligendæ sunt cum exceptione crucis & divinæ εὐδοκίας. Hieronymus sic respondet: *Deus in scripturis promittens bona temporalia, præsentia & carnalia, si ea non præstat, dat pro eis longe majora, scilicet spiritualia, cælestia & æterna.* Regula ordinaria est, impiis metuendam esse βραχυβιότητα, sed exceptio extraordinaria est, quod divina bonitas quandoque tempus pœnitentiæ eis prolongat. Rom. II. 4. 6. Vanitas genethliacorum, qui ab astrorum cursu fatalem termini necessitatem arcessunt, tum aliis argumentis, tum exemplis eorum, qui in diluvio perierunt, Sodomitarum igne cœlesti absumtorum, & ruina turris Siloa oppressorum validissime confutari potest; nemo enim asserere audebit, illos omnes sub eadem cœli figura ac schematismo esse natos, cum tamen eodem mortis genere & eodem temporis articulo exstincti fuerint.

Negatur 1.) *ab addita in scripturis limitatione.*

§. LXII. Hisce præmissis argumenta nostra contra Stoicam & fatalem termini necessitatem producimus. 1) Ab *addita in scripturis sacris limitatione.* Quidquid pietatis ac impietatis, pœnitentiæ & impœnitentiæ, obedientiæ & inobedientiæ, virtutis ac flagitiorum conditione est limitatum ac circumscriptum, illud non est absoluta ac fatali quadam necessitate definitum. Sed terminus vitæ & genus & horam mortis includens, pietatis & impietatis, pœnitentiæ & impœnitentiæ, obedientiæ & inobedientiæ, virtutis & flagitiorum conditione est limitatus. Ergo non est absoluta & fatali quadam necessitate definitus. *Major* est manifesta ex oppositione conditionati & absoluti. *Minor* probatur, tum ex *promissionibus* longævitatis, pietatis, pœnitentiæ, obedientiæ & virtutis conditionem adnexam habentibus, tum ex *comminationibus* brevioris ævi ac tragici exitus impietatis, impœnitentiæ, inobedientiæ & flagitiorum pœnam exprimentibus. Promissiones potiores hæ sunt. Exod. XX. 12. *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut prolongentur dies tui super terram*; quod præceptum de honorandis parentibus adducens apostolus Eph. VI. 2. dicit, illud esse *primum in promissione*, vel quia in secunda decalogi tabula primum est, vel quod textui magis convenit, quia primum est, quod specialem ac propriam habet promissionem distertis verbis expressam. Promissio enim addita primo præcepto communis est & generalis ad totum decalogum pertinens. Rationem illius promissionis pulcre explicat Thomas in opusc. 4. *Filii* (inquit) *obtinent vitam a parentibus, sicut milites obtinent feudum a rege. Sicut ergo hi merentur* (adquirunt) *ejus conservationem, quamdiu homagium præstant regi, ita & filii merentur* (adquirunt) *vitæ conservationem, quamdiu parentes honorant. Contra, sicut milites rebelles spoliantur feudo, ita & filii rebelles vita.* Exod. XXIII. 25. *Servietis Domino Deo vestro, & benedicet pani tuo & aquis tuis, & removebo infirmitatem de medio tui.* v. 26. *Numerum dierum tuorum complebo*; id est, faciam, ut sanam & longam consequaris senectam, ac moriaris satur & plenus dierum. Deut. XXX. 20. *Ut diligas Dominum Deum tuum, ut obedias voci ejus, & adhæreas ei, quia ipse vita tua & longitudo dierum tuorum ad manendum super terram &c.* Prov. III. 1. *Fili mi, legis meæ ne obliviscaris, & præcepta mea custodiat cor tuum.* v. 2. *Quia longitudinem dierum & annos vitarum & pacem adponent tibi.* v. 16. de sapientiæ cœlestis, id est, veræ pietatis studio dicit: *longitudo dierum in dextra illius.* IV. 10. *Audi fili mi, & suscipe eloquia mea, & multiplicabuntur tibi*

annî

anni vitæ. X. 27. *Timor Domini adponet dies.* Jer. XVIII. 7. *Repente loquor adversus populum, ut eradicem, destruam ac perdam illum, quod si pœnitentiam egerit a malo, agam & ego pœnitentiam a malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Apostolus in genere pronunciat, 1. Tim. IV. 8. *pietatem habere promissionem præsentis & futuræ vitæ,* ubi ad præsentis vitæ promissionem omnino etiam pertinet longævitas. *Comminationes* potiores occurrunt istæ: Lev. XXVI. 25. *Si non audieritis me, mittam pestilentiam in medio vestri &c.* Deut. XXX. 18. *Si averterit se cor tuum, & non audieris, pereundo peribis, non prolongabis dies tuos super terram.* Psal. LV. 24. *Viri sanguinum & dolosi* (qui vel crudelitate vel calliditate proximum opprimunt) *non dimidiabunt dies suos*; non adtingent medium dierum sive vitæ suæ, non pervenient ad illum terminum, quem per causas naturales adtingere poterant. CIX. 8. *Sint dies ejus pauci, & præfecturam ejus accipiat alter.* Prov. X. 27. *Anni impiorum breviabuntur.* XXX. 17. *Oculum, qui subsannaverit patrem, & contemserit ad obedientiam matris, effodient eum corvi torrentis, & comedunt eum filii aquilæ.* Esa. I. 20. *Si rebelles fueritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est.* Eccl. VII. 18. *Ne impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo.* (Eccl. XIX. 3. quædam exemplaria vulgatæ versionis Latinæ legunt: *Et tollentur immaturæ animæ impiorum.* Sed in Græco hæc non habentur, nec in omnibus codicibus Latinis.) Hæc divina oracula solis radio scripta manifeste ostendunt, nec horam nec genus mortis fatali & absoluta quadam necessitate esse definitum, sed in utroque ad hominis pietatem vel impietatem respectum haberi.

2.) *Ab exemplorum enumeratione.*

§. LXIII. II) Ab *exemplorum enumeratione.* Ne quis enim existimaret, promissiones illas esse vanæ cujusdam spei illectamenta, comminationes esse inania terriculamenta, & quædam ex pelvi fulgura, ideo Deus utrarumque veritatem & immobilitatem exemplis comprobavit. Abrahæ dictum fuerat Gen. XV. 15. *Ibis ad patres tuos in pace; sepultus in senectute bona*; id quod ipso eventu postea fuit comprobatum Gen. XXV. 8. Illustre cumprimis est exemplum regis Hiskiæ, 2. Reg. XX. 1. 2. Paral. XXXII. 24. Esa. XXXVIII. 1. & seqq. de eo expresse dicitur, quod *ægrotaverit* חָלָה *ad moriendum*, sive lethaliter; ne quis vero cogitet, nondum adfuisse naturalem vitæ terminum, sed morbum vocari lethalem per quamdam αὔξησιν καὶ ὑπερβολήν, is expendat divinum oraculum per prophetam ipsi redditum: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu.* Hebraice: תָּמוּת, *mortuus es, & non vives.* Sed cum in vera ac seria pœnitentia ad Deum se converteret, & diuturniorem lucis hujus usuram sibi dari serio expeteret, accepit hoc responsum a Deo: *Audivi orationem tuam, vidi lacrimas tuas, ecce ego addam diebus tuis quindecim annos.* Hic nemo, nisi extreme impudens inficias ire poterit, dies Ezechiæ juxta ordinarium naturæ cursum fuisse completos, sed precibus & lacrimis ex corde pœnitente profectis quindecim annos vitæ suæ superaddi obtinuit. Justinus in quæst. & resp. ad orthod. q. XXXIII. p. 321. ἐν τῇ προωρισμένῃ ζωῇ τῷ Ἐζεκίᾳ προσετέθησαν χρόνοι ζωῆς, ἀλλὰ τοῖς ἀορίστως προλαβοῦσιν ἔτεσιν αὐτῷ, ὧν τὸ τέλος ἐγίνετο διὰ τὸ θανατικῷ πάθος, μὴ τῷ θεῷ ἐν τῷ πάθει ἰασαμένῳ αὐτὸν καὶ εἰς τὸ ζῆν αὐτὸν ἀποκαταστήσαντος. Augustinus lib. V. de Gen. ad lit. cap. 17. *Illi anni quindecim non recte additi dicerentur Ezechiæ, nisi aliquid adderetur, quod sese aliter in aliis causis habuerat, secundum aliquas igitur inferiores causas jam vitam finierat, secundum illas autem quæ sunt in voluntate & præscientia Dei, qui ex æterno noverat, quod illo tempore facturus erat, & hoc vere futurum erat, tunc erat finiturus vitam, quando finivit vitam, quia & sic oranti concessum est, etiam sic eum oraturum, ut tali orationi concedi oportere ille utique præsciebat, cujus præscientia falli non poterat, & ideo quod præsciebat, necessario futurum erat.* Ninivitis per prophetam excidium denunciatur expleto quadraginta dierum

spatio certissime metuendum, Jon. III. 4. sed *cum converterentur de via sua mala, pœnituit Deum super malo, quod locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* v. 10. Certe nisi pœnitentiam egissent, constituto divinitus tempore omnes periissent, sed per veram ac seriam pœnitentiam pœnam denunciatam averterunt, sicque vitæ suæ terminos produxerunt. Huc referri possunt similia exempla, quæ testantur agentibus pœnitentiam temporales pœnas vel condonari vel mitigari. Num. XVI. 48. cum plaga in populo orta grassaretur, *Aaron* obtulit thymiama, *& stans inter vivos ac mortuos deprecatus est Dominum, ac statim plaga cessavit.* Certe per hanc pestilentiæ plagam plures in medio dierum suorum abrepti fuissent, nisi Aaronis precibus & odoramento Deus placatus eamdem sustulisset. 2. Sam. XXIV. 25. *David* in vera pœnitentia coram Deo sese humilians precibus suis obtinet, ut tempus pestis abbreviaretur, ac plaga ab Israël cohiberetur. In nov. test. illustre est exemplum comitum Pauli in naufragio servatorum. Act. XXVII. 20. de illis dicitur, περιῃρεῖτο πᾶσα ἐλπὶς τῦ σώζεσθαι ἡμᾶς, sed Paulus ab angelo audit v. 24. κεχάρισαί σοι ὁ θεὸς πάντας τὺς πλέοντας μετά σε, utique ergo omnibus in hoc naufragio pereundum fuisset, nisi Paulus precibus suis hoc impetrasset, ut ex gratia ipsi donarentur, ac ex præsentissimæ mortis faucibus liberarentur. Neve quis cogitet, *promissionem illam de vitæ donatione & conservatione fuisse plane absolutam, quæ nullum prorsus ad causas secundas respectum obtineat,* notandum, quod nautis ex navi fugere quærentibus apostolus dicat v. 31. *Nisi hi in navi manserint, vos servari non poteritis.*

§. LXIV. Hæc omnia manifeste probant, promissiones divinas de vitæ longævitate pœnitentibus ac piis factas, ipso eventu divinitus fuisse comprobatas. Id ipsum de *comminationibus divinis* facili negotio ostendi potest. In *cataclysmo* universum genus humanum, octo duntaxat animabus exceptis, miserabiliter periit, non quia absoluto quodam Dei decreto fatalis vitæ terminus aderat, sed quia *omnis caro viam suam corruperat, ac terra repleta erat iniquitate*, Gen. VI. 12. Certe plurimi ex ipsis per naturam diutius vitam suam protrahere potuissent, nisi impœnitentia ac sceleribus vitæ suæ flamina in medio dierum suorum cursu abrupissent; quorsum enim Deus centum ac viginti annos ad pœnitentiæ spatium ipsis concessisset, nisi imminens excidium atque exitium vera pœnitentia avertere potuissent? *Sodomitæ* propter effrenem libidinem ac alia scelera ad cœlum clamantia igne & sulphure cœlitus delapso horribiliter deleti sunt; Gen. XIX. at num fatalis fuit ipsis iste terminus, quem non potuissent pœnitentia & piis precibus avertere? id vero aperte refragatur divino oraculo: Gen. XVIII. 32. *Si inveniantur ibi decem justi, non disperdam eos.* Her & Onan *a Domino percussi & occisi dicuntur*, Gen. XXXVIII. 7. & 10. non quia fatalis vitæ terminus aderat, quem nulla ratione producere potuissent, sed quia rem detestabilem fecerant. *Absolon* Davidis filius in ipso ætatis flore tragico mortis genere abreptus est, certe non ex absoluto quodam omnium causarum mediarum respectum antecedente & excludente decreto, sed quia ex insana regnandi cupiditate seditionem ac bellum non necessarium contra parentem regem movebat, 2. Sam. XVIII. 14. *Ahasiæ* denunciatur vitæ finis, propterea quod legatos mitteret ad idolum Ekroniticum, ex eo quæsitum, an ex morbo convalescere debeat, nec ne? 2. Reg. I. 2. *Pueri Bethelitici* ab ursis lacerantur, quia illuserant prophetæ Elisæo, II. 24. Idem judicium esto de facinorosorum ac maleficorum suppliciis. Vt enim sine fatali quodam & interno Dei impulsu flagitia designant: ita quoque tragicum vitæ exitum justo quidem vindicis Dei judicio, non autem fatali & absoluto quodam decreto sortiuntur.

§. LXV. III) Ex *providentiæ divinæ ratione.* Providentia divina nequaquam excludit in διοικήσει causas secundas *naturaliter* vel *voluntarie* agentes, *externas* vel *internas*, sed

3.) *Ex providentiæ divinæ ratione.*

sed easdem includit, quia *conservatio* rerum creatarum, quæ providentiæ divinæ actus prior, est quædam essendi continuatio; quæ ergo sic a Deo condita sunt, ut agant naturaliter, in illis conservat virtutem agendi naturaliter, quæ sic condita sunt, ut agant libere, in illis conservat virtutem agendi libere; sed nec *gubernatio*, quæ est posterior divinæ providentiæ actus, causarum secundarum activitatem excludit, *Deus enim res creatas sic administrat, ut eas proprios motus agere sinat.* Augustinus lib. VII. de civ. Dei c. 30. Gerson. lib. II. de conc. theol. prof. 4. Rationes, quare Deus in conservatione & gubernatione totius universi, & in specie hominis, utatur ordinarie causis intermediis, adferri possunt complures, videlicet ut declaret bonitatem suam, dum causas secundas cooperationis consortio dignatur; ut ostendat absolutum suum in creaturas omnes dominium, dum eas ad suam gloriam & hominis bonum promovendum adhibet; ut recordemur causas secundas a Deo esse ordinatas, & proinde in abusum non esse pertrahendas; ut admoneamur, media divinitus ordinata non esse negligenda. Atque hæc de ordinaria divinæ providentiæ actione intelligenda sunt; extraordinarie Deus etiam sine causis secundis, ac supra causas secundas, imo contra causas secundas agere potest, cum ipse sit prima causa, quæ defectum secundarum facile supplere potest, cumque ipse sit naturæ Dominus, ac proinde naturæ legibus minime adligatus. Ex qua hypothesi, cujus veritas alibi plenius demonstratur, sic inferimus: Si divina providentia non excludit causas secundas & naturales, utique vitæ terminus non est absoluta & Stoica quadam necessitate fatalis. Ratio *connexionis* est, quia sicut Deus per causas secundas & naturales unicuique dat corpus & vitam, ita quoque per causas secundas & naturales eamdem conservat; utique ergo in vitæ conservatione ad causas secundas respectus haberi debet, nec spernenda sunt vitæ conservandæ media, alimenta, indumenta, medicamenta &c. ne in Deum creatorem temerarie injurii deprehendamur. Vicissim si divina providentia extraordinarie sine causis secundis, ac præter imo contra causas secundas agere potest, & quandoque agit, denuo sequitur, vitæ terminum non esse absoluta & Stoica quadam necessitate fatalem. Ratio *connexionis* est, quia si vel maxime habito ad causas naturales respectu terminus vitæ adsit, tamen non est absoluta ejusdem necessitas, cum Deus pro sua εὐδοκίᾳ ac παντοκρατορίᾳ eumdem prolongare possit, si velit.

§. LXVI. IV) Ex *medicinæ ordinatione.* Si medicorum operæ & medicinarum usui locus relinquendus, terminus vitæ fatalis statui nequit. Sed prius. Ergo. Ratio *connexionis* est manifesta, quia si terminus vitæ fatali quadam necessitate certus, parum referet, sive quis utatur medicamentis morbo profligando adcommodis, sive eadem respuat, & noxia potius quam salutaria adsumat. *Adsumtum* constat ex Sirac. XXXVIII. 1. *Honora medicum propter necessitatem honoribus ejus, etenim creavit illum Dominus.* v. 2. *ab Altissimo enim est medela.* Si nullus locus medicamentorum usui dandus, utique nec cibi & potus usui. Vt enim per alimenta vigor corporis conservatur, ita per medicamenta sanitas amissa recuperatur, quare de medicamentis etiam usurpari potest illud apostolicum, 1. Tim. IV. 4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* v. 5. *Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* 1. Tim. V. 23. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum & frequentes infirmitates tuas.* Mesue in principio grabadin. *Sanat solus languores Deus, & de frugalitatis solio produxit in largitate sua medicinam benedictus, gloriosus & excelsus.* V.) Ex *subjecti distributione.* Terminus vitæ consideratur vel in *piis*, vel in *impiis*, in quas duas classes scriptura totum genus humanum distribuit. Sed nec impiis vitæ terminus est fatalis. Non *piis*, quia alias non orarent pro vita longæva, vel sibi

4.) *Ex medicinæ ordinatione.*

5.) *Ex subjecti distributione.*

sibi vel proximo divinitus concedenda, cujus contrarium testantur exempla *Ezechiæ*, Esa. XXXVIII. 2. *Davidis* pro filiolo, 2. Sam. XII. 22. & *Pauli* pro Epaphrodito intercedentis Phil. II. 27. confer Psal. CII. 25. 2. Cor. I. 8. Jac. V. 15. nec orarent pro beato ac placido vitæ exitu, cujus contrarium testantur exempla *Eliæ*, 1. Reg. XIX. 4. *Simeonis*, Luc. II. 29. *Pauli*, Phil. I. 23. Non *impiis*, quia alias non concederet illis Deus tempus ad pœnitentiam, cujus contrarium testantur, tum *dicta* Luc. XIII. 5. Rom. II. 4. tum *exempla* antidiluvianorum, Sodomitarum, Ninivitarum &c. VI) Ex *multiplici ad absurdum deductione*. Si & hora & genus mortis absoluta & fatali quadam necessitate sunt determinata; 1.) frustraneæ erunt promissiones divinæ de vita longæva piis exspectanda; 2.) frustraneæ erunt comminationes divinæ, quibus Deus impiis vitæ abbreviationem ac tragicum exitum comminatur; 3.) frustraneæ erunt piorum preces, quibus vitam longævam ac placidum exitum sibi vel aliis petunt; 4.) frustraneus erit medicinæ usus; 5.) illi, qui violentas manus sibi ipsis inferunt, absoluto Dei decreto ad hoc facinus constringentur; 6.) qui morte violenta & ignominiosa, gladio, rota, fune &c. propter flagitia sua pereunt & ad supplicia rapiuntur, absoluto Dei decreto & Stoico quodam fato hoc genere mortis interirent, quin & Deus peccatorum illorum impulsor statueretur, ut ad fatalis illius & absoluti decreti exsecutionem tanquam ad finem per certa media pervenire posset. Si enim fataliter inevitabilis est pœna, erit etiam inevitabilis culpa, propter quam malefici ad illum violentæ mortis terminum rapiuntur. Quæ omnia cum sint absurda & fidei christianæ contraria, ideo absurdum censendum etiam illud, ex quo talia consequuntur. Atque hæc sunt præcipua sententiæ nostræ argumenta. Justinus in quæst. & resp. ad orth. XXXIII. p. 321. hoc urget, *non esse definitum cujusque vitæ tempus ex oracularibus scripturæ verbis sic ostenditur. Si*, inquit, *in agro homo reperit puellam, quæ desponsata sit, & vi illata concubuerit cum ea, virum quidem occidite, puellam vero ne occidite. Quomodo namque percussit homo proximum suum, & cum eum percuteret, non adfuit percusso opitulator: sic & facinus hoc patratum est. Inclamavit puella, & adjutor ei præsto non fuit. Non contulisset divina scriptura stuprum vi illatum cædi violenter commissæ, si mors definita esset. Nam quod apud Deum definitum est, id vi movere & transgredi non est.* Sed hoc argumentum est infirmum, ideo contenti sumus illis, quæ in medium sunt adducta. Contrariæ sententiæ fundamentis facile responderi potest, si hypotheses superius propositæ recte observentur, & dextre adplicentur.

6.) *Ex deductione ad absurdum.*

§. LXVII. Quæritur: *An licitum ac pium sit, maturam mortem expetere, & hac ratione naturalem vitæ terminum antevertere velle?* Non est hoc loco quæstio de violenta mortis illatione, quam vocant αὐτοχειρίαν, qua quis vel veneno vel gladio vel laqueo nefarias ac violentas manus sibi ipsi injicit; eam enim prorsus illicitam esse variis argumentis demonstrari potest, siquidem pugnat 1.) cum *lege divina*, Exod. XX. 13. *Non occides*; jam vero qui se occidit, hominem occidit. Lactantius lib. III. instit. c. 18. *Si homicida nefarius est, qui hominis exstinctor est, eidem sceleri obstrictus est, qui se necat, quia hominem necat, imo vero majus id esse facinus existimandum est, cujus ultio soli Deo subjacet.* 2.) Cum *lege naturæ*, quæ vitæ amorem & conservationem cuique animanti indidit. 3.) Cum *legibus civilibus*, quæ αὐτοχειρας notant infamia. 4.) Cum *salute reipublicæ*, tollitur enim civis reipublicæ, imo ecclesiæ utilis. 5.) Cum *statu & conditione humana*. Vt non sumus domini vitæ alienæ, ita nec potestatem accepimus nostræ, ut in eam pro lubitu injurii esse possimus. In acie hic stamus, nec licet injussu summi imperatoris ac agonothetæ ea excedere. Lactantius d. l. *Sicut in hanc vitam non sponte nostra venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis*

Quæritur: An licitum sit, maturam mortem expetere?

nobis adsignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tam diu habitaturos, donec jubeat emitti. 6.) Cum *recta ratione*; neque enim sufficiens & urgens causa adferri potest, propter quam sibi ipsi mortem conscisce re justum videri queat, qua de re diligenter tractat Augustinus lib. I. de civ. Dei c. 26. lib. II. contr. Petilian. c. 49. Quinimo recta ratio potius contrarium docet. Si enim odium sui ipsius est illicitum, multo magis αὐτοχειρία. De Lucretia, gentilium scriptorum laudibus tantopere celebrata, quidam haud absurde sic cecinit:

Si fuit ille tibi, Lucretia, gratus adulter,
Immerito ex merita præmia morte capis.
Sin potius casto vis est illata pudori,
Quis furor, alterius crimine velle mori?
Frustra igitur laudem captas Lucretia, namque
Vel scelerata cadis, vel furiosa ruis.

7.) Cum *præceptis moralibus de fortitudine.* Augustinus lib. XIX. de civ. Dei cap. 4. *Vtrum obsecro Cato ille patientia an potius impatientia se peremit? non enim hoc feciſſet, niſi victoriam Cæsaris impatienter tulisset. Vbi est fortitudo? nempe cessit, nempe succubuit, adeoque superata est.* Martialis ita canit:

Nolo virum, facile redimit qui sanguine vitam,
Hunc volo laudari, qui sine morte potest.
Rebus in adversis facile est contemnere mortem,
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

8.) Cum *probatis exemplis.* Neque enim ullum ex canonicis scripturæ sacræ libris probatum αὐτοχειρίας exemplum proferri potest, quin potius *Achitophelis & Judæ* exempla infamem eam reddunt. Confer tract. de lege §. 155. De eo vero quæstio instituitur, an liceat piis precibus & sancto desiderio maturam mortem exoptare? Quidam negant: 1.) quia longævitas est donum Dei ac singulare beneficium piis ex gratia promissum, ut in præcedentibus vidimus. 2.) Quia βραχυβιότης numeratur inter pœnas, quas Deus impiis minatus est. 3.) Quia in Dei beneplacito est vita Psalm. XXX. 6. ipse est φιλόψυχος, Lutherus reddidit, *ein Liebhaber des Lebens*; Sap. XI. 27. ipse *mortem nec fecit, nec lætatur in perditione vivorum*; Sap. I. 13. *in ipso vivimus, movemur & sumus*; Act. XVII. 28. 4.) Sancti præmaturam mortem fuere deprecati: Psalm. XXX. 10. *Quæ utilitas in sanguine meo, cum descendero in foveam? numquid confitebitur tibi pulvis, numquid adnunciabit veritatem tuam?* CII. 25. *Domine Deus ne succidas me in dimidio dierum meorum.* 5.) Propter quædam hujus vitæ mala non flatim vita ipsa tanquam malum repudianda. Lactantius lib. III. inst. cap. 18. *Errant illi, qui aut mortem adpetunt tanquam bonum, aut vitam fugiunt tanquam malum, nisi qui sunt iniquissimi, qui pauciora mala non pensant bonis pluribus.* 6.) Vitæ longius spatium expetendum & exoptandum, ut ecclesiæ ac reipublicæ opera nostra salutaris esse possit, ut plures ad veram Dei agnitionem & cultum perducantur. (*) Quidam contra adfirmant: 1.) quia Christus in oratione dominica quotidie nos petere jussit: *Adveniat regnum tuum.* Et: *libera nos a malo*, Matth. VI. 10. & 13. Luc. XI. 2. & 4. jam vero ad regnum gloriæ adspirare, & ab omni malo liberari non possumus, nisi per beatam ἀνάλυσιν. 2.) Quia exempla sanctorum idem testantur, puta Eliæ, 1. Reg. XIX. 4. *Sufficit nunc Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum, quam patres mei.* Simeonis, Luc. II. 29. *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace.* Pauli, Rom. VII. 24. *Miser ego homo, quis me eripiet ex corpore mortis hujus?* Phil. I. 23. *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Adeoque totius ecclesiæ Apoc. XXII. 17. *Spiritus &*

(*) Vita longæva exoptari potest, 1.) propter divinæ gloriæ propagationem; 2.) propter uberiorem Dei cognitionem; 3.) propter proximi ædificationem; 4.) propter divinæ benedictionis consecutionem. GERHARDVS.

& sponsa dicunt: Veni Domine Jesu. In fragmentis apostolorum a Prætorio editis de Petro commemoratur, quod ad conjugem Albini & alios fratres dixerit: *Fugiendum censetis, ut mortem declinemus, quam multis suspiriis, ut ingressum vitæ expetivimus.* Chrysostomus in epist. Hebr. p. 285. *Sancti mortuos excitabant, & tamen mori desiderabant.* Augustinus in epist. Joh. *Qui desiderat dissolvi & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, & delectabiliter moritur.* Climacus gradu VI. *Probatus ille est, qui mortem singulis diebus exspectat, sed ille sanctus, qui eam singulis horis desiderat.* 3.) Quia diu vivere nihil aliud est, quam diu torqueri; illud enim adfert nobis longius vitæ spatium, ut plura mala videamus, plura mala faciamus, plura mala toleremus; unde gentiles ex lumine naturæ cognoverunt, optimum esse quam citissime hujus vitæ laboribus ac doloribus defungi. *Quem Deus amat, moritur juvenis,* inquit Menander. 4.) Contra vero per maturum ex hac vita discessum multas lucramur utilitates, ut si mors piorum lucrum sit Phil. I. 21. matura mors majus lucrum censeri merito debeat, tum ratione *termini a quo;* mature enim liberamur a jugo originalis peccati, quod per totum vitæ hujus decursum nos premit & ad illicita desideria solicitat, Rom. VII. 23. 24. a peccatorum actualium tam ignorantiæ quam infirmitatis tela, quam in hac vita quotidie teximus, a periculo lapsuum contra conscientiam, quibus gratia Dei, inhabitatio Spiritus sancti, fides & salus æterna amittuntur, Rom. VIII. 13. a scandalis hujus mundi, quibus fides ac pietas gravissime perturbatur, Sap. IV. 10. Matth. XVIII. 22. a periculosa pugna adversus satanam, carnem & mundum, quæ quanto longior, tanto gravior ac difficilior, Eph. VI. 10. Rom. XVI 20. a pœnis fatalibus securitati & impœnitentiæ hominum debitis, a curis, laboribus & molestiis quotidie in hac vita exantlandis, ab onere ac pondere crucis vel impendentis vel incumbentis &c. Tum ratione *termini ad quem;* quia a labore ad requiem, a tristitia ad gaudium, a pugna ad victoriam, ab exsilio in patriam, ex colluvie impiorum ad cœtum sanctorum transferimur, ad perfectionem divinæ θεογνωσίας & εὐσεβείας provehimur, promissa pietati præmia eo citius adipiscimur, finem desideriorum nostrorum & complementum spei nostræ consequimur, ac ineffabilis gloriæ ac felicitatis cœlestis participes reddimur. 5.) Qui in stadio currit, ad metam propositam quam potest fieri, citissime anhelat; qui ex diuturno exsilio in patriam contendit, quantum potest fieri, maxime properat; qui in mari oberrat, ad propositum portum anxius respicit. Chrysostomus in Phil. I. *Quis mercator navem habens multis rerum copiis plenam, cum liceat jam ad portum adpellere, tutoque quiescere, adhuc tamen in mari navigare mallet? Quis athleta cupiet amplius certamen, cum jam liceat coronari? Quis miles, cum jam liceat cum celebritate & trophæis a bello liberari, ac cum rege in ipsis quiescere & refotillari regiis, sustineat adhuc in bello sudare, & in aciem collocari? quomodo ergo cupis adhuc in vita consistere, quam adeo amaram vivis?* 6.) Deus Pater cœlestis, cujus sapientia incomprehensibilis ac bonitas ineffabilis, deque cujus favore erga infantes expressa exstant testimonia Marc. X. 14. Luc. XVIII. 16. plures in ætate infantili ac puerili, quam adulta & senili ex hac vita evocat. Pro decisione quæstionis distinguendum inter *causam impulsivam, & petendi modum. Causa impulsiva,* ex qua matura mors petitur, non debet esse vel auxilii divini diffidentia, vel tædium carnale & impatientia, vel laborum officii ad Dei gloriam & ecclesiæ salutem tolerandorum fuga, sed pium & sanctum desiderium, quo ad beatum Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi conspectum, ac sanctorum angelorum & electorum consortium adspiremus, sicut Paulus inquit Phil. I. 23. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* 2. Cor. V. 8. εὐδοκοῦμεν μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον. Mortificandus igitur est carnalis ille adfectus, quo ex fastidio crucis cum tacita quadam impatientia conjuncto vitæ suæ finem imponi quidam petunt, a quo

a quo ne ipsi quidem sancti immunes fuerunt. Jobus III. 3. ex tædio multiplicium calamitatum in hæc erumpit verba: *Pereat dies, in qua natus sum.* VII. 15. *Suspendium elegit anima mea, mortem potius quam esse cum ossibus meis.* Jer. XX. 14. *Maledicta dies, in qua natus sum.* Quo sensu etiam aliqui accipiunt verba Eliæ: 1. Reg. XIX. 4. *Sufficit nunc Domine, tolle animam meam*; sed in dubio præstat ad sanctum vitæ melioris desiderium ea referre. *Modus petendi* debet esse conditionatus, ut submittamus nos penitus divinæ voluntati, an diuturniorem hujus vitæ usuram nobis concedere, an vero ad quietiorem ac lætiorem futuræ vitæ statum maturius nos transferre velit, cum longe melius noverit, quid ecclesiæ in terris militanti, quidve saluti nostræ sit utilius. Sic Christus Matth. VI. 10. orationi illi: *adveniat regnum tuum*; statim subjungendum esse docuit: *fiat voluntas tua sicut in cælo, ita & in terra*; ac ipse suo exemplo ut in aliis, ita quoque hac in parte nobis prælucere voluit, in horto orans Matth. XXVI. 39. *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Apostolus Phil. I. 22. & seqq. itidem hunc petitionis modum diligenter observavit. *Vtrum*, inquit, *vivere in carne mihi operæ pretium sit, & quid eligam, ignoro. Coarctor enim utrinque desiderans migrare & esse cum Christo, nam id longe optimum est, sed permanere in carne magis necessarium est propter vos. Et hoc confisus novi, quod permansurus sim & una permansurus cum vobis omnibus ad vestrum profectum & gaudium fidei, ut gratulatio vestra abundet in Christo super me.* Paulinus in vita Ambrosii, quæ in præfat. operum Ambros. continetur circa finem: *Cum plurimis diebus episcopus ille Mediolanensis Ambrosius in lecto detineretur, Comes Stilico dixisse fertur, quod tanto viro recedente de corpore interitus immineret Italiæ, unde convocatis ad se nobilibus viris illius civitatis, quos diligi a sancto sacerdote cognoverat, partim interminatus est illis, partim blando sermone persuasit, ut pergerent ad sanctum sacerdotem, suaderentque illi, ut sibi vivendi peteret a Domino commeatum, quod ille ubi ab illis audivit, respondit: Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere, nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus*; quam Ambrosii sententiam Augustinus, Hipponensis episcopus, laudare solebat, referente Posidonio in vita Augustini, ubi & hæc addit: *Cujusdam coëpiscopi & familiarissimi sui amici in extremis vitæ de talibus frequentissimum referebat* (Augustinus) *dictum, ad quem cum visitandum jam morti adpropinquantem ventitasset, & ille manus gestu se de seculo exiturum significaret, atque a se illi esset responsum, adhuc eum ecclesiæ necessarium vivere posse, illum, ne putaretur teneri hujus vitæ cupiditate, respondisse ei: Si nunquam, bene; si aliquando, quare non modo? Illud etiam cujusdam ægrotantis dictum adferebat* (Augustinus) *episcopi, de quo sanctus in epistola sua, quam de mortalitate scripsit, martyr Cyprianus ita retulit dicens: cum quidam de collegis & consacerdotibus nostris infirmitate defessus, & de adpropinquante morte solicitus commeatum sibi precaretur, adstitit deprecanti & jam pene morienti juvenis honore & majestate venerabilis, statura celsus & clarus adspectu, quem adstantem sibi vix posset humanus adspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre jam poterat de seculo recessurus. Atque ille non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit & dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?* Sulpitius in vita Martini episcopi refert, quod cum pro morte adceleranda ad Deum intercederet, discipuli ad eum dixerint: *Cur nos pater deseris? cur nos desolatos relinquis?* quibus ille responderit: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, nullum recuso laborem, fiat voluntas tua.* Breviter, desiderium mortis ex fide & spe profectum caritas temperet; ea enim ob proximi salutem longinquum vitæ spatium præmaturæ morti quandoque anteferendum esse suadet, unde Augustinus in Psalm. LIV. explicans verba illa: *quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* ad Paulinam dissertationem

Phil. I. 23. ea adcommodat, ac Paulum columbæ gementi & ad cœlum suspiranti comparans subjungit: *Columba delicata, religata affectu non cupiditate, volare non poterat propter faciendum officium.*

B) *Numerus mortis.*

§. LXVIII. B) *Numerus mortis* in quovis homine est ad unitatem restrictus, singularis ac non iteratus, Hebr. IX. 27. *Statutum est homini ἅπαξ semel mori.* Vt enim Christus *semel duntaxat mortuus*, Rom. VI. 10. ac *semel oblatus est*, Hebr. IX. 28. propter peccatum sibi imputatum ad illud exhauriendum; ita quoque omnibus hominibus definitum est *semel* mori, propter peccatum ab Adamo in ipsos propagatum, & peccatorum actualium fœnore auctum, ad stipendium illius recipiendum, Rom. VI. 23. Inde jam quæritur: *Quid statuendum de illis, qui a Christo, prophetis & apostolis ex morte in vitam revocati sunt, an iterum fuerint mortui, an expleto animalis vitæ curriculo sine mortis interventu in vitam cœlestem translati?* Quibusdam placet *posterius*: 1.) Ob *definitum ab apostolo mortis numerum*, Hebr. IX. 27. 2.) Ob *scripturæ silentium.* De iterata illorum morte in historia biblica nihil quidquam legitur. 3.) Ob *divinæ justitiæ & bonitatis æquilibrium.* Non videtur justitiæ divinæ satis congruum esse, illos, qui pœnam peccati, mortem scilicet, jamdum sustinuerunt, denuo eidem subjicere. Quod si enim *is, qui mortuus, a peccato est justificatus*, Rom. VI. 7. utique etiam a peccati stipendio absolutus censeri merito debet. Nec Christi bonitati satis congruere videtur, eos, quos singulari amore complexus est, doloribus mortis altera vice tolerandis objicere, quin & in præsens periculum conjicere, ne infeliciter secunda vice moriantur, qui semel beate vita functi. 4.) Ob *difficultatum*, quibus contraria sententia circumsepta tenetur, *cumulum.* Animæ enim piorum, quamprimum a corpore solvuntur, a peccato statim purgantur; quod si ergo etiam illorum, qui a Christo, prophetis & apostolis resuscitati fuerunt, animæ a peccati labe penitus fuerunt purgatæ ac liberæ, injustitiæ dica videtur Deo scribi posse, quod animam a peccato puram in corpus peccato infectum postliminio reducat, ac ex statu felicitatis & gloriæ absque omni ipsius culpa animam detrudat in statum miseriæ, dum corpori peccatis infecto eamdem iterum conjungit. Præterea animæ illæ resuscitatorum aut in cœlo fuerunt, aut in inferno, aut in loco quodam intermedio. Non in *inferno*, quia fuerunt animæ fidelium, quibus non infernus, sed paradisus paratus. Nec in *loco intermedio*, quia illum ignorat tota scriptura, ac contra pontificiam hypothesin de purgatorio arcte hoc tenemus, quod *non sit ullus ulli medius locus, ut sit nisi cum diabolo, qui non est cum Christo*, Augustinus lb. I. de remiss. peccat. cap. 28. Ergo in cœlo, & per consequens, animæ illæ a peccati labe prorsus fuerunt purgatæ, quia in *Hierosolymam cœlestem nihil coinquinatum intrat*, Apoc. XXI. 27. Verius: Anima, quæ peccati est πρῶτον δεκτικὸν a peccati labe semel purgata, non potest a corpore iterum infici, quia corporeum non agit in incorporeum, ut in quæstione de origine animæ latius probatur. Ergo animæ illorum resuscitatorum fuerunt & manserunt a peccati labe immunes, & per consequens a morte, peccati stipendio, resuscitati illi manserunt liberi. *Prius* placet Hunnio in comm. Rom. VI. Meisnero part. I. anthropol. disput. II. §. 33. Mehlfurero in vindic. evang. decad. VI. disp. I. §. 36. (*) quæ sententia nititur hisce

Quæritur: An resuscitati a Christo fuerint denuo mortui?

(*) Theologis hisce antiquioribus supra excitatis jungi meretur ex recentioribus Jo. Erchtius, theologus quondam Rostochiensis, qui suam hanc de re sententiam hisce verbis edisserit: *Vti bis mortui ad declarandam Dei potentiam extra ordinem bis naturæ debitum solverunt: ita & extra ordinem eorum animas in loco statuve tertio fuisse, & labe originali commaculatas mansisse, haud absurde adseritur.* Vid. ejusdem *syllog. controvers. disp. XLVIII. thes. XIII.* Copiosius hocce argumentum pertractavit Tobias Wincklervs, in peculiari dissertat. *de bis mortuis* sub præsidio Balthasaris Beberlii Argentorati an. MDCLXXII. defensa. Conf. Jo. Christoph. Pfaffii disput. *de statu animar. separat.* p. 18 *seqq.*

hisce hypothesibus. 1.) Sicut ipsa resuscitatio illorum hominum est actus miraculosus & extraordinarius, discedens a communi illa regula, quod ex morte in hanc vitam temporalem nullus concedatur reditus; 2. Sam. XII. 23. Siracid. XXXVIII. 22. ita quoque in morte eorundem aliquid extraordinarium ac speciale est agnoscendum. Quemadmodum enim Enoch & Elias salva communi & ordinaria illa regula, quod homini *constitutum sit semel mori*, Hebr. IX. 27. peculiari & extraordinario Dei beneficio potuerunt ne quidem semel mori; Gen. V. 24. 2. Reg. II. 11. ita eadem regula salva resuscitati a Christo, prophetis & apostolis, potuerunt *bis* mori. Neque est, quod obvertatur, prius esse bonitati divinæ congruum, posterius vero justitiæ divinæ adversum; utrumque enim bonitati, justitiæ, sapientiæ ac potentiæ divinæ optime congruit, quia, ut prius est exemplum bonitatis divinæ extraordinarium, quo ostendere Deus voluit, quid pro sua bonitate & potentia omnibus præstare posset, nisi divinæ sapientiæ aliter congrueret, ita posterius est exemplum divinæ justitiæ extraordinarium, quo demonstrare voluit, quid omnes homines meriti sint, & quid juxta exactum justitiæ rigorem omnibus infligere posset. Cum enim peccati stipendium sit mors non solum temporalis, sed etiam æterna, ecquis dixerit, cum regula divinæ justitiæ pugnare, mortem temporalem propter peccatum *bis* alicui infligi, atque interim ab æterna morte eum liberari? 2.) Quamvis ergo de iterata illorum morte in scripturis κατὰ ῥητὸν nihil contineatur, ex eo tamen inferri nequit, quod non fuerint iterum mortui; tum quia nec de μεταθέσει eorundem, quod sine interventu mortis vivi in cœlum translati fuerint, quidquam in scripturis exstat, id quod tanquam singulare & extraordinarium Spiritus sanctus procul dubio non prætermisisset, quare cum de speciali illo beneficio in scripturis nihil contineatur, locum omnino habebit generalis regula, Gen. III. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*; cum peccati pœna non solum sit animæ a corpore separatio, sed etiam corporis in cinerem redactio; tum quia in historicis non licet ex scripturis argumentari negative, sed tantum in fidei articulis: tum quia indicia haud obscura in scripturis exstant, ex quibus colligi potest, illos ad temporalem & corruptibilem vitam resuscitatos esse, & corpus animale, mortale ac corruptibile secum retulisse. Filius viduæ Sareptanæ, ab Elia resuscitatus, *traditur matri suæ*, 1. Reg. XVII. 23. ergo non fuit in gloriam cœlestem ablegatus, sed in terrenam matris familiam & œconomiam reductus. Idem de filio viduæ in Nain a Christo Salvatore resuscitato commemoratur, Luc. VII. 15. De filio Sunamitidis, quem Elisæus excitaverat, 2. Reg. VIII. 2. & 5. refertur, quod *una cum matre per integrum septennium tempore famis in locis externis fuerit peregrinatus.* De filia Jairi a Christo resuscitata evangelistæ memorant, quod Christus *jusserit illi cibum adponere*, Marc. V. 43. Luc. VIII. 55. non tantum ut veritas resurrectionis manifestaretur, sed etiam ut qualitas resuscitati corporis agnosceretur. Quin imo cum parentes puellæ in actu resuscitationis præsto fuerint, suspicio de spectro in eorum animos non poterat cadere. Luc. XXIV. 41. Lazarus ex mortuis a Christo revocatus cum reliquis convivis *mensæ adcumbit*, Joh. XII. 2. tale igitur corpus ex sepulchro retulit, quod cibo ac potu indiguit, neque enim specialem quamdam οἰκονομίαν, ut in corpore Christi ex mortuis suscitato scriptura manifestat, neque principes sacerdotum pro immortali Lazarum habebant, alias *non cogitassent ipsum interficere* v. 10. Ex quibus constat, mortuos illos ad temporalem & corruptibilem vitam esse suscitatos, id quod etiam ex scopo horum miraculorum probatur, qui inter reliquos fines etiam hic fuit, ut desiderio parentum & cognatorum obitum istorum mortuorum anxie lugentium satisfieret. Jam vero illi desiderabant mortuos ad hanc vitam & terrenam conversationem sibi restitui. Quod autem corpora illorum fuerint animalia & mortalia, ex qualitatibus & actionibus eorum patere potest. Neque enim fuerunt invisibilia,

impassibilia, agilia, subtilia, sicut corpora glorificata, sed contrariis potius qualitatibus adfecta; neque actiones eorum fuerunt spirituales, cœlestes & angelicæ, sed animales, physicæ ac terrenæ, comederunt enim ac biberunt non ex peculiari quadam dispensatione, ea enim non est perpetua, sed certi duntaxat temporis; jam vero hi resuscitati semper visi sunt, nec ex libertate, sed ex necessitate cibum adsumserunt. Ergo ex naturæ & corporum conditione. 3) Cum ergo mortui illi non fuerint resuscitati ad statum & consortium alterius, sed hujus vitæ, utique morti adhuc fuere obnoxii. Primo mortui fuere non ad solvendum naturæ debitum, sed ut Christo & sanctis daretur occasio manifestandi gloriam Dei. Joh. XI. 4. *Infirmitas hæc non est ad mortem*, (ut in ea perseveret & permaneat usque ad extremum judicium & universalem resurrectionem) *sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam* (extraordinaria & miraculosa actione a morte ipsum excitando) Matth. IX. 24. Luc. VIII. 52. dicit Christus de filia Jairi: *Puella non est mortua, sed dormit.* Vere quidem mortua erat, alias non fuisset vera resuscitatio, nec verum miraculum; interim Christus negat, eam esse mortuam, quia jam jam ex morte erat suscitanda, nec dum talem occubuerat mortem, quæ est commune naturæ debitum, & in qua usque ad extremum judicium erat perseverandum. Act. XX. 10. Paulus de Eutycho dicit: *Anima ejus est in ipso*; non quod Eutychus non fuerit revera mortuus, sed quia anima ad preces Pauli in pristinum domicilium mox erat reversura, nec ea ratione a corpore separata, ut ad extremum usque diem ab eo soluta persisteret. 4.) Cum corpora illorum resuscitatorum nondum fuerint spiritualia, glorificata, immortalia & incorruptibilia, sed animalia, mortalia & corruptibilia, 1. Cor. XV. 45. ex eo ulterius colligimus, quod a veneno peccati & vitiosa ejus radice nondum fuerint purgata & liberata. Mortalitas enim ac corruptibilitas præsupponit peccatum, cum sit ex peccato orta, ut in præcedentibus fuit demonstratum. Adde quod ordinarius modus, quo peccati radix e corpore humano tollitur, inchoative consistat in cinerefactione, consummative in resuscitatione ad vitam cœlestem & spiritualem. Jam vero corpora illorum nec in cineres fuere redacta, nec ad vitam cœlestem resuscitata. Nec est, quod suspiceris, *metuendum esse, ne Deo aliqua impingatur macula, si corpora illa tum peccato resuscitasse dicatur*; quia non hoc adscribendum Dei actioni, ipsi scilicet resuscitationi, sed extremæ hominis corruptioni, quod peccatum in corpore ejus tam altas egerit radices, ut non nisi per cinerefactionem plene expurgari possit. Deus in utero format corpora peccatis infecta, Deus conservat impiorum corpora peccatis contaminata, Deus ex morte suscitabit corpora damnandorum peccatis penitus cooperta, neque tamen ullam ex eo labem contrahit, quia distinguendum creatoris, conservatoris ac resuscitatoris beneficium, ab hominis creati, conservati ac resuscitati vitio. 5.) Ulterius, cum corpora illorum resuscitatorum nondum fuerint a peccati radice purgata, ex eo colligimus, animas etiam nondum fuisse a peccati labe purgatas ac liberatas. Neque enim permittit justitia divina, ut anima a peccato pura ac libera in corpus peccato infectum velut in carcerem venenatum detrudatur. Præterea, si animæ illorum fuissent a peccati macula prorsus purgatæ, reliquum, quod in his terris exegerunt, vitæ spatium ab omni peccato immunes transegissent, quia peccati principium est in anima intelligendi ac volendi facultate prædita, non in corpore sensus ac motus per se experte. Jam vero illos resuscitatos ab omni peccati labe immunes fuisse vix potest verisimili quodam argumento demonstrari. 6.) Denique, cum animæ illorum resuscitatorum non fuerint in morte a peccati labe purgatæ, ex eo verisimiliter colligere licet, quod non fuerint post mortem in statum gloriæ & in vitam cœlestem protinus receptæ, quia in *Hierosolymam talem non intrat aliquid coinquinatum*, Apoc. XXI. 27. Adde, quod bonitati divinæ non satis congruum videatur, si ex statu gloriæ præter

ter omnem suam culpam in statum infelicitatis ac miseriæ fuissent deturbatæ; quodque difficulter admitti potest, animam glorificatam ad actiones vitæ animalis concurrere posse. Cumque in infernum illæ animæ præcipitatæ dici nequeant, siquidem remissionem peccati & reatus solutionem ex hypothesi loquendo obtinuerunt, inde inferunt, quod in tertio quodam πῦ ante reductionem in corpus exstiterint. Neque est, quod metuas, pontificiorum hypothesi de purgatorio ac limbo fulcrum aliquod substitui, quia distinguendum inter receptaculum *ordinarium* ac commune, ac *extraordinarium* & singulare. Quemadmodum ex peculiari & extraordinaria illorum hominum ad hanc vitam resuscitatione inferri nequit, alios etiam homines ad hanc vitam eodem modo revocandos; ita ex peculiari & extraordinario animarum illarum receptaculo concludi nequit, aliorum etiam hominum animas in locum quemdam intermedium post mortem colligi. Lucas Osiander in comm. 1. Pet. III. statuit, *animas eorum, qui tum demum pœnitentiam egerunt, quando aquas diluvii ingruere, ac sibi moriendum esse viderunt, non statim in conspectum Domini fuisse admissas, sed alicubi tanquam in custodia, citra tamen cruciatum, fuisse detentas, usque dum Christus post suam passionem ac mortem illis adnunciaret, quod in gratiam a Patre cœlesti essent recepti, easque animas in paradisum transferret.* Nemo tamen ex hac privata opinione Osiandri colligere potest, quod vel purgatorium pontificium, vel limbum patrum aut puerorum sine baptismo decedentium confirmatum dare voluerit, cum distertis verbis ea omnia repudiet.

§. LXIX. Atque hæc de proposita controversia dicta sint, de qua coronidis loco notetur, 1.) esse eam rem *quæstionis non fidei*, ac proinde dissentientibus non posse hæreseos dicam scribi; 2.) τοπικῶς non autem ἀποδεικτικῶς de ea differi posse, cum neutrum in scripturis expresse definitum ac decisum exstet, an scilicet resuscitati illi vivi in cœlum translati, an vero iterum mortui fuerint. 3.) Posterior tamen sententia, quod adtinet τὸ ὅτι, probabilior nobis videtur, cui non solum recentiores quamplurimi, sed etiam quidam ex veteribus adsurgunt. Tertullianus lib. de resurrect. carnis cap. 38. p. 333. de resuscitatis a Christo scribit: *Non in gloriam nec incorruptibilitatem, sed in mortem aliam suscitabantur.* Epiphanius in ancor. col. 1006. *Illi* (ab Elia & Elisæo suscitati) *ubi resurrexerunt, rursus mortui sunt.* Augustinus epist. XLIX. ad Deo gratias Presbyterum q. 1. ad quæstionem: *utrum Christi an Lazari resurrectio promissæ resurrectioni magis conveniat?* respondet, *Christi potius quam Lazari resurrectionem eidem congruere, addita ratione, quia Lazarus ita resurrexit, ut iterum moreretur, Christus autem surgens a mortuis jam non moritur, quod etiam promissum est resurrecturis in fine seculi.* Idem lib. XXII. de civ. Dei cap. 28, *Isti auctores talem resurrectionem corporis factam fuisse narrarunt, quales fuerunt eorum, quos resurrexisse novimus, & huic quidem redditos vitæ, sed non eo modo, ut non morerentur ulterius.* In enarr. Psal. CXXIX. circa medium: *Helias resuscitavit mortuum, & Helisæus, sed resurrexerunt iterum morituri. Dominus ipse quos suscitavit, morituri resurrexerunt &c. semel nati sunt, sed bis mortui sunt, nemo resurrexerat nunquam moriturus, nisi Dominus.* Damascenus lib. IV. orth. fid. cap. 8. 2. *Resuscitavit Christus Lazarum πάλιν ὑποστρέφειν μέλλοντα εἰς θάνατον.* In harmonia de resurrect. cap. III. p. 92. ex veteribus produximus hanc allegoriam: Linteamina & sudarium Christus resurgens in monumento reliquit; Joh. XX. 6. & 7. quia ad immortalem vitam resurgebat, in qua nullus vestimentorum usus: sed Lazarus a mortuis excitatus adfert secum *κειρίας, fascias sepulchrales & sudarium*; Joh XI. 44. quia resuscitabatur ad hanc mortalem vitam, ac erat ipsi denuo moriendum. 4.) Quod vero τὸ διότι καὶ τὸ πῶς concernit, quo scilicet in πῦ adservatæ fuerint resuscitatorum istorum animæ, antequam in pristinum corporis domicilium reducerentur,

an

an non fuerint in meliori statu extra corpus, quam in corpore; an pristini status sui recordari potuerint, necne; quibus ex causis, quove consilio iteratæ morti Deus homines illos subjicere voluerit; num mortem proprie sic dictam, an vero aliquid ἀνάλογον morti, immutationem scilicet duntaxat subierint? in his & similibus præstat cautam profiteri ignorantiam, quam temerariam venditare scientiam. Ecquis enim sine παραπρεσβείας suspicione in extraordinarii & miraculosi operis causas ac circumstantias extra limites verbi scrupulosius inquirere, & quod Deus occultum esse voluit, in lucem producere; quod singulare, ad communis cursus regulas revocare audebit? 5.) Distinguendum etiam inter eos, qui a Christo, prophetis & apostolis resuscitati fuere, & inter illos, qui cum Christo resurgente dicuntur resurrexisse Matth. XXVII. 52. De illis verisimilius, quod fuerint iterum mortui, de his idem statuit Augustinus epist. XCIX. ad Evodium; Theophylactus in Matth. XXVII. Brigitta lib. VI. cap. 64. quod scilicet peracto testificationis suæ de Christo officio iterum mortui fuerint, quæ sententia nititur hac hypothesi, quod resurrexerint ad vitam mortalem. Sed verisimilior est sententia Epiphanii hæres. LXXV. Ambrosii in Psal. I. & aliorum, quod resurrexerint ad vitam immortalem & cum Christo in adscensione cœlos ingressi sint, id quod ex phrasi evangelistæ probavimus in harm. de pass. cap. 18. p. 855. Confer Cajetanum in Matth. XXVII. & Blasium de Vieg. in Apoc. p. 27.

C) *Antecedentia mortis remotio.* §. LXX. C) *Antecedentia mortis* ab Hugone, lib. II. de claustro animæ, revocantur ad tria capita. *Tres* (inquit) *sunt nuncii mortis, casus, infirmitas, senectus. Casus dubia, infirmitas gravia, senectus certa denunciat. Casus nunciat mortem latentem, infirmitas adparentem, senectus præsentem.* Possunt etiam antecedentia illa sic distingui, ut 1.) quædam dicantur omnibus hominibus *communia*, quædam vero certis individuis peculiaria ac *propria*. 2.) Quæd m *remota*, quædam vero *propinqua*. Remota sunt I) *Morbi*, qui sunt mortis caduceatores, ac quorum ultimus medicus mors est. Qui morbis a Domino corripitur, de vitæ exitu admonetur. Psal. XXXIX. 12. *In increpationibus propter iniquitatem corripuisti virum, & liquescere fecisti, ut tineam desiderium ejus.* Gregorius dolores ac morbos vocat *sagittas hominem molestantes, & viam ad ipsam mortem sternentes.* I) *Morbi.*

II) *Senectus*, quæ est mortis prodromus; quemadmodum enim senectus adolescentiam sequitur, sic mors senectutem. *Alia genera mortis spei mixta sunt, definit morbus, incendium exstinguitur, ruinam, quæ aliquem videbatur oppressura, quispiam evadit, depositi mare, quos hauserat eadem, in qua sorbebat hora, projecit incolumes, gladium miles ab ipsa cervice peritura revocabit; nihil autem habet, quod speret, quem senectus ducit ad mortem.* Seneca epist. XXX. In senectute oculi caligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatus non suaviter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes humor inflat, hæc omnia ruituram corporis domum prænunciant. II) *Senectus-*

Descriptio senectutis Eccles. XII. tradita. §. LXXI. Cumprimis vero senectutem graphice depingit Salomon Eccl. XII. 1. *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniant dies mali, & adtingant anni*, (senectutis) *de quibus dicas, non mihi voluntas in eis.* v. 2. *Antequam obtenebrescat sol & lux, & luna & stellæ* (antequam oculi, qui sunt luminaria microcosmi, sicut sol, luna & stellæ macrocosmi, incipiant caligare. Gen. XXVII. 1. *Senuit Isaac, & caligaverant oculi ejus, & videre non poterant.* 1. Reg. XIV. 4. *Ahia non poterat videre, quia caligaverant oculi ejus præ senectute.* Quidam metaphoram transferunt ad res adversas, ut sit sensus: Priusquam veniant tempora tristia

triſtia & adverſa, ut videantur tibi nec luminaria nec ſtellæ lucere, quia ſcriptura proſperitatem cum luce, adverſitatem cum tenebris conferre ſolet; ſed prior interpretatio ſequentibus magis congruit) *ac antequam revertantur nubes poſt pluviam.* (hoc accipi poteſt de exhalationibus ac vaporibus ex imbecillitate ventriculi & vitio concoctionis in ſenili ætate crebrioribus, ac fere continuis, quæ materiam ſuppeditant deſtillationibus cerebri, ex quibus porro ſequuntur catharri, tuſſis, difficultas reſpirationis &c. Sed & cœlum ſenibus propter viſus imbecillitatem perpetuo videtur nebulis ac pluviis obductum. Quidam metaphorice accipiunt de viciſſitudine gaudii ac triſtitiæ ſenibus denegata. Juvenes, ubi calamitas aliqua præterierit, iterum exſultant, & oſtendit ſe illis poſt pluviam ſerenitas; ſenum vero, etiamſi triſtis aliquis caſus abierit, tamen reſidet in animo ægritudo, quæ inſtar denſæ nubis omnem lætitiæ ſerenitatem in illis abſcondit, etiamſi pluvia ceſſet, tamen cœlum manet nubibus obductum ac triſte. Hanc interpretationem ſi quis amplecti velit, ſtatuere poterit, in hoc verſiculo incommoda ac moleſtias ſenectutis deſcribi γενικῶς, quæ in ſequentibus explicentur εἰδικῶς) v. 3. *In die illa commovebunt ſe cuſtodes domus* (manus & brachia, quæ univerſam corporis compagem inſtar cujusdam domus affabre exædificatam cuſtodiunt, tum ſalutaria adhibendo, tum noxia propulſando, ſed hi cuſtodes in ſenectute ſeſe commovent atque agitant, id eſt, tremuli fiunt) *& incurvabunt ſe viri robuſti*, (Hebraice: הַתְעַוְּתוּ, *pervertentur, curvabuntur*, a radice עָוַת, *curvatus, perverſus fuit.* Viri fortes ſunt crura, quæ in ſenectute curvantur ac pervertuntur, id eſt, incipiunt nutare ac vacillare. Quidam in genere accipiunt de oſſibus hominis, quia ſtatura hominis ſiccitate contrahitur, ut oſſa videantur incurvata) *& ceſſabunt molares, quia diminuerunt ſe*, ſive *defecerunt* (per *molentes* intelliguntur dentes, qui non ſolum ratione numeri diminuuntur, ſed etiam reſpectu efficaciæ in mandendo ceſſant ac intermittunt, quia ſenes ob dolores ſubinde recurrentes coguntur ægre & lente mandere. Alii reddunt: *Molares reddentur inutiles ac diminuent*, ſcilicet molitionem, id eſt, non poterunt cibum contundere & comminuere, qui ſenſus eodem redit) *& obtenebreſcent videntes per feneſtras.* (Vatablus ſubintelligit facultates per oculorum feneſtras officium ſuum exſerentes, illæ obtenebreſcunt, quia in ſenectute non oculi ſolum fiunt caliginoſi, de quo incommodo dixerat v. 2. ſed etiam quaſi retracti, non prominentes, ac male proſpiciunt per feneſtras ſeu foramina, quæ ſunt in calvaria.) v. 4. *Et claudentur oſtia in platea*, (Hebraice: בַּשּׁוק, *extrinſecus* vel *foris.* Oſtia illa ſunt labia, cordis oſtia, quæ in ſenibus clauduntur, id eſt, ſenes ea non libenter aperiunt, tædet eos loqui, ſunt moroſi in loquendo. Quidam ſic vertunt, *Occludentur valvæ foro*, id eſt, abſtinebis a foro & negotiis publicis, non delectaberis hominum frequentia & converſatione, ex qua juvenes voluptatem capiunt, eris aliis ingratus ac moleſtus, ut nec foris, nec domi delectationem capere poſſis, aut rebus jucundis recreari) *in humilitate vocis molæ*, (per vocem molentis humiliatam intelligunt *vim digeſtionis* debilitatam ac imminutam. Quidam adcommodant ad *vocem*, quæ per dentes & linguam ita formatur, ut fiat articulata, illa in ſenibus humiliatur ac remittitur, id eſt, exilis redditur, nec amplius tam clara eſt & alta, ut in juvenibus. Quidam ad maſticationem adplicant, *humiliatur vox molentis*, id eſt, dentes ſenum non amplius ſono quodam cibum molunt ac comminuunt, ſicut robuſti juvenes faciunt; ſed hoc incommodum jam ante v. 3. adtigerat, præſtat igitur vel de digeſtionis imminutione, vel vocis remiſſione accipere.) *& conſurget ad vocem volucris* (ſubintellige *ſenex.* Senſus eſt, quod ſomnus reddatur deterior, quando enim cibus ad ſtomachum non trajicitur, vel non bene concoquitur, tollitur ſomni cauſa, ſicque etiam ad aviculæ cantum ſenex ſuſcitatur; accedit inſuper corporis ſiccitas ſomno inimica & adverſa) *& incurvabuntur omnes filiæ cantici*, (Hebraice: יִשָּׁחוּ, *humiliabuntur, deprimentur, ſubmiſſæ erunt.*

erunt. Quidam per *filias cantici*, sive vocis, intelligunt arterias ac fibras vocales, præsertim gutturis, quæ multum valent ad vocem eliciendam, ut sit sensus, vox gutturis, quæ prius erat sonora ac cantare poterat, erit submissa, adeo ut non audiatur. Sed quia de vocis remissione jam ante dictum fuerat, ideo alii per *filias cantici* intelligunt cantores ac cantatrices, quæ erunt humiles, id est, non audientur a senibus, nec illi eis delectabuntur, sicut Barsillai senex ad Davidem dicebat 2. Sam. XIX. 35. *Num audiam ultra vocem cantorum & cantatricum?* Quidam per *filias cantici* intelligunt aures canticis audiendis destinatas, illæ *incurvantur*, id est, fiunt flaccidæ ac pendulæ, nec ulterius suo recte funguntur officio.) v. 5. *Etiam ab excelso timebunt & pavebunt in via*, (Hebraice: מָגְּבֹהַּ, *a re alta*, id est, ambulantes in via timebunt, ne in lapidem paulo editiorem impingant, nullum erit tam æquabile solum, in quo sibi non metuant & caveant ab offensione & adtritione pedis. Piscator sic adcommodat: *Timebunt senes a loco alto quem scandere debent.* Vatablus: timere solent senes a re alta, quia non possunt adtollere crura, & confractiones, id est, offendicula ipsis parata in via, ita ut vel in festucam impingant. Venient eis in via contritiones ac pavores, ut præ lassitudine nequeant ambulare. Quidam sic exponunt: caput & humeri, quæ in juvenili ætate erant erecta, in senibus ita se incurvant & contrahuntur, ut incedant non aliter atque illi, qui sunt admodum timidi ac meticulosi; tales enim obstipo capite & demissis humeris incedunt) *florebit amygdalus*, (Hebraice: וְיָנֵאַץ הַשָּׁקֵד, quorum verborum tot ferme occurrunt interpretationes, quot in hunc locum commentati sunt scriptores. Hieronymus, Arias, Schindlerus, Lutherus & vulgata vertunt: *florebit amygdalus.* Verbum וְיָנֵאַץ deducunt a radice נוּץ posita in *hiphil*, ut א sit *epentheticum.* Cant. VI. 11. הֵנֵצוּ, *floruerunt malogranata.* שָׁקֵד est *amygdalus* a radice שָׁקַד, *vigilavit*, quia ista arbor prima omnium profert flores. Exponunt autem hoc modo, *Florebit amygdalus*, id est, adparebit canities in capite, quæ est alba sicut flos amygdali. Tremellius ab iisdem radicibus has voces deducit, sed refert ad sequens verbum. תָּפֵר vertit in adcusativo, *irritam faciet efflorescentem amygdalum*, id est, ne vere quidem ipso, quo arbores & animalia omnia lætari & gestire videntur, fastidium senis avertetur, sed omnia verni temporis beneficia nihilifaciet, ut συνεκδοχικῶς veris jucunditas describta intelligatur ab unius arboris flore. Sed hæc versio est coacta, cum וְיָנֵאַץ & וְיִסְתַּבֵּל in *futuro* ponantur, ac חָגָב & חַשְׁקֵר per accentum *Zakephkathon* a verbo תָּפֵר distinguantur. Santes Pagninus vertit: *& reprobabitur coitus*, sicut Gen. XVIII. 12. Sara inquit: *Postquam senui, num erit mihi voluptas, & postquam dominus meus senuit?* Deducit ergo verbum וְיָנֵאַץ a radice נאץ, quod significat *reprobare, contemnere, spernere*, ac חַשְׁקֵר per metathesin literarum accipit positum pro רשקה, quod membrum coitus interpretantur. Sed & hoc coactum est, ut quilibet animadvertit. Alii exponunt, *& crescent palbebræ*, præ adtenuatione scilicet & macie faciei. Sed שקר pro palpebris usurpatum vix occurret) *& oneri erit locusta* (Hebraice: וְיִסְתַּבֵּל חֲגָב, a radice סָבַל, *portavit, bajulavit.* In hitphaël *oneri fuit.* חָגָב est genus locustæ. Hebræi hoc sensu exponunt: Totum corpus ita debilitabitur, ut nec insultum locustæ, animalculi exigui, Num. XIII. 34. ferre possit. Alii sic intelligunt: Incedet incurvo dorso instar cicadæ, vel gracilibus cruribus & depresso corpore ingredietur, quasi videas locustam grave onus ferentem, sub quo incurvetur. Tremellius conjungit cum verbo תָּפֵר, ac verbum וְיִסְתַּבֵּל *participialiter* exponit, *irritam faciet pinguefacientem se locustam*, sicut & LXX interpretes verterunt παχυνθῇ, *pinguescet.* Sensum dicit esse eum, quod veris amœnitas, in quo omnia animalia lætari & gestire videntur, non possit fastidium ætatis in senibus tollere. Sed quid de

de hac interpretatione ſtatuendum ſit, paulo ante vidimus. Pagninus vertit, *& onerabitur dorſum ſive ſpina dorſi*, onerabuntur lumbi, ut dorſum incurvatum figuræ ſaltantis & incurvatæ cicadæ μεταφορικῶς conferatur, vel ut eliſo ח legatur חַגָּב) *diſſipabitur cupiditas* (Hebraice: וְתָפֵר הָאֲבִיוֹנָה, *abibit deſiderium*, a radice אבה, *deſideravit, concupivit*, hoc eſt, non amplius vigebit adpetitus cibi & potus, ſuccedet ἀνορεξία, dejicietur omnis adpetentia. Quidam referunt ad libidinem, quæ in ſenibus exſtinguitur propter virium debilitatem & ſpirituum defectum. Quidam legunt בִּינָה, *intelligentia*, quia decrepiti ſenes ut corpore, ita quoque animo deficiunt, ſicque א eſſet *hæmanthicum*. Rabbi David Kimchi per אֲבִיוֹנָה intelligit *animæ & corporis confœderationem*, quæ in ſenibus brevi diſſolvitur. LXX interpretes & Hieronymus verterunt ἡ κάππαρις, *diſſipabitur capparis*, legerunt ſubſtitutis aliis punctis אֲבִיוֹנָה, cujus *plurale* אֲבִיוֹנֹת, *baccas cabbaris*, Rabbinis ſignificat, quæ juxta Avicennam Venerem proritant. Vatablus reddit: *Et franget fœdus concupiſcentiæ*, id eſt, pars illa concupiſcibilis animæ, cui deſiderium tribui ſolet, rumpet fœdera, quæ pepigit cum corpore) *quoniam vadit homo ad domum ſeculi ſui, & circumibunt in platea plangentes*. (Tremellius etiam hæc verba ad deſcriptionem ſenectutis adcommodat, ut ſit ſenſus: *cum homo jam verſatur in ætate decrepita, propediem moriturus, & a propinquis efferendus funere*. Sed rectius de morte intelliguntur, unde a b. Luthero parentheſi ea recte includuntur; ſenſus enim eſt, Deum per morbos & ſenectutem, ejusque incommoda multiplicia hominem ad mortem præparare ac deducere. Per בֵּית עֹלָמוֹ, *domum ſeculi* ſive æternitatis intelligi poteſt *ſepulcrum*, vel quia ſeculum præſens, id eſt, omnes homines hujus ſeculi in hanc domum tandem deveniunt, vel quia homini in hac domo permanendum usque ad diem noviſſimum, in quo futurum ſeculum inchoabitur. Commodius per *domum æternitatis* intelligitur animæ poſt mortem receptaculum, in quo in omnem æternitatem ei permanendum. *Durch den Tod kommen wir aus der Zeit in die Ewigkeit.* Per *plangentes in platea circumeuntes* intelliguntur amici deducentes funus per plateam cum planctu & lacrimis, quæ tamen plerumque ſolent citiſſime arefcere.) Sequentia verba a quibusdam ad deſcriptionem ſenectutis, a quibusdam ad deſcriptionem mortis referuntur, ut videbimus. v. 6. *Antequam elongetur funis argenteus*, (Quidam legunt יֵרָחֵק, antequam *ſolligetur* ſive *conſtringatur*, id eſt, brevior fiat, funis argenteus, quam ut aquam putei adtingere poſſit, a radice רָחַק, *ligatus, concatenatus, conſtrictus fuit*. Sed pleraque exemplaria legunt יֵרָחֵק, *antequam elongetur ſive prolongetur funis*, a radice רָחַק, *elongatus, amotus, remotus fuit*. Vulgata reddidit: *antequam rumpatur*; alii: *antequam removeatur*; quando enim funes elongantur, tandem rumpuntur ac removentur. Per *funiculum argenteum* plerique omnes intelligunt medullam in ſpina dorſi, quæ ob albedinem vocatur argentea; illa in ſenibus prolongatur, quia incedunt incurvi, ob quam curvitatem medullam ſpinalem extendi oportet. Piſcator vertit, *antequam diſſolvatur funis*, legit enim & ipſe יֵרָחֵק, ab uſitata radice רָחַק, unde nomen רְתוֹק, *catena*, a quo nomine verbum *niphal* ſignificationem accipit, eamque privativam, q. d. decatenari, id eſt, diſſolvi, quod proprie competit funi. Sic ergo ad deſcriptionem mortis potius, quam ſenectutis, hoc pertineret; in morte enim funis ille argenteus diſſolvitur ac rumpitur. Vatablus ad ſenectutem adcommodat, & ab eadem radice deducto verbo vertit, *antequam brevietur*; ſolent enim, inquit, ſenes breviari, eo quod medulla brevietur. Sed verbum רחק contrariam potius ſignificationem obtinet, ac ſpinalis medulla in ſenibus potius flacceſcit ac diſſolvitur, quam ut brevietur & contrahatur. Quidam *funis argentei* nomine intelligunt alimoniam per cibum ac potum, quæ eſt quaſi funiculus animam & corpus connectens, illa in ſenibus

tandem ceſſat, ſicque funiculus ille diſſolvitur. Quidam arterias ſive venas pulſatiles argenti inſtar albicantes. Tremellius propriam ſignificationem retinet hoc ſenſu: *Antequam Deus tibi adimat ornamenta, videlicet inſtrumenta argentea, ut ſunt catenæ, lora, cingula & ſimilia*, ſed hoc nimis dilutum) & *decurrat ſcaturigo aurea* (Qui ad mortis deſcriptionem adcommodant, vertunt: *antequam confringatur lenticula aurea*. Hebræum וְתָרֵץ גֻּלַּת הַזָּהָב Nomen גֻּלַּת in *regimine* ponitur, in ſtatu abſoluto גֻּלָּה per metaphoram ſignificat *phialam, lenticulam*, ex qua velut e ſcatebra quid effunditur, 1. Sam. XVII. 41. Zach. IV. 3. proprie autem ſignificat *ſcaturiginem* ſive *ſcatebram*, ex qua aqua provolvitur ac promanat, Joſ. XIII. 2. Jud. I. 15. a radice גלל, *volvit, revolvit &c.* תָּרֵץ quidam deducunt a רצץ, *quaſſavit, concuſſit, contrivit, confregit.* 1. Sam. XII. 3. 2. Reg. XXIII. 11. &c. ut *ſchuree* ponatur loco *holem*, quidam vero a רוץ, *decurrit.* Per phialam ergo auream quidam intelligunt membranam, quæ cerebrum continet, ac a medicis μήνιγξ dicitur, ac vocatur *aurea*, quia eſt flava auri colorem habens, ut ſit ſenſus, antequam illa membrana cerebrum cingens frangatur ſive conteratur, id eſt, antequam homo moriatur, quia membrana illa fracta hominem interire neceſſe eſt. Toſſanus per *phialam auream* intelligit ſplenem, qui bilem inſtar auri flavescentem adtrahit. At ſplen non eſt bilis flavæ, ſed ſanguinis melancholici receptaculum. Quidam propriam ſignificationem nominis גֻּלָּה acceptant ac vertunt, *antequam decurrat fons aureus*, id eſt, cerebrum, non quod colorem aureum habeat, ſed quia includitur pelliculæ aurei coloris. Tremellius vertit: *antequam excurrit orbis aureus*, ut גֻּלָּה ponatur pro גְּלֹבַל orbis, ſphæra, & quidquid in circulum convolvitur, ut ſit ſenſus, antequam Deus tibi adimat ornamenta aurea, ut ſunt annuli, bullæ, monilia & hujus generis alia. Qui ad ſenectutis deſcriptionem adcommodant, ſic vertunt: *antequam decurrat ſcaturigo aurea*, id eſt, antequam humidum radicale, quo vita hominis conſervatur, conſumatur, ac ſenilis marasmus ſuccedat. Schindlerus adcommodat nomen ſcaturiginis ad *verba legis*, quæ quomodo in ſenibus quaſſata dici poſſint, non video, niſi forte eo reſpexit, quod in morte hominis miniſterium legis ſive verbi ceſſet.) *& conteratur hydria ſuper fontem* (Hebræum תִּשָּׁבֵר eſt *futurum* niphal, a radice שָׁבַר, *fregit, disrupit.* כַּד, *hydriam, cadum, vaſculum* aquis hauriendis commodum deſignat, Gen. XXIV. 14. מַבּוּעַ ſignificat *ſcaturiginem, fontem*, a radice נָבַע, *ſcaturivit, ebullivit*, Prov. XVIII. 4. Per *hydriam* intelligunt Hebræi conceptacula illa ſanguinis, quæ a jecore recipiunt ſanguinem, id eſt, venas, per *fontem* ipſum jecur, officinam αἱματώσεως ſive ſanguificationis, unde a jecore velut ex fonte ſanguis oritur, ac per tubulos venarum in totum corpus diſtribuitur. Quidam per *hydriam* intelligunt veſiculam fellis, receptaculum flavi fellis; quidam *ventriculum*, ut ſit ſenſus, ſtomachum non facere officium in ſenibus in cibo concoquendo, ac in morte tandem membra illa nutritioni inſervientia penitus confringi. Piſcator per *hydriam* intelligit venas meſaraicas, juxta epar ſitas, ex quo tanquam e ſcatebra hauriunt ſuccum ſanguineum, eumque in ſanguinem perfectum commutant. Duo enim ſunt venarum meſaraicarum officia, videlicet chylum in jecur transportare, & ex hoc in inteſtina ſanguinem refundere, ut ex Galeno lib. III. de facult. nat. docet Laurentius lib. IV. anatom. cap. 7. quæſt. 5. Schindlerus in verbo כדר exponit, *antequam venter in ſepulcro frangatur*, ſed in verbo נבע per hydriam ciſtulam fellis intelligit. Tremellius ſic explicat, *antequam abrumpantur commoditates tuæ ad hanc vitam pertinentes*, quod *ſynecdochice* more Hebræorum exemplo imo figurari adſerit) *& confringatur*, ſive *conteratur rota ſuper ciſternam ſive puteum.* (Per *rotam ſuper ciſternam* Hebræi intelligunt cranium capitis, quod in ſepulcro dicunt confringi. At cranium illud ob duritiem oſſis diutiſſime integrum perſeverat. Vatablus per *rotam* intelligit caput, per *puteum* cor, a quo trahun-

trahuntur vires vitales. Vt enim miniſterio rotæ haurimus aquam, ſic in capite omnes ſenſus conſtituuntur, unde a corde vitales vires adtrahit. Piſcator adcommodat ad *pulmonem*, qui continuo motu halitum nunc adtrahit, nunc repellit, ſicut rota ad ciſternam, vel puteum, hydriam nunc demittit, nunc adtrahit, cum in morte disrumpi dicunt. Quid ſi per *rotam* intelligatur jecur? ut enim rotæ opera aqua e puteo extrahitur, ita jecur chilum ad ſe trahit, eumque in ſanguinem commutat, ac toti corpori diſtribuit, ſed in ſenibus epar in ſanguine conficiendo ac diſtribuendo ſuo non ſatisfacit officio. Tremellius inſiſtit literali ſenſui: *Rota, qua vertente hauſtrum in ciſternam profundiorem inducitur, confringetur*, id eſt, neque propinquis bonis, neque remotis utendi facultatem habiturus es.) v. 7. *Et revertatur pulvis ad terram, quemadmodum fuit, & ſpiritus revertatur ad Deum, qui dedit illum.* (id eſt, miſeri ſenes tantiſper cum multiplicibus illis incommodis ac moleſtiis conflictantur, donec animæ & corporis vinculo per mortem ſoluto, corpus hominis e pulvere terræ initio formatum, Gen. II. 7. ſepulcro inferatur, inque eo in pulverem & cinerem redigatur, anima vero, quæ ſpiritus eſt, ad Deum creatorem revertatur, ejusque judicio ſiſtatur, atque ab eo vel tradatur angelis ſanctis in ſinum Abrahæ deportanda, vel malis ſpiritibus in gehennam detrudenda. Quidam in ſpecie ad animas piorum adcommodant, cum Salomon ſermonem dirigat ad populum Dei; illæ igitur dicuntur reverti ad Deum, quia in cœlum a ſanctis angelis deferuntur.) Atque hæc eſt allegorica illa ſenectutis deſcriptio verbis obſcurioribus, ſed perquam emphaticis ac ex intimis naturæ penetralibus petitis, a Salomone ſapientiſſimo tradita. Confer Valleſium de ſacra philoſoph. cap. LXVI. p. 375.

III) *Calamitates hujus vitæ.*

§. LXXII. III) Ad mortis *antecedentia* referenda ſunt non tantum *morbi ac ſenectus*, quæ per ſe morbus eſt, ut ait comicus, ſed etiam *omnes hujus vitæ calamitates atque adverſitates*. Vt enim mors, ita quoque omnes hujus vitæ calamitates ac miſeriæ ſunt pœnæ peccati originalis, Gen. III. 16. & ſeqq. Ambroſius vel Proſper in lib. II. de voc. gent. cap. 3. *Omnes naturæ noſtræ incolumitatem primi hominis prævaricatione perdidimus, inde tracta mortalitas, indeque multiplex corporis atque animi corruptio.* Auguſtinus lib. XIII. de civ. Dei cap. 14. *A liberi arbitrii malo uſu ſeries hujus calamitatis exorta eſt, quæ humanum genus origine depravata velut radice corrupta usque ad ſecundæ mortis exitium, quæ non habet finem, ſolis illis exceptis, qui per gratiam liberantur, miſeriarum connexione perducit.* IV) Quinimo tota hæc mortalis vita nihil eſt, quam continua ad mortem via. Auguſtinus libr. XIII. de civ. Dei cap. 10. *Quidquid temporis vivitur, de ſpatio vivendi detrahitur, & quotidie fit minus, minusque quod reſtat, ut omnino nihil aliud ſit tempus hujus vitæ, quam curſus ad mortem, in quo nemo ſtare permittitur, ſed ſemper dictam unam quolibet die quisque noſtrum facit.* Bernhardus de dom. inter col. 1743. *Vita hominis ſingulis diebus expenditur. Vita hæc fragilis & caduca quanto magis creſcit, tanto magis ad mortem accedit. Vitæ hujus principium mortis eſt exordium, neque incipit ætas prius augeri, quam minui.* Manilius:

Naſcentes morimur, finisque ab origine pendet.

Seneca in Herc. furente:

Tibi, mors, paramur,
Sis licet ſegnis, properamus ipſi,
Prima, quæ vitam dedit, hora carpſit.

Vita hæc noſtra naviganti ſimilis, qui enim navigat, ſive ſtet, ſive ſedeat, ſive jaceat, ſemper eo propius abit, quo impulſu navis ducitur: ſic & nos, ſive dormientes, ſive vigilantes, ſive jacentes, ſive ambulantes, ſive nolentes, ſive volentes per momenta temporum ſemper ad finem ducimur. Seneca epiſt. XXIV. *Quotidie morimur, quotidie* enim *demitur*

mitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, usque ad hesternum, quidquid tranfit temporis, perit, hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus. Idem: *Vltima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat, tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus. In mortem non repente incidimus, sed minutatim procedimus.* Thomas Morus:

Scilicet ex illa, qua primum nascimur hora,
Prorepunt juncto vitaque morsque pede.

Antecedentia propinquiora. §. LXXIII. Propinquiora mortis *antecedentia* sunt, vel *interna*, vel *externa*. *Interna*, quæ in *corpore* vel in *anima* homini obtinguntur; externa, quæ eidem exterius obversantur. Ad priorem classem pertinent 1.) *Sensuum interiorum & exteriorum, adeoque omnium animæ virium & omnium corporis membrorum labefactatio.* Morte enim adpropinquante oculi contabescunt, aures obsurdescunt, gustus pervertitur, memoria diminuitur, brachia & manus præ languore concidunt, pedes corporis molem ferre nequeunt, nasus redditur acutus, facies lurida, ac totum corpus ad putredinem & corruptionem vergit. Bernhardus in serm. *Cogita te jam mortuum, quem scis necessario moriturum. Distingue, qualiter oculi vertentur in capite, venæ rumpentur in corpore, & cor scindetur dolore.* 2.) *Conscientiæ morsus & adcusatio.* Moriturо omnia totius vitæ delicta occurrunt cum omnibus speciebus ac circumstantiis, quæ animum ipsius graviter angunt & excruciant. Ephremius de beatitud. anim. cap. I. sub fine: *Ea hora, cum anima dividitur a corpore, videns universa opera sua, dicit illis: Date mihi unius horæ spatium, donec egrediar. Et respondent simul omnia opera ejus, & dicunt ei: Tu nos egisti, tua opera sumus, tecum semper imus, tecum pergimus ad Deum.* Moriturus videt, se momento illi adpropinquare, a quo pendet æternitas, tempus bene operandi jam esse amissum, tempus ad pœnitentiam concessum esse fere totum præterlapsum, ac post mortem imminere judicium, in quo de actionibus, verbis & cogitationibus reddenda sit ratio. *Si non benefeceris*, inquit Deus ad Cainum, *peccatum cubat ad ostium.* Gen. IV. 7. In hac vita peccatum videtur quasi cubare & quiescere cessante adhuc conscientiæ morsu, sed cubat *ad ostium*, id est, quando per portam mortis ex hac vita egrediendum, tunc peccatum evigilat, & conscientiam graviter angit. 3.) *Dolorum & angorum multiplicatio.* Quemadmodum cum dolore & angore in hunc mundum nascimur; ita quoque cum dolore & angore ex eo egredimur. Sub vitæ igitur finem & ex hoc mundo abitum pœnas & molestias pendimus, quas in primo ad hanc vitam & in hunc mundum ingressu matribus nostris procreavimus, iisdem doloribus tempore discessus subjacemus, quibus matrem tempore partus fatigavimus, ut similis sit ingressui vitæ exitus. Fingunt poëtæ, Prometheum lutum, ex quo hominem finxit, non aqua, sed lacrimis maceraſſe, quia scilicet

Nascimur in lacrimis, lacrimis quoque vita madescit,
Et vitam rursus linquimus in lacrimis.

Cui tristi querimoniæ fides christiana merito illud subnectit:

O multas hominum lacrimas, absterget at omnes
Omnibus electis ipse Deus lacrimas.

Externa. §. LXXIV. *Externa* sunt 1.) *uxoris, liberorum & cognatorum ejulatus ac molestatio*; 2.) *multiplex ac varia diaboli insultatio, infestatio ac tentatio.* Quod si namque per totum vitæ cursum homini insidiatur, multo magis sub vitæ finem omnem suam calliditatem ac potentiam adversus ipsum exserit, sciens in hoc ultimo duello cum præsentissimo salutis discrimine homini aut vincendum aut succumbendum; unde quidam ex veteribus per *calcaneum*, cui serpens infernalis *insidiaturus* dicitur Gen. III. 15. vitæ finem,

finem, circa quem gravius hominem oppugnat, intelligunt. Cassanæus lib. IV. inst. cœnob. cap. 37. Quemadmodum Johannes Apoc. XII. 12. diabolum dicit *habere iram magnam, eum sciat, quod modicum tempus ad seducendum in fine seculi eidem supersit;* ita quoque circa finem vitæ quemlibet hominem magnis viribus & efferata ira adgreditur, itidem sciens, exiguum adhuc temporis spatium ad seducendum sibi esse relictum. Vtque in vita reliqua non uno duntaxat tentationum genere, sed *multiformi nocendi astutia*, ut Augustinus lib. XIX. de civ. Dei cap. 23. loquitur, hominem solet adgredi: *Aliis enim cupiditatem insatiabilem immittit, ut opibus suis tanquam compedibus illigatos a via veritatis abducat, alios inflammat iræ stimulis, ut ad nocendum potius intentos a Dei contemplatione detorqueat; alios immoderatis libidinibus immergit, ut voluptati & corpori servientes ad virtutem respicere non possint; aliis vero inspirat invidiam, ut suis ipsi tormentis occupati, nihil cogitent aliud, nisi eorum, quos oderint, felicitatem, alios inflammat ambitionibus; quos pios viderit, vanis implicat religionibus, ut impios faciat*; Lactantius lib. VI. de vero cultu cap. 4. p. 323. ac ut verbo dicam, *acrius tentat hominem ex illa parte, qua eum videt per extrescentem humorem facile inclinari ad vitia, ut secundum humoris conversionem adhibeat etiam tentationem*; Bernhardus serm. LXVII. de modo bene viv. col. 1741. ita quoque circa finem vitæ pro diversitate objectorum diversa ejaculatur tela, eruditos solicitat ad veræ fidei abnegationem, bonos ad præsumtionem, malos ad desperationem; infirmos ad impatientiam, divites ad nimiam circa terrena curam, paupere ad diffidentiam.

D) *Consequentia mortis.*
I) *Respectu totius compositi.*

§. LXXV. D) *Consequentia* mortis referri possunt ad duas classes. Quædam enim mortem consequuntur ratione *totius compositi*, quædam respectu *singularum partium*. Ad priorem classem pertinent 1.) *Nuda ex hoc mundo egressio.* Job. I. 21. *Nudus egressus sum ex utero matris meæ, & nudus revertar illuc*, non in matris uterum, sed in terram, sive *in sepulcrum*, ut Chaldæus paraphrastes adjecit, *in domum sepulcri*; est enim terra omnium nostrum mater, ac velut uterus maternus, in quem mortui recipiuntur, prodituri suo tempore ex eo iterum in vitam, Sirac. XL. 1. Salomon insistens Jobi vestigiis, Eccl. V. 14. *Quemadmodum homo egressus est ex utero matris suæ nudus, sic revertetur, ut vadat secundum quod venit, nec quidquam portabit de labore suo, quod ducat in manu sua.* 1. Tim. VI. 7. *Nihil intulimus in mundum, manifestum, quod nec quidquam auferre possumus.* 2.) *Omnium mundanorum gaudiorum, omnium corporis & fortunæ bonorum, quin & temporis ad pœnitendum ac bene operandum concessi amissio.* Psal. XLIX. 18. *Non cum mortuus fuerit* (dives) *accipiet omnia, neque descendet post ipsum gloria domus ejus.* Post mortem homo privatur bonis omnibus ad hanc vitam pertinentibus, corpus exuitur pulcritudine ac robore, perit nobilitas, auferuntur divitiæ, neque quidquam nisi linteolum corpus tegens ex omni divitiarum cumulo secum ex mundo homo aufert. *Vbi nunc Cæsaris præclarum corpus?* ait auctor serm. ad fratr. in erem. Augustino adtributi, *ubi divitiarum ejus magnitudo? ubi caterva baronum & nobilium? ubi acies militum? ubi adparatus delitiarum? ubi canes venatici? ubi veloces equi? ubi cantantes aves? ubi thalamus pictus? ubi lectus eburneus? ubi regalis thronus? ubi mutatoria vestimentorum? ubi capilli solares? ubi decora facies? te dudum verebantur homines, te timebant principes, te colebant urbes, te metuebant omnes, ubi nunc quæso sunt omnia? quo abiit tua magnificentia? pariter defecerunt hæc omnia, quando defecit spiritus ejus, & eum in sepulcro trium brachiorum reliquerunt cum fœtore & putredine.* Baptista Campofulgosus lib. VII. cap. 2. de *Saladino*, Ægyptio sultano, commemorat, quod in processione obsoletam tunicam sibi præferri curaverit, ac per præconem exclamari jusserit: *Saladinus Asiæ domitor tantum ex hoc mundo secum referet.* 3.) *No-*

3) *Novorum confinium egressio.* Post mortem *pulvis revertitur in terram, & spiritus ad Deum, qui dedit eum.* Eccl. XII. 7. utraque igitur pars hominis novas ingreditur sedes, easdemque sibi penitus ignotas.

II) *Ratione singularum partium.* 1.) *corporis.*

§. LXXVI. Posterioris classis ἐπόμενα quædam spectant *corpus*, quædam vero *animam* hominis. Nititur hæc distributio illa hypothesi, quod sint duæ duntaxat hominis partes, corpus & anima, ut ostendit primæva hominis creatio. (*) *Heracleonitæ*, referente Hieronymo in Ezech. XX. tres partes hominis essentiales faciebant, *corpus, animam, & spiritum.* Eadem est sententia *Rabbinorum.* Quidam *Theophrastistæ* nostro tempore idem statuunt, (**) ac spiritum post mortem corporis aliquandiu adhuc superesse, tandem vero etiam exstingui, animam vero simpliciter immortalem esse disputant. Nonnulli ex *Schwenckfeldianis* & *Enthusiastis* tertiam partem essentialem, spiritum scilicet homini in regeneratione accedere somniant. Illi omnes urgent dicta scripturæ, in quibus spiritus ab anima distinguitur, Luc. I. 46. 1. Thess. V. 23. Hebr. IV. 12. sed *Resp.* nomen *spiritus*, cum de homine dicitur, quandoque tamen ἐξηγητικῶς poni pro ipsa *anima*, cum anima sit spiritus. Gen. II. 7. XLVI. 27. Augustinus in expos. Cant. *Vnus & idem spiritus ad se ipsum dicitur spiritus, & ad corpus anima. Anima dicitur, in quantum est vita corporis. Spiritus vero, in quantum est substantia spiritualis.* Quandoque non ipsam animæ essentiam, sed ejus *qualitates, motus & affectus* significare, secundum quos modo lata, modo tristis, modo fortis, modo imbecillis dicitur. Gen. XLV. 27. *Revixit spiritus ejus*, Exod. VI. 9. *Propter angustiam spiritus* &c. Quandoque usurpari pro *dono sanctificationis* & charismati spiritualibus, quæ a Spiritu sancto in credentes conferuntur, ut sint ad spirituales actiones idonei. Irenæus lib. V. adv. hær. c. 8. p. 322. *Anima & spiritus pars hominis esse possunt, homo autem nequaquam, perfectus autem homo commixtio & adunitio est animæ adsumentis spiritum patris, & admixtæ in carne, quæ est plasmata secundum imaginem Dei.* Et postea: *Cum spiritus commixtus animæ unitur plasmati propter effusionem Spiritus spiritualis, & perfectus factus est homo, & hic est, qui secundum imaginem & similitudinem factus est Dei, si autem defuerit animæ spiritus, animalis est vere, qui est talis &c.* (Quæ omnia commode sunt explicanda, non de tertia aliqua parte essentiali, quæ homini in regeneratione accedit, sed de charismati spiritualibus, quæ piis hominibus conferuntur, ut ibidem se ipsum Irenæus explicat.) Didymus libr. III. de Spiritu sancto apud

(*) Esse enim tantum duas hominis partes, probant 1.) hominis creatio, Gen. II. 7. 2.) hominis redemtio. Nam Christus eum totum anima duntaxat & corpore constantem redemit, Gal. III. 13. IV. 5. Luc. XIX. 10. 3.) Hominis renovatio & sanctificatio. 4.) Filii incarnatio, adsumsit animam & corpus. 5.) Hominis mors, Eccl. XII. 7. Act. VII. 59. 6.) Mortuorum resuscitatio. 1. Reg. XVII 21. 7.) Ipsius Christi mors. 8.) Gravissima Christi admonitio Matth. X. 28. GERHARDVS.

(**) Vid. THEOPHRASTVM PARACELSVM *de creat. hominis p. 737. 701.* Fuerunt vero & alii idem statuentes, veluti *anabaptistæ* antiquiores, VAL. WEIGELIVS ejusque adsecłæ, PAVLVS FELGENHAUERVS, itemque *Quakeri*, ac speciatim ROBERTVS BARCLAIVS, qui eorum causam peroravit. Vid. ejus *apolog. thes. V.* & *VI.* §. 13 *seqq.* Ex recentioribus Fanaticis, cumprimis PETR. POIRETVS hoc commemorandus est, qui eorum errorem, qui animam nostram *divinæ particulam auræ* esse docent, propugnandum in se suscepit *libr. I. œconomiæ divinæ, cap. X. seqq.* jure meritoque eapropter refutatus a JOACH. LANGIO, theologo Halensi in *binis disputationibus.* Nec prætermittendus hoc est CHRISTIANVS THOMASIVS, JCtus Halensis, qui in *jurisprud. div. libr. II. cap. II. §. XXI.* itemque in *histor. sapient. & stult. p. 23.* nec non in dissert. ad POIRETVM *de eruditione solida*, eorum, qui tres hominis partes essentiales statuunt, partibus se adsociavit. Legenda, quæ de hocce argumento commentati sunt SAM. CHRIST. THVNERVS in *judicio moderato: an dentur tres hominis partes essentiales? Magdeburgi* ann. MDCCVIII. in 4. edito, itemque GVST. FRID. PISTORIVS in *der Untersuchung der Frage: ob der Mensch aus 2. oder 3. partibus bestehe? MDCCX.* 4. nec non Jo. TOB. WIDEBVRGIVS in *diss. de tribus partibus hominis*, Helmst. *MDCXCV.* habita. Vt alios taceamus.

apud Hieronymum tom. IX. operum in dicto apostolico 1. Thess. V. 23. per *spiritum* intelligit superiorem animæ portionem, quæ animam informat, ut divina intelligat, sapiat & diligat, qua expositione etiam utitur Nyssenus de creat. hom. cap. VIII. At hæc expositio favet Pelagianis, tribuit enim spiritui vim & facultatem illuminandi animam in rebus divinis, quod unice competit Spiritui sancto, qui animam lucis suæ radiis illuminat, ut divina cognoscat, capiat & intelligat. Quidam per *spiritum* mentem & intellectum, per animam voluntatem & adfectus intelligunt. Gallasius in notis ad Irenæum p. 398. Hæ sunt duæ partes præcipuæ animæ nostræ, quas Deo subjici & indies renovari oportet, ut nihil mente cogitemus, nihil animo cupiamus, nihil corpore efficiamus, quod ipsius verbo consentaneum non sit. Non est igitur spiritus apud Paulum aliquid diversum ab anima, sed ipsius animæ facultas, ut apud Hebræos רוּחַ distinguitur a נֶפֶשׁ, cum illi aut conjungitur aut opponitur, utramque tamen facultatem comprehendit nomen נֶפֶשׁ, cum nulla fit distinctio, ut nunc pro tota anima, nunc pro ejus parte accipiatur. Socinus in explic. aliquot locor. script. p. 106. *Spiritus est id, quod alio nomine vocari potest mens seu ratio superior, quatenus scilicet est illustrata a Dei patefactione illa, quæ continetur in evangelio, ita ut cum Paulus optat, spiritum esse sine ullo vitio, ac perfectum aliud nihil optet, quam ut nullus error, nulla ignorantia divinæ patefactæ voluntatis in iis sit, ad quos scribit, & simul ad reformationem mentis & rationis superioris per patefactionem istam nihil illis desit, ut cognoscant & probent ea, quæ Deo placent. Per animam desideria, cogitationes & denique voluntatem in omni actione intelligit, quam vult esse integram & plane virtute conformatam, ita ut isti nihil cupiant, nihil cogitent, nihil denique velint, quod virtuti & rectæ rationi adversetur, quæ anima in homine alio nomine appetitus & ratio inferior vocari potest. Corporis in nomine nihil aliud intelligere videtur, quam externas actiones nostras, quas ejusmodi esse vult, ut nullo pacto ab eo absint aut dissentiant, quod Deus nobis præscripsit.* Hunnius in comm. epist. ad Thess. p. 125. & alii per *spiritum* intelligunt nobilissimam *animæ humanæ potentiam, qua homines a brutis distinguuntur, videlicet mentem & voluntatem*, per animam vero *reliquas animæ facultates.* Simplicissimum videtur, per *spiritum* in illis dictis, in quibus spiritus ab anima distinguitur, intelligere superiorem animæ regeneratæ & renovatæ facultatem, per quam homo Deo adhæret & Spiritus sancti ductum sequitur, Rom. VIII. 16. *Spiritus reddit testimonium spiritui nostro &c.* cum quo fere congruit eorum expositio, qui animam dupliciter apud apostolum notari dicunt, primo, *ut secundum suam substantiam informat corpus*, idque voce *animæ*, secundo, *ut est a Spiritu sancto renovata*, idque voce *spiritus.* Confer Flacium in gloss. compend. p. 1023. (*)

§. LXXVII. Ratione prioris partis, *corporis* scilicet, mortem consequuntur: 1.) *Omnimoda corporis mutatio*; illud enim post animæ discessum redditur statim rigidum ac frigidum, sensus ac motus expers, horridum, ponderosum ac tetrum. 2.) *Horribilis ejusdem putrefactio.* Nullius animalis corpus post mortem tam cito putrescere incipit, nullius animalis corpus tam tetrum fœtorem emittit quam hominis, cujus rei quæ possit esse causa alia, quam peccati labes, qua corpus hominis veluti veneno quodam est infectum ac contaminatum?

(*) Quando Lutherus tom. I. Jenensi p. 439. & alii nonnulli scriptores ecclesiastici dicunt, *quod tres sint hominis partes, corpus, anima, spiritus*, tum nequaquam intelligunt tres partes, essentialiter a se ipsis differentes, quia diserte docent, animam quoad substantiam esse spiritum illum, & hunc quoad substantiam & naturam esse illam, sed partes adjunctivas. Nec enim insuetum est, etiam divisionem subjecti in accidentia vocare distributionem totius in partes. Et philosophi potentias animæ solent vocare partes. Aristoteles lib. VI. ethicor. cap. 1. GERHARDVS.

Peccatum est asa illa fœtida, quæ coram Deo & angelis tam graviter olet, ac tantum fœtorem in corpore mortui hominis excitat.

Quid nisi fœtor homo est? fœtores inter in alvo
Gignitur & latitat, tener e fœtente favissa
Eruitur fœtens, totius tempore vitæ
Sese intra fœtet, fœtores ejicit ex se,
Corpus inane animæ tandem fœtore maligno
A se abigit cunctos, & cum fœtore sepulcro
Fœtenti infertur;

ut Chytræus recte canit. Vt in principio ortus sui homo fuit *sperma fœtidum*, ita in fine exitus sui fit *cadaver putridum*. Auctor sermon. ad fratres, qui Augustino tribuuntur, & tom. X. operum ejus adnexi sunt: *Semel*, inquit, *Romæ ductus sum a Pontiano præfecto cum multis aliis, ut viderem Cæsaris cadaver in sepulcro; vidi omnino, quod esset livido colore præditum, putredine circumdatum, prospexi ventrem ejus disruptum & vermium catervas per ipsum transeuntes. Duo quoque famelici bufones in foveis oculorum ejus pascebantur, crines ejus non ultra adhærebant capiti, dentes ejus adparebant labiis consumtis, & revelatum erat narium fundamentum &c.* Ingressus cœmeterium confer cæsarum, regum ac ducum ossa cum ossibus calceariorum ac pauperum, an discrimen aliquod inter ea reperire possis? Nullum profecto reperies præter hoc solum, quod divitum cadavera, utpote delicatius & cibis variis nutrita, fœtore forte superant pauperum corpora, qui pane cibario & lutulenta aqua usi fuerunt. Misenæ in templo Afrano monumentum cujusdam nobilis adolescentis ex Schleiniziorum familia (nisi fallor) oriundi etiamnum hodie videre licet. Perhibebatur adolescens ille omnium suæ ætatis fuisse pulcerrimus, sed cum in ipso ætatis flore in morbum lethalem incidisset, a propinquis suis exorari non potuit, ut suam effigiem vel depictam vel sculptam posteritati relinqueret; tantum hoc precibus illorum concessit, ut postquam terræ mandatus esset, paucos post dies sepulcrum aperirent, & qua forma cadaver suum invenirent, eadem depingi curarent. Hoc cum esset factum, invenerunt faciem ejus semiconsumtam a vermibus, & plures serpentes circa diaphragma & spinam dorsi exstantes. Jusserunt igitur ejus effigiem, sicut invenerant, lapidi incidi, quod monumentum adhuc in sacello gentilitio illius templi inter armatas majorum & gentilium statuas conspicitur. 3) *Corporis sepultura ac funeratio.* Apoc. VI. 8. introducitur talis figura mortis, quod *sedeat super equum pallidum*, (quia corpora defunctorum reddit pallida ac lurida) *quodque infernus eum sequatur*, vel quia in impiis mors corporalis est initium æternæ mortis, vel quia Græcum ἄδης, ut Hebræum שְׁאוֹל significat etiam *sepulcrum*, cui mortui inferuntur. Reliquorum animalium corpora sæpius projiciuntur insepulta, sed corpus hominis mox, ut eum mors occupavit, tam tetram exhalat mephitim, ut nec proximi cognati & amici illud in domo secum ferre possint, sed protinus exportari & terræ mandari curent. Sara in vivis Abrahamo erat cara & grata, sed cum mortua esset, dicit ad filios Heth Gen. XXIII. 4. *Date mihi possessionem sepulcri, ut sepeliam mortuum a facie mea.* 4.) *Corporis cinerefactio ac in pulverem redactio.* Homo est putredo in exortu, bulla in vita, esca vermium in morte. Gen. XVIII. 27. *Ego sum cinis & pulvis.* Job. XVII. 14. *Foveæ dicam, pater meus es tu, & vermi, mater mea & soror mea es;* id est, me morti & sepulcro vicinum exesuri sunt vermes, ut eos ob adhæsionem ac velut cognationem, quæ mihi cum illis futura est, & arctissimam conjunctionem liceat matrem & sororem, & sepulcrum patrem adpellare, quia scilicet gignit vermes, a quibus cadaver in eo sepultum corroditur & consumitur. Job. XX. 11. *Cum peccato suo super pulvere quiescet*, id est, propter peccatum in pulverem redigetur. XXI. 26. *Pariter super pulverem jacebunt, & vermis operiet eos.* Esa. LI. 8. *Sicut vestimentum comedet eos tinea, & sicut lanam devorabit eos vermis.* Sirac. X. 13. *Cum moritur homo, hereditabit serpentes & bestias & vermes.* Vt enim canit Ovidius:

Sunt,

Sunt, qui, cum clauso putrefacta est spina sepulcro
Mutari credant humanas angue medullas.
Peregre adfertur terra in usum medicinæ & vasorum elegantium, sed de terra illa, in quam post mortem redactus es, nemo vel pulviseulum unum sciens gustaret, neque ex vase illo comederet vel biberet, quod ex sepulcri tui pulvere compactum nosset. Hutterus in homil. passion. pag. 20.

De sepultura. §. LXXVIII. Antequam vero ad ἐπόμενα mortis animam concernentia progrediamur, de *sepultura*, per quam corpus demortui hominis terræ infertur, quædam paulo uberius dicenda. Apud gentiles mortuorum corpora variis modis fuere tractata. *Scythis, Massagetis & Derbicis* mos fuit parentes senio confectos imbellem turbam mactare, coquere & carnibus ipsorum vesci, liberis, proximis & cognatis tanquam ad solenne convivium congressis. Herodotus lib. IV. *Colchi* defunctos suos de arboribus suspendebant. Apollonius lib. III. argonaut. hist. *Lothophagi & quidam Æthiopum* suos in mare defunctos abjiciebant, ut a piscibus absumerentur, parum interesse adseverantes, humone an aqua an igne dissolverentur? *Sabæi* sive *Nabathæi* corpora defunctorum æque ac stercus ducebant, quin & reges in sterquilinia abjiciebant. *Troglodytæ* mortui cervicem pedibus adligabant, & raptim cum risu & jocis efferebant, nullaque loci ratione habita, terræ inferebant, ac ad caput cornu cervinum adfigebant. *Hircani*, referente Strabone, canes nutriebant, quos vocabant sepulcrales, quibus vita functos devorandos abjiciebant. Idem faciebant *Bactriani*. *Persæ*, Deum esse ignem arbitrantes non cremabant cadavera defunctorum, quia nefas esse putabant, Deo depasci cadaver hominis, ideo cera circumlita condiebant, ut quam maxime diuturna permanerent cadavera. *Ægyptiis* contra persuasum erat, ignem esse beluam animatam, & omnia, quæ nascuntur, devorare, & postquam devorando fuerit expleta, una cum ipsa re devorata emori, ideo apud eos non fuit consuetudo mortuum igni vel beluis tradendi, sed condiendi, inque domo servandi, ne humatus devoraretur a vermibus. Herodotus in Thal. Idem adparet ex Gen. L. 2. *Sylla*, qui mortuorum ossa e sepulcris canino more eruta in fluvium mergi jusserat, moriens se cremari testamento cavit, ne idem ab hoste ludibrium ejus cadaver pateretur, ex quo apud Romanos inolevit mos cremandi cadavera mortuorum. Camerarius part. I. succis. histor. cap. 3. In *Insulis Americis* hominum corpora non putrescere, ideoque non humari, sed dio exponi & incorrupta permanere tradit ex Gyraldo Ortelius in theatro orbis tab. X. de Hibern. unde avos, atavos, tritavos, longamque stirpis suæ seriem magna admiratione viventes cognoscere. *Magorum* mos erat, non humare corpora suorum, nisi a feris antea fuissent laniata. Cœlius Rhodiginius lib. IX. antiq. lect. c. 43. *Tibareni*, quos dilexissent, senes suspendebant a patibulis. *Taxili* mortuos vulturibus non secus projiciebant, atque *Caspii* cæteris bestiis. *Parthorum* sepultura, aut avium, aut canum laniatus erat. (*) *Issedonum*, Asiaticæ Scythiæ populorum, mos erat parentum funera contibus prosequi, & proximorum congregatis cœtibus cadavera ipsa dentibus laniare, pecudumque carnibus mista comedere, ac capitibus auro incinctis pro poculo uti, quæ ultima erant pietatis officia. *Hyperborei* hoc sepulturæ genus optimum arbitrabantur, ut si quos satietas teneret vitæ, epulati delibutique de rupe nota præcipitarent se in mare profundum. Polydorus Virgilius lib. III. de rer. invent. cap. 10. *Chii* combustis cadaveribus & ossibus collectis in mortario ea contundunt, deinde navigio imponentes in altum navigant, eaque per cribrum ad ventorum flatus dispergunt, donec omnino dissipentur & aboleantur. *Tauri*,

(*) *Persarum* quoque & aliorum populorum orientalium morem hunc esse, quo a canibus & avibus se post mortem vorari malunt, quam terra sepeliri, copiose ostendit Anonymus quidam in peculiari dissertatione, quæ *tomo XII. historiæ criticæ reipublicæ litterariæ p. 248 seqq.* inserta legitur.

gens Scythica, cum regibus exstinctis gratissimos eorum amicos una sepeliunt. *Indi*, cum moriuntur, carissimam ex uxoribus una concremant. Fit autem inter uxores maximum certamen, dum singulas, ut vincant, acri studio amici promovent. *Diogenes* dicebat, si canes cadaver suum lacerarent, Hircanam sepulturam fore, sin vultures, Iberam. At si nullum animal accederet, pulcerrimam sibi fore sepulturam, corpore a pretiosissimis rebus, sole scilicet & imbribus, absumto. Stobæus serm. CXXII.

§. LXXIX. Profani illi ac gentiles corpora defunctorum tractandi ritus ostendunt vere ab apostolo de gentilibus dictum esse Eph. II. 12. 1 Thess. IV. 13. *quod spem non habuerint*, resurrectionis scilicet corporum ad vitam æternam. Sed in ecclesia christiana corpora defunctorum, præsertim piorum, merito honorificentius tractantur. 1.) Quia fuerunt *membra Christi*, pretioso ejus sanguine redemta, Eph. V. 30. ac *templa* & habitacula *Spiritus sancti*, 1. Cor. III. 16. VI. 19. Deus non animam tantum, verum etiam corpus hominis creavit. Filius Dei non animam tantum, verum etiam corpus humanum adsumsit ac redemit. Spiritus sanctus non animam tantum, sed & corpus lavacro regenerationis & renovationis abluit. Nec anima tantum, sed & *corpora nostra percipiunt eucharistiam, quæ constat duabus rebus, terrena & cælesti, corpore scilicet & sanguine Christi.* Irenæus lib. IV. adv. hæres. cap. 34. 2.) Quia fuerunt *salutaria organa*, per quæ piorum animæ bonum operatæ fuerunt in hac vita, 2. Cor. V. 10. *arma justitiæ*, Rom. VI. 19. per quæ & in quibus Deus fuit *glorificatus*, 1 Cor. VI. 20. Origenes lib. V. contra Cellum: *Homines defuncti, propter animam, quæ inhabitavit in eis, præsertim si bona sit, non sunt ejiciendi. Nam civiliores leges jubent eos cum convenienti honore funerari, ne si projiciantur tanquam jumenta, injuria fiat animæ egressæ ex eo domicilio.* Lib. VIII. contra eundem: *Rationalem animam honorare didicimus, & hujus organa sepulcro honorifice demandare.* 3.) Quia illa ipsa corpora ad vitam æternam *resuscitabuntur, ac corpori Christi glorioso conformia reddentur*, Phil. III. 21. 4.) Quia exempla sanctorum testantur, defunctorum corpora ab ipsis honorifice fuisse habita. Augustinus lib. I. de civ. Dei cap. 13. *Antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, & exsequiæ celebratæ, & sepulcra provisa, ipsique, dum viverent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt.* Et *Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse teste angelo commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorifice tegendum sepeliendumque curaverunt.* Eusebius lib. VII. histor. eccles. cap. 16. de *Asturio Romano* commemorat, quod non sine periculo corpus Marini martyris humero impositum splendidissimæ sepulturæ tradiderit. 5.) Quia honesta sepultura beneficii ac præmii, denegatio vero ejusdem pœnæ loco in scripturis sacris habetur: Gen. XV. 15. Deut. XXXIV. 6. 1. Reg. XIV. 11. & 13. 2. Reg. IX. 33. Psalm. LXXIX. 3. Jer. VIII. 1. XXII. 18. &c. 6.) Quanti officium sepulturæ coram Deo fiat, ex eo colligitur, quod Spiritus sanctus illud vocat *misericordiam*, Ruth. I. 8. 2. Sam. II. 5. & *angelos* ejus inspectores esse patet ex Tob. XII. 12. Christus Matth. XXVI. 10. factum mulieris ad sepeliendum corpus ipsius ungentis vocat *opus bonum.* 7.) Augustinus lib. de cura pro mort. cap. 3. addit argumentum a minori ad majus: *Si parentum vestes solicite reponimus, multo magis ipsorum corpora honorifice sepeliamus.* Lib. I. de civ. Dei cap. 13. in principio: *Si paterna vestis & annulus, ac si quid hujusmodi tanto carius est posteris, quanto erga parentes major affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius atque conjunctius, quam quælibet indumenta gestamus; hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinse-*

trinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. 8.) Quidam ex sanioribus gentilibus agnoverunt, corpora defunctorum honeste tractanda esse. Apud *Athenienses* sepulcrorum tanta fuit cura, ut etiam peremtos bello, si quis dux honestare sepulcro neglexisset, capite plecteretur; unde de *Nicia*, Athenienlium duce, commemoratur, quod omnem exercitum subsistere jusserit, ut duos tantum peremtos milites sepulturæ traderet. *Cimon*, Miltiadis filius, se captivum sistere non dubitavit, ut pater sepulturæ traderetur.

Causæ sepulturæ. §. LXXX. Terræ autem inferri ac humari, id est, humo superingesta sepeliri curamus defunctorum corpora 1.) ob *divini oraculi promulgationem*: Gen. III. 19. *Terra es, & in terram reverteris.* Dan. XII. 2. *Qui dormiunt in terræ pulvere.* Eccles. XII. 7. *Pulvis revertitur in terram, quemadmodum fuit.* 2.) Ob *terræ adpellationem*; vocatur illa *mater omnium nostrum*, Sirac. XL. 1. quia mortuos sinu suo nos excipit, & ossa nostra usque ad diem judicii, qui erit dies παλιγγενεσίας, Matth. XIX. 28. complexu suo custodit; (Job. XVII 14. fovea sive sepulcrum vocatur *pater*, ac vermis *mater*) sicut vice versa uterus maternus vocatur תַּחְתִּיּוֹת אֶרֶץ, *inferiores partes terræ*, Psalm. CXXXIX. 15. quo sensu etiam quidam accipiunt dictum apostolicum Eph. IV. 9. Vnde Nazianzenus homines adpellat δισταφεας, *bis sepultos*, quod primum in alvo matris tecti & quasi sepulti jaceant, antequam in hanc vitam nascantur: deinde in alvo terræ lateant, donec ad vitam æternam resuscitentur. 3.) Ob *Christi & apostoli Pauli comparationem*, qua granis in terram projectis corpora pie defunctorum ad confirmandam resurrectionis spem conferunt; Joh. XII. 24. 1. Cor. XV. 37. & 38. inde in lingua nostra vernacula cœmeteria pulcerrime vocantur *agri dominici*, in quibus scilicet corpora piorum velut quædam grana in spem futuræ messis seminantur. 4.) Ob *exempli in sanctis Dei viris propositi imitationem.* Antiquissimo & perpetuo ecclesiæ usu receptum fuit, defunctorum corpora terræ inferre, Gen. XXIII. 19. L. 13. &c. quinimo Deus ipse hunc morem sepeliendi defunctos confirmavit Deut. XXXIV. 6. 5.) Ob *sepulcrorum nostrorum per Christum factam consecrationem.* Sicut Christus propter nos mortem in cruce sustinuit, ita quoque propter nos sepeliri voluit, ut contactu sanctissimæ suæ carnis nostra sepulcra sanctificaret, בָּתֵּי־חַיִּים, *domus viventium*, ac κοιμητηρια sive *dormitoria* efficeret. Quemadmodum igitur spiritualiter *cum Christo consepulti sumus per baptismum in mortem*, Rom. VI. 4. ita quoque æquum est, ut in sepultura corporali ipsi conformemur. 6.) Ob *desertam jussionem*; Sirac. VII. 37. *A mortuo ne prohibueris gratiam.* XXXVIII. 16. *Contege corpus mortui, & ne despicias sepulturam ejus.* 7.) Huc referenda dicta patrum. Tatianus in orat. ad Græcos, *corpora piorum post mortem* dicit *esse* ἐν ταμειοις ἐναποκειμενα *in conclavi seu penu divitis Domini reposita.* Lactantius lib. VI. inst. cap. 12. *Non patiemur figuram & figmentum Dei feris ac volucribus in prædam jacere, sed reddamus id terræ, unde ortum est.* Ecclesia Smyrnensis apud Eusebium lib. IV. histor. eccles. cap. 16. *nos tandem ossa illius* (Polycarpi martyris) *pretiosis lapidibus pretiosiora & auro probatiora nacti condidimus, ubi id fieri decebat.* Prudentius in hymn.

Nunc suscipe terra fovendum,
Gremioque hunc suscipe molli,
Hominis tibi membra sequestro,
Generosa & fragmina credo.

8.) Quin & sanniores gentiles agnoverunt, ritum humandi corpora defunctorum esse & antiquissimum & probatissimum. (*) Apud Xenophontem lib. VIII. de pædia Cyrus sic adlo-

(*) Certum tamen est, gentiles plerosque omnes defunctorum corpora in rogum imposita cremasse, ac deinceps cineres & ossa in urnas collegisse terræque mandasse; cum contra christiani in antiquissimis jam temporibus planam ac simplicem infodiendi corpora, non cremandi, rationem fuerint secuti. Patet hoc ex

quitur filios: *Meum corpus, cum moriar, neque in auro condite, neque in argento, neque in alia re prorsus ulla, sed illud terræ reddite quamprimum; quid enim hac re beatius, quam terræ misceri, quæ pulcra omnia bona gignit & nutrit?* Antiquissimum sepulturæ genus statuit Tullius lib. II. de legibus p. 448. quo apud Xenophontem utitur Cyrus, *quo redditur terræ corpus, & quasi matris operimento obducitur, quo ritu sepultus sit Numa rex, sepulta & gens Cornelia, donec e patriciis Corneliis primus Sylla cremari voluit.* Plinius lib. VII. nat. hist. cap. 54. *Vetustissimus mos fuit apud Romanos, mortuos in terra abscondere.* Stobæus serm. CXXII. recitat versus Menandri: Ἐάσατ' ἤδη γῆ καλυφθῆναι νεκρούς. ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο, ἐνταῦθ' ἀπελθεῖν, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα, τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν. *Sinite jam terra mortuos operiri. Et unumquodque, unde in corpus venit, illuc redire; spiritum quidem ad æthera, corpus vero in terram.*

Improbatur circa sepulturam 1) *Superstitio pontificiorum.*

§. LXXXI Quamvis vero honestam & christianam sepulturam propter spem resurrectionis adhibitam magnopere commendemus, probare tamen non possumus, 1) *superstitionem pontificiorum* circa sepulcra & sepeliendi ritus variam ac multiplicem. Primo enim *cœmeteria* (quæ Durandus lib. I. ration. divin. officiorum cap. 5. num. 4. per insignem absurditatem ac ruditatem dicta putat *a cimen, quod est dulce, & sterion, quod est statio, propterea, quod ibi defunctorum ossa dulciter quiescunt, & Salvatoris adventum exspectant, vel quia ibi sunt cimices, id est, vermes ultra modum fœtentes*) certis ritibus ac peculiaribus precum formulis, *consecrant*, (*) iisdemque hoc modo consecratis singularem quamdam vim & efficaciam tribuunt, quæ ad defunctos in iis sepultos redundet. Durandus lib. I. ration. cap. 8. num. 26. *Benedicitur cœmeterium, ut ulterius desinat illic immundorum spirituum habitatio esse, & fidelium corpora ibi*

ex Minvcio Felice, scriptore Seculi III. in libro sub *Octavii* nomine edito, *cap. XI. n. 213.* itemque *cap. XXXVII. n. 10, 11. p. 129, 130.* edit. Halens. a Cellario adornatæ. Adjungimus eidem Tertvllianvm, qui seculo post Christum natum, secundo floruit, inque libro *de anima cap. LI.* observat, quosdam ethnicos a cremando ex superstitiosa quadam opinione abstinere, quod scilicet modicum quid animæ subsidat in corpore post mortem. Add. ejusdem librum *de resurrectione cap. I.* Cæterum disputant critici, quonam tempore, & quanam ratione consuetudo ista cremandi corpora, quæ jam tempore Nvmæ erat usitata, ut contra Plinivm observant Kirchmannvs *de funer. Roman. libr. I. cap. II.* & Jac. Ouzelius ad Minvcivm Felicem *p. 358.* edit. Gronov. inter Romanos penitus cessarit. Legi merentur, quæ hanc in rem adnotavit Josephvs Binghamvs, scriptor Anglus, isque doctissimus, in libr. *de origin. ecclesiast. tom. X. libr. XXIII. cap. II. §. IV. p. 29 seqq.*

(*) Quæstio heic moveri posset: an veteres christiani cœmeteria sua perinde ut ecclesias peculiari quadam ratione consecraverint? Scriptores priorum post Christum natum seculorum de ejusmodi cœmeteriorum consecratione eorumque sanctitate altum silent. Nullus scriptor ante Gregorivm *Turonensem*, qui vixit circa ann. DLXX. ullam ejusdem fecit mentionem. Is enim primus fuit, qui *cap. VI. de gloria confessor.* memoriæ prodidit, loca sepulcrorum suo tempore benedictione sacerdotali fuisse consecrata. Nec altius consuetudinis hujus originem repetere potest Dvrandvs supra a Gerhardo excitatus. Vnde merito concludimus, hacce demum ætate, non vero antea, consuetudinem hanc christianorum in ecclesiam fuisse introductam. De sepulcris tamen notandum, ea inde ab antiquissimis temporibus sine ulla formali consecratione tum ab ethnicis tum a christianis pro sacris fuisse habita. Luculenter hoc ipsum comprobavit laudatissimus Binghamvs, *loc. cit. tom. X. libr. XXIII. cap. II. §. I. p. 23.* qui & *loc. cit. §. II. p. 24.* ex duorum imperatorum gentilium, *Gordiani* & *Juliani* edictis, quæ adhuc inter leges christianas locum obtinent, luculenter comprobat, sanctitatem sepulcrorum apud gentiles ex alia plane ratione, ea nimirum ortam esse, quod sepulcra tam ab ethnicis, quam christianis, pro rebus sacris fuerint habita. Cum vero cœmeteria utplurimum ædibus sacris vel religiosis olim cohæserint, insimulque auctoritate sacra episcopi fuerint constituta, factum hinc est, ut tanquam ecclesiarum accessoria ab earundem sanctitate participarent, pariterque rebus religiosis fuerint accensita; observante illustri Boehmero in *jure ecclesiast. protestantium, tom. II. libr. III. tit. XXVIII. §. X. p. 1054.* Apud pontificios cœmeteria auctoritate sacra episcopi con-

ibi usque ad diem judicii requieſcant in pace, niſi paganorum, vel infidelium, vel etiam excommunicatorum corpora ibi fuerint humata, donec inde fuerint ejecta. Innocentius cap. *Conſuluiſti.* extr. de conſecrat. eccl. *Cœmeteria, in quibus excommunicatorum corpora ſepeliri contingit, reconcilianda erunt adſperſionibus aquæ ſolenniter benedictæ, ſicut in dedicationibus eccleſiarum fieri conſuevit.* Praxis docet, ſuffraganeos magnis ſumtibus ad conſecranda cœmeteria & loca ſepulturæ conduci & advocari. Sed fraudes illas ac figmenta de conſecratorum cœmeteriorum efficacia jam olim Waldenſes publice taxarunt; unde ab Ænea Sylvio in hiſtor. Boh. inter dogmata Waldenſium etiam hoc refertur, *cœmeteriorum inanem uſum, quæſtus cauſa repertum, quacunque tangantur tellure humana corpora, nihil diſtare.* Superfluos ſumtus, qui in cœmeteriorum conſecratione adhibentur, proceres Romani imperii in gravaminibus anno 1522. taxarunt; ſic enim loquuntur gravamine L. *Si forte ſine armis, pugnis tantum & capillis in cœmeterio duo pluresve manus conſerant, aut rixam habeant ad ſanguinis usque quantumvis modici effuſionem, tum ad interdictorum ſeveritatem recurrunt eccleſiaſtici, nec prius publica Chriſtianorum redintegrant officia, quam civium univerſitas cœmeterium denuo magna pompa gravibusque, nec profecto minoribus impenſis conſecrari curaverit, quam primum ex profano redditus ſit ſepulturæ is locus ſacer, quæ omnia tandem redundant in caput laicorum.* Inde etiam jus ſepulturæ in conſecratis illis cœmeteriis quibusdam magno ære redimendum, quod pugnat cum conſtitutionibus canonum cap. *Queſta eſt* 13. q. 2. cap. *Poſtquam.* cap. *in eccleſiaſtico.* cap. *Præcipiendum cauſ. & quæſt. iisd.* cap. *Abolendæ extr. de ſepulturis.* Qua de re proceres imperii gravamine LXXXIX. ſic loquuntur: *Papalibus ſtatutum eſt canonibus, ut his duntaxat publici juris eccleſiaſtica denegetur ſepultura, quos in manifeſtis & plane notoriis mortalibus peccatis ex communi hac mortalium ſorte abſque dominici corporis ſanguinisve participatione migraſſe compertum ſit. Verum eccleſiaſtici non animadverſis talibus pontificum decretis forte fortuna aqua ſuffocatos, gladio, ruina vel incendio occiſos, jugulatos atque vita functos, etiamſi non pateat, peccatis mortalibus obnoxii deceſſerint, nec ne, in eccleſiaſticam tumulare ſepulturam non permittunt, quousque tam iniquo fato mortuorum uxores, liberi, amicive ab ipſis cœmeterium non modico ære comparaverint.* In jure canonico cauſ. 13. q. 2. adducitur fabula Judaica ex Hieronymo, *quaſi nomen Ephronis* Gen. XXIII. 16. *ideo ſcriptum ſit abſque litera Vau, quam alioquin vocabulum habet penultimam, ut ſcriptura ſignificaret, eum non fuiſſe conſummatæ virtutis, quod ſepulcrorum loca vendere fuerit auſus.* Quamvis vero hæc ſit fabula, cum verſu mox ſequente nomen *Ephronis* cum Vau ſcribatur, & alioquin ו vel exprimi vel omitti poſſit, tamen ex ea colligitur, Rabbinos a venditione ſepulcrorum itidem abhorrere. 2.) Quando corpus defuncti e domo ad locum ſepulturæ portatur, *tres in via ſtationes faciendas eſſe* ſtatuunt propter tres cauſas. *Primo* ad ſignificandum, quod ipſe in hac vita exiſtens, ut poſſet digne Domino præſentari, in tribus ſpecialiter ſe ipſum exercuerit, videlicet in *Dei dilectione*, in *caritate proximi* & in *cuſtodia ſui*, vel quod in *fide Trinitatis vitam finierit. Secundo* ad repræſentandum, quod Dominus triduo in ventre terræ quievit. *Tertio*, ut per tres dietas pſalmodiæ, quæ tunc dicitur, trina ei fiat abſolutio a delictis, tribus modis, ſcilicet *cogitatione*, *verbo* & *opere* commiſſis. 3.) Campanas conſecratas in exequiis pulſandas eſſe dicunt, ut populus hoc audiens pro defuncto oret, utque procul pellantur hoſtiles exercitus & omnes inſidiæ inimici.

conſtituuntur, eorumque erectio perficitur ſolemni epiſcopi *benedictione*, qua tamen apud proteſtantes opus haud eſt. Sufficit apud hos ad novi cœmeterii conſtitutionem patroni & ſuperintendentis conſenſus,

4) Secui tamen conſiſtorii auctoritas & confirmatio ad evitandas lites, plerumque accedit. Vid. b. DEYLINGII *inſtitut. prudentiæ paſtoralis, part. III. §. XVII. p. 672.*

4) Sepulturam ſtatuunt eſſe *opus meritorium*. Bellarminus lib. II. de purg. cap. 19. Quod *ſepultura ſit res meritoria*, probatur 2. Reg. II. Tob. XII. Matth. XXVI. Atqui inter opera bona ſepulturæ officium connumerari ibidem legimus, ſed meritorium illud eſſe nuſpiam invenimus. 5.) *Aquam benedictam* in ſepulcrum ponendam eſſe, vel certe ſepulcrum eadem adſpergendum, ne dæmones, qui multum eam timent, ad corpus accedant. 6.) In quocunque loco extra cœmeterium Chriſtianus ſepelitur, crucem capiti illius adponi debere, *quia hoc ſignum diabolus valde veretur, & timet accedere ad locum crucis ſignaculo inſignitum*. Durandus lib. VII. ration. c. 36. 7.) Pro defunctis *ſacrificium miſſaticum*, *vigilias*, *anniverſaria ſuffragia* inſtituunt, quibus plurimum eos juvari & ex purgatorii pœnis liberari arbitrantur, ut poſtea videbimus.

II) *Luxus noſtrorum.*

§. LXXXII. II) *Luxum immoderatum* ac inutilem, qui vel in corporibus defunctorum ſplendide ornandis vel in exſequiis ſumtuoſe adparandis a quibusdam adhibetur. Gregorius Turonenſis lib. VIII. hiſt. cap. 21. refert, *propinquam uxoris Gunthranni in Metenſi eccleſia cum plurimis ornamentis & auro tumulatam eſſe, quæ poſtea fures conati ſunt ſurripere.* Apud Italos adhuc hodie uſitatum, cadavera defunctorum pretioſiſſimis veſtibus induta & lectis ſplendide exornatis impoſita palam publice efferre, ita ut unusquisque faciem, & ex veſtibus & ornatu ſexum noſcere poſſit. Solent quoque faciem puellarum fucare, *ut mortuæ interdum venuſtiores adpareant, quam vivæ.* Camerarius lib. I. med. hiſt. c. 69. Ecquis vero non videt, præpoſterum & abſurdum hoc eſſe, ut corpora a vermibus conſumenda pretioſe exornentur, ac quod pauperibus viventibus debetur, defunctis, earum rerum nec indigis, nec adpetentibus ſine fruge inſumatur? Moderatos ſumtus pro ratione ſtatus, conditionis, religionis, facultatum ac temporum eam in rem facere, Siracides permittit, XXXVIII. 16. & exempla ſanctorum probant, Gen. L. 1. Matth. XXVII. 59. Joh. XIX. 39. Sed luctum convertere in luxum, ac miſeriam humanam, cujus per mortem noſtrorum admonemur, eodem obtegere velle, merito præpoſterum ac ſtolidum cenſetur. Agnoverunt hoc ipſimet gentiles ex naturæ lumine. Plato lib. XII. de legibus, *Sepulcrum exſtrui vetat altius, quam viri quinque totidem diebus excitare poſſint, lapides non majores, quam ut poſſint defuncti laudes quatuor ſolum heroicis verſibus editas comprehendere.* Solon apud Athenienſes ſanxit, *ne quis ſepulcrum faceret operoſius, quam quod decem homines efficerent triduo.* Euripides in Polyd. Ἀνθρώπων δὲ μαίνονται φρένες, δαπάνας ὅταν θανοῦσι πέμπωσι κενάς, *Mentes hominum inſaniunt, cum ſumtus inutiles pro mortuis expendunt.* Menander in Perinthia: Οὐ πώποτε ἐζήλωσα πολυτελῆ νεκρὸν, εἰς τὸν ἴσον δ' ὄγκον τῷ σφόδρ' ἔρχετ' εὐτελεῖ, *Nunquam æmulatus ſum cadaver ſumtuoſum. Nam ſpatii non amplius occupat quam valde pauper.* Socrates cicutam bibiturus, a quibusdam interrogatus, quomodo ſepeliri vellet, reſpondet, *eo modo, quo vobis facilimum fuerit.* Saladinus moriens humanæ conditionis ac miſeriæ memor condito teſtamento omnem funeris pompam abdicavit, juſſitque tantum in lancea præferri atri coloris obſoletam tunicam, præcinente quodam ad populum hujus ſententiæ carmen:

Vixi divitiis, regno, tumidusque trophæis,
Sed pannum heu nigrum nil niſi morte tuli.

Jovius in Salad. In legibus civilibus idem luxus circa ſepulturas adhiberi ſolitus prohibetur. Sic enim Vlpianus l. *Etſi quis.* §. *non oportet.* de relig. & ſumtib. funer. *Non oportet ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud hujusmodi, quod homines ſimpliciores faciunt;* ex quo infertur, *quod quis pretioſioribus rebus ſepeliri non debeat, licet ipſe hoc mandaſſet*, ſicut in l. *fin.* §. *fin.* de auro & argent. legat. videre licet.

§. LXXXIII.

Sepulturæ denegatio moderate ferenda.

§. LXXXIII. Deteſtamur etiam papalem illam tyrannidem, qua corpora eorum, qui a Romana ſynagoga ſeceſſionem fecerunt, vel ſepulcris inferri prohibent, vel illata ex iisdem erui & igne abſumi curant, ut ex hiſtoria Buceri & Fagii a Balæo deſcripta conſtat, quibus merito occinimus illud Lactantii lib. V. inſt. cap. 11. *In cineres furiunt, ne quis exſtet ſepulturæ locus. Quaſi vero id adfectent, qui Deum confitentur, ut ad eorum ſepulcra veniatur, ac non ut ipſi ad Deum perveniant. Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ inſania eſt, lucem vivis, terram mortuis denegare?* Quamvis vero pio cuilibet honeſta ſepultura exoptanda ſit, nemo tamen papali illa immanitate, qua ſinceris & conſtantibus evangelii confeſſoribus cœmeterium & honeſta ſepultura denegatur, a confeſſione evangelii ſeſe deterreri patiatur. 1.) Quia ſi vita ipſa pro Chriſti nomine læto animo profundenda, quanto magis ſepulturæ honor veritatis confeſſioni & gloriæ divinæ poſtponendus? Matth. X. 39. Act. X. 24. 2.) *Cuſtodit Deus omnia oſſa piorum, unum ex eis non eſt confractum*, Pſal. XXXIV. 21. quamvis tyranni eadem igne abſumi & pulverem in aquas diſpergi curent, ſicut Johanni Huſſo martyri contigit. 3.) Non ſolum terra, ſed etiam *mare & mors aliquando reddent mortuos ſuos.* Apoc. XX. 13. 4.) Sicut impiis non prodeſt ſepultura honorata, ſic piis nihil quidquam nocet ignominioſa. Auguſtinus lib. I. de civ. Dei cap. 12. & lib. de cura mort. cap. 2. *Iſta omnia, id eſt, curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompæ exſequiarum, magis ſunt vivorum ſolatia, quam mortuorum ſubſidia. Si aliquid prodeſt impio ſepultura pretioſa, oberit pio vilis aut nulla. Præclaras exſequias in conſpectu hominum exhibuit purpurato illi diviti turba famulorum, ſed multo clariores in conſpectu Domini ulceroſo illi pauperi miniſterium exhibuit angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, ſed in Abrahæ gremium ſuſtulerunt*, (quæ verba allegantur in jure canonico cap. *Animæ* 13. quæſtion. 2. & a Lombardo lib. IV. ſentent. diſtinct. 45. litera C.) ac libri ejusdem de civ. Dei cap. 13. *Si ea, quæ ſuſtentandis viventibus ſunt neceſſaria, ſicut victus & amictus, quamvis cum gravi adflictione deſint, non frangunt in bonis perferendi tolerandique virtutem, nec eradicant ex animo pietatem, ſed exercitatam faciunt fœcundiorem, quanto magis cum deſunt ea, quæ curandis funeribus condendisque corporibus defunctorum adhiberi ſolent, non efficiunt miſeros in occultis piorum ſedibus jam quietos?* 5.) Et animæ & corpora piorum ſunt *in manu Domini*, ubicunque tandem ſepeliantur, imo etiamſi inſepulti projiciantur. Auguſtinus libr. I. de civ. Dei cap. 12. *Multa corpora chriſtianorum terra non texit, ſed nullum eorum quisquam a cœlo & terra ſeparavit, quam totam implet præſentia ſui, qui novit, unde reſuſcitet, quod creavit.* Idem lib. IX. confeſſ. cap. 11. de matre ſua Monica refert, quod in Italia ægrotans dixerit: *Nihil longe eſt a Deo, neque timendum eſt, ne me ille non agnoſcat in fine ſeculi, unde me reſuſcitat.* Scite quidam ex veteribus: *Nulla ſplendidiore quam cæli convexi camera concludi poſſunt piorum corpora.* Chryſoſtomus in epiſt. ad Hebræos, & citatur cap. *Ubicunque* 13. quæſt. 2. *Ubicunque ſepeliamur, Domini eſt terra & plenitudo ejus, ſecundum quod oportet fieri, efficiatur.* 6.) *Nullo modo diceret Veritas* Matth. X. 28. *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere; ſi quidquam obeſſet futuræ vitæ, quidquid inimici de corporibus occiſorum facere conſueverunt, niſi forte quispiam ſic abſurdus eſt, ut contendat, eos, qui corpus occidunt, non debere timeri ante mortem, ne corpus occidant, & timeri debere poſt mortem, ne corpus occiſum ſepeliri non ſinant.* Auguſtinus dicto loco de civ. Dei. 7.) *Sanctorum mors* ſemper in *conſpectu Domini pretioſa*, Pſalm. CXVI. 15. quamvis eorum ſepultura quandoque ignominioſa. Dicitur quidem in Pſalm. LXXIX. 2. *Poſuerunt cadavera ſervorum tuorum eſcam volatilibus cœli, carnem ſanctorum tuorum beſtiis terræ.* v. 3. *Effuderunt ſanguinem eorum* tan-

tanquam aquam, & non erat, qui sepeliret; sed magis ad exaggerandam crudelitatem illorum, qui ea fecerunt, quam ad eorum infelicitatem, qui ista perpessi sunt. Quamvis enim hæc in conspectu hominum dura & dira videantur, tamen pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. 8.) Sepulturæ curam etiam quidam ex ipsis gentilibus philosophis contemserunt. Augustinus dicto loco: *Sæpe universi exercitus dum pro terrena patria morerentur, ubi postea jacerent, vel quibus bestiis esca fierent, non curarunt.* Theodorus Cyrenæus referente Cicerone lib. I. Tusculan. p. 187. Lysimacho crucem minitanti respondit: *Terribilis sit hæc purpuratis tuis, mea nihil interest, humine an sublime putrescam.* Θεοδώρῳ ἀδὲν μέλει, πότερον ὑπὲρ ἢ ὑπὸ γῆς σήπεται. Maroni *facilis jactura sepulcri* verbis Anchisæ dicitur. Mæcenatis versiculus:

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos;

a veteribus sæpius laudatur. Lucanus lib. VII. de occisis in pugna Pharsalica, quos Cæsar humari vetuit, inter cætera sic loquitur:

Nil agis hac ira, tabesne cadavera solvat,
Aut rogus, haud refert, placido natura receptat
Cuncta sinu.

Et postea:

— — — *Capit omnia tellus,*
Quæ genuit, cælo tegitur, qui non habet urnam.

Ritus sepulturæ. 1) *ex vet. test.*

§. LXXXIV. *Ritus sepulturæ* apud diversos populos diversi ac dissimiles fuerunt. De Ægyptiorum, Græcorum & aliorum populorum ritibus (*) prolixius agere, nostri non est instituti. Ex *veteris testamenti* historia colliguntur hi ritus: *Abraham* conjugem suam Saram cum lacrimis ac planctu sepelit in spelunca agri a filiis Chet coëmta, Gen. XXIII. 19. *Jacobus* cippum sive statuam ponit super sepulcrum Rachelis prope Bethlehemam humatæ, Gen. XXXV. 20. *Josephus* præcipit servis suis medicis, ut (more Ægyptiorum) *condirent aromatibus patrem suum Jacobum in Ægypto defunctum*, indicit provinciæ luctum publicum per dies septuaginta, ac demortui corpus in terram Canaan honorifice delatum sepulcris majorum infert, parentis voluntati hac in re obsecutus, Gen. L. 2. *Mosen* filii Israëli triginta diebus deflent, Deut. XXXIV. 8. *David* in obitum Saulis & Jonathæ epicedion scribit, 2. Sam. I. 17. De funere regis Asæ dicitur 2. Paral. XVI. 14. quod *posuerint eum super lectum suum plenum aromatibus & materialibus aliis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum combustione nimia. Josiam* regem luget universus populus Juda & Jerusalem, Jeremias maxime, & omnes cantores atque cantatrices lamentationibus ac funebribus elegiis ejus obitum deplorarunt, 2. Paral. XXXV. 25. Sunt, qui existimant, in verbis propheticis Esaiæ LVII. 1. *Justus perit, & non est, qui recogitet &c.* describi concionem funebrem, quam Esaias regi Ezechiæ pie defuncto habuerit, cum in Hebræo habeatur ה *demonstrativum*: Ecce חַצַּדִּיק, *ille justus perit*; cumque de viris חָסֶד, εὐεργεταις ac beneficis sermo sit, quod elogium magistratui solet tribui, Luc. XXII. 25. denique cum circumstantiæ temporis congruant, vixit enim Esaias temporibus Ezechiæ, cujus obitum sub imperio Manassis mala plurima sunt insecuta. Ex Jerem. IX. 16. colligitur, in funeribus adhiberi fuisse solitas mulieres מְקוֹנְנוֹת, *lamentatrices*, quæ planctum excitarent, & aliorum lacrimas simulato luctu elicerent, unde vocantur חֲכָמוֹת, *sapientes in lamento*, quales apud Romanos erant præficæ, quæ ad funus deplorandum & mortuum laudandum mercede conducebantur. (**) Lucilius: *Mercede quæ conductæ flent alieno in funere præficæ. Multo & capillos scindunt & clamant*

(*) Scriptores, qui de funeribus & modo sepeliendi apud varias gentes, tum veteres, tum recentiores, usitatis, data opera egerunt, more suo diligenter recensuit Jo. Alb. Fabricius in *biblioth. antiquar. cap. XXIII. p. 1020. seqq.* edit. novæ.

(**) De his infra, in *nota* ad *p. 93.* non nulla dicemus.

mant magis. Ex Matth. IX 23. adparet, *tibicines* in exsequiis adhiberi consueviſſe, qui μοναυλίᾳ unius tibiæ triſti concentu ad commiſerationem & luctum alios permoverent. Apud Joſephum lib. III. de bello Judaico nunciata morte Joſephi, πλείσθας μισθοῦσθαι τὰς αὐλητὰς οἱ Ἑβραίων ἔξηρχον αὐτοῖς. Thalmudiſtæ eos vocant חֲלִילִין, *aulædos.* Thalmud. Hieroſolym. tract. de benedict. cap. 3. in tractat. de ſabbath. cap. 23. in Baba Mezia cap. 6. Rabbi Salomon in Ezech. XXV. *Sunt, quæ adhiberi conſueverunt ad luctum & lætitiam, ſed non eſt in eis par ratio, cujusmodi ſunt aulædi pro ſponſa & mortuo.* Syrus eos adpellat זַמָּרֵי, a radice זָמַר, *tibia cecinit*, cujus ritus apud Græcos & Romanos veſtigia exſtant. Lucianus in lib. Περὶ πένθους tradit αὐλὸν fuiſſe θρηνητικὸν ὄργανον. Homerus cadavere Hectoris adlato dicit *adfuiſſe ἀσιδὰς θρήνων ἐξάρχους*, quos interpres dicit fuiſſe *tibicines.* In legibus XII. tabularum itidem fit mentio *tibicinum ſepulcralium*, de quibus late Hotomannus in comment. illarum legum pag. 38. & apud Ovid. libr. VI. Faſtorum:

Cantabat mœſtis tibia funeribus.

In hiſtoria ſepulturæ Chriſti commemoratur, quod Joſephus & Nicodemus *obvinxerint illud linteis cum aromatibus*, & additur, *ſicut mos eſt Judæis ſepelire*, Joh. XIX. 40. ex quo intelligitur, morem condiendi defunctorum corpora aromaticis unguentis, eademque ſindone involvendi uſitatum apud Judæos fuiſſe; cadavera ipſa linteamine obvoluta *manibus ac pedibus ligarunt*, ut colligitur ex Joh. XI. 44. Modum ac morem illum ſepeliendi apud Judæos receptum ex rabbi Moſe, filio Maimonis, deſcripſimus in harmon. de paſſion. cap. XIX. pag. 914. Formulas precationum & benedictionum in ſepultura Judæorum uſitatas ex libro Mazor deſcribunt Antonius Margarita, & Chriſtianus Gerſon in libro de Judæis cap. de ſepultura, Chytræus in libr. de vita & morte pag. 101. Monumenta ditiorum fuerunt in lapidem exciſa, ac potuerunt lapidibus ſuper impoſitis claudi. Matth XXVII. 60. Joh. XI. 38. Sepulcrali lapidi Judæi inſcribere ſolent: *Sit anima ejus in paradiſo Eden, Amen!* Vel, *Sit anima ejus colligata in faſciculo viventium, Amen!*

§. LXXXV. In hiſtoria eccleſiæ *nov. teſt.* occurrunt hi ritus: Corpora defunctorum prius *lauerunt*, (*) Actor. IX. 37. poſtea honorifice ea ſepelierunt, & *planctum in exſequiis fecerunt*, Act. VIII. 2. interim in hoc luctu ſpe reſurrectionis ſeſe *invicem ſunt conſolati*, 1. Theſſ. IV. 18. In *primitiva eccleſia* progreſſu temporis varii ritus in ſepulturis adhiberi cœperunt. Euſebius libr. VII. hiſtor. eccl. cap. 22. ex Dionyſio de Chriſtianis commemorat, quod *in peſtilentia Alexandrina ſanctorum corpora ſupinis manibus ac ſinu exceperint, oculos depreſſerint, ora clauſerint, unanimes & pariter adfecti ſtrictim complexi ſint, laverint & ad ſepulturam ornarint.* Origenes libr. I. in Job. meminit *pretioſi veſtitus, quo mortui ornati in terram ſint reconditi, quem ſi quis pro conſuetudine amico mortuo mitteret, prius conſcindebat, ne, eo a flagitioſis ſurrepto, funus irreverenter abjiceretur.* Tertullianus libr. de anim. mortuos etiam *oratione a presbyteris componi conſueviſſe* indicat. Cyprianus in ſermon. de mort. meminit *atri* ſeu *lugubris veſtitus*, (**) quem in funere cognatorum

II) *Ex hiſtoria primitivæ eccleſiæ.*

(*) Hancce ablutionem defunctorum non tantum *Græcis & Romanis*, ſed *Hebræis* quoque fuiſſe uſitatam, atque ab his ſatis mature ad chriſtianos transmiſſam, obſervat Binghamvs ſupra jam laudatus, in *origin. & antiquit. eccleſiaſt. tom. X. libr. XXIII. cap. III. §. 3. p. 46.*

(**) Idem tamen Cyprianvs nulla, ob defunctum, luctus indicia, cujusmodi eſt veſtitus lugubris, oſtendi oportere exiſtimabat, eam quidem ob rationem,

quia mors piorum nonniſi tranſitus ſit ad vitam beatam eandemque æternam. Vid. *ejusdem tract.* ſupra excitatum *de mortalitate, p. 115.* edit. Jo. Felli. Contenta hujus tract. edifſeruimus in *dem Verſuch einer unpartheyiſchen Kirchenhiſtorie, part. II. p. 913.* Notandum tamen, veteres chriſtianos geſtationem veſtis lugubris ob defunctum haud damnaſſe, licet eos laudaverint, „qui eam vel prorſus omitte„rent, vel poſt breve tempus deponerent, ut qui „for-

torum superstites induebant. Ritum ungendi ac vestiendi defunctorum corpora (*) Prudentius in hymno in exsequias defunctorum sic describit:

Candore nitentia claro prætendere lintea
mos est,
Adspersaque myrrha (**) *Sabæo corpus medicamine servat &c.*

Nazianzenus in orat. de funere Basilii, & Epiphanius lib. III. tom. I. hæres. 71. *mortuos in lectiis vel lectulis ad locum sepulturæ manibus sanctorum exportatos, ac inter efferendum psalmos luctu permixtos decantatos fuisse* referunt. *Cereos* ac *luminaria* in exsequiis præferri solita colligitur ex Nazianzeno orat. in Julian. de funere Constantii, Nysseno in epist. ad Olympiam de obitu sororis. Hieronymo in epitaph. Paulæ &c. *Dic mihi*, inquit Chrysostomus in epist. ad Hebr. II. homil. IV. mor. *quid sibi volunt lampades istæ in funere tam splendidæ? nonne sicut athletas mortuos comitamur? quin etiam hymni? nonne ut Deum glorificemus, & ei gratias agamus, quod jam coronavit discedentem, quod a laboribus liberavit, quod a timore liberatum apud se habet, nonne propter hoc hymni? nonne propter hoc psalmodia? omnia ista gaudentium sunt.* Eusebius lib. IV. de vita Constant. funebres exsequias pientissimi illius imperatoris sic describit: *Cadaver in capsulam collocatum & purpurato operculo obtectum Constantinopolin deportatum, & in basilica sub altissimis gradibus depositum est, luminibus super candelabris aureis circumcirca accensis, inde deductum in aliud templum, ubi conditum est, turba frequens omnis generis hominum secuta est, ac preces cum fletu pro anima imperatoris fudit.* Cum honore & multitudine comitantium corpora pie defunctorum ad sepulcrum delata fuisse colligitur ex Nazianzeno orat. II. in Julianum, Sulpitio in vita Martini, Hieronymo in vita Fabiolæ &c. Hieronymus in epist. ad Eustochium de obitu Paulæ: *Translata est episcoporum manibus & cervicem feretro subjicientibus, cum alii pontifites lampades cereosque præferrent, alii choros psallentium ducerent, tota ad funus ejus Palæstinarum urbium turba convenit, Hebræo, Græco, Latino, Syroque Sermone psalmi in ordine personabant.* Orationes sive *concionis funebres* habitas fuisse colligitur ex Socrate lib. V. hist. cap. 9. ubi Gregorius in funere Meletii Antiocheni orationem habuisse dicitur. Super tumbas spargebant *violas* & *flores*. Prudentius in hymno exseq.

Nos tecta fovebimus ossa,
Violis & fronde sequenti,
Titulumque & frigida saxa,
Liquido spargemus odore.

Post curatum funus dabant *eleemosynas*, teste Chrysostomo homil. XXXII. in Matth. quem morem in occidentalibus ecclesiis viguisse, refert Hieronymus ad Pammachium. In defuncti memoriam aliis *dies septimus*, aliis *tertius* &

„fortitudini & philosophiæ hominis' christiani agerent convenientius„ prout observavit Binghamvs *loc. cit. p. 77.*

(*) Consuetudinem condiendi corpora defunctorum valde olim usitatam fuisse apud christianos, vel exinde facile colligi potest, quod paganus ille apud Minvcivm Felicem *p. 38.* edit. Halens. christianis generatim vitio vertit, quod corpus odoribus non honestent, dum vivant, sed *reservent unguenta funeribus.*

(**) Alludit hoc Prvdentivs ad consuetudinem veterum christianorum, quibus *myrrha* una ex præcipuis speciebus erat, quibus defunctorum corpora condire solebant; prout ex Plinio observavit Hvgo Grotivs in *Matth. II. 11.* Apud Judaicam quoque gentem nihil magis frequens fuisse in conditura quam unguentum usumque *myrrhæ* & *aloës*, alii dudum observarunt. Patet sane hoc ex ipsius servatoris testimonio, dato mulieri, quæ corpus ipsius unxerat ad funerationem, nec non ex iis, quæ Joannes, apostolus servatoris, de *Joseph Arimathæensi* & *Nicodemo* memoriæ prodidit. Scribit enim eos attulisse misturam myrrhæ & aloës libras quasi centum, atque accepisse corpus Jesu illudque obvinxisse linteis, cum aromatibus, ut *Judæis sepeliendi mos* fuerit; *Joan. XIX. 39. 40.* Ex quibus probabili ratione colligimus, christianos exinde ansam accepisse, eundem honorem mortuorum corporibus deferendi. Vid. Binghamvm *loc cit. tom. X p. 32. seqq.* Add. Lampivm in *commentario evangelii secundum Joannem tom. III.* ad *Joann. XIX. 39. 40. p. 641. seqq.*

& *trigesimus*, aliis *quadragesimus* celebratur. Ambrosius in orat. de fid. resurrect. *Nunc die septimo ad sepulcrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est.* In orat. de exitu Theodosii: *Ejus principis & proxime conclamavimus obitum, & nunc quadragesimam celebramus, sicut sanctus Joseph patri suo Jacob quadraginta diebus humationis officia detulit.* Accesserunt tandem varii abusus ac superstitiones. Augustinus lib. I. de moribus ecclesiæ Cath. cap. 34. graviter taxat, quod *quidam super mortuos luxuriose biberint, imo & ipsis cadaveribus epulas exhibuerint, easque voracitates & ebrietates pro religione insuper habuerint.* Lib. VIII. de civ. Dei cap. 27. refert, *adlatas ad martyrum loca a quibusdam christianis epulas, quas ubi adposuissent, orarint & rursum abstulerint, ut vel ipsi vescerentur, vel etiam indigentibus inde aliquid largirentur persuasi, quod martyrum meritis illi cibi sanctificati fuerint*; sed addit, *hoc non fieri ab iis, qui in christiana pietate melius instituti, nec ubique locorum illud usu receptum esse.* Chrysostomus hom. LXI. in Johan. reprehendit eos, *qui nimios sumtus in exsequias profundebant. Perditus*, inquit, *si in funere universam habuerit civitatem, nihil lucrabitur.* Homil. IV. in epist. ad Hebr. morem gentilium adhibendi *præficas* (*) in ecclesia Antiochena usitatum graviter taxat. In Antisiodorensi concilio can. XII. decernitur, *ne in posterum mortuis eucharistia aut osculum detur, nec velo aut palliis corpora eorum involvantur.* Synodus Triburiensis cap. XV. *sepulturas vendi & laicos intra templa sepeliri vetat*; rationem addit Hincmarus in epist. ad eccl. Torn. *quia terra fit concessa putredini, & non deceat de alieno luctu facere compendium.* Gregorius lib. VII. epist. LV. severe prohibet, *ne quid pro sepulturæ loco exigatur, ne venalis dicatur*

(*) Solebant nimirum gentiles certas conducere feminas ad deplorandum funus, edendumque insolitum clamorem ante defunctum, cum laceratione crinium aliisque luctus indiciis oppido ridiculis subinde conjunctum. Præcipua inter eas Romanis dicebatur *præfica*, eam ob rationem hocce nomine insignita, quoniam reliquis erat præfecta, ut modum plangendi suo exemplo reliquis monstraret. Vberius easdem ex Varrone, Ovidio, Sexto Pompejo, Nonio Marcello, aliisque auctoribus Romanis descripsit Jo. Rosinvs, qui primus *antiquitat. Romanarum* corpus superiori seculo edidit, *libr. III. cap. XXXI. p. 500.* Cumprimis vero evolvi heic meretur Hieronymvs Barvffaldvs, in peculiari dissertatione lectu dignissima *de præficis, ad illustrationem urnæ sepulcralis Fl. Quartillæ, præficæ*, quæ cum Josephi Lanzoni *adversariis de luctu mortuali veterum*, Ferrariæ *MDCCXIII.* 8. lucem adspexit publicam. Huncce dissertationem *tom. III. novi thesauri antiquit. Romanar.* postea inseruit Albert. Henr. de Sallengre. Add. *les memoires de Trevoux* ann. *MDCCXXX. p. 141. seqq.* & *Giornale de letterati d' Italia. tom. XVI. p. 295.* Prætermittimus alios auctores, in Jo. Alb. Fabricii *bibliogr. antiq. cap XXIII. p. 1027.* edit. nov. jam adlegatos, quibus jungi meretur Jos. Binghamvs in *origin. ecclesiast. tom. X. libr. XXIII. §. XVIII. p. 71. seqq.* Transiit vero ista consuetudo, conducendi *præficas* ad deplorandum funus, a gentilibus ad christianos, nec tantum Chrysostomi ævo, sed & sexto adhuc seculo ad finem vergente, viguit. Documento est Gregorivs Turonensis,

libr. V. hist. cap. IV. ubi de mortuo Clodeberto scribit: *viros lugentes, mulieresque lugubribus vestimentis indutas, ut solet in conjugum exequiis fieri, hujus funus prosecutas esse.* Has vero in mulieres acriter olim invectus est Chrysostomvs *hom. XXXIII. in Matth.* ubi inter alia hæc leguntur verba: *Porro autem illis infelicibus & miseris mulierculis per vos prohibemus, ne unquam ingrediantur ad fidelium funera, quæ efferuntur, ne revera ipsis cogamus sua mala deflere, & erudiamus eas, in alienis non hoc facere, sed suas potius deplorare calamitates.* Idem *homil. IV.* in *epist. ad Ebræos*, quam supra excitavit Gerhardvs, ita infit: *Nemo defunctos ploret, nemo lugeat, nemo mortem Christi, qua mors superata est, calumnietur. Quid frustra flet, si mortem in somnum redactam esse credis? Quid re cœlis & luges? Si enim gentiles id faciunt, videndi sunt, si autem fidelis pariter ac infidelis hac in re peccat, quid respondebit? Quamnam veniam petere audebit, præsertim longis temporibus postea, quum jam nemo christianorum de resurrectione ambigat? In vero sedulo studes delictum hoc quasi amplificare & incitatrices fieris mulieres convocas, quarum flebili cantu incendatur atque inflammetur vehementius ægritudo tua: nec Paulo dicenti auscultas: quæ consonantia est Christo ac Belial, vel quæ pars fideli cum infideli?* Plura de *præficarum* usu apud christianos legi possunt apud Hvgonem Menardvm ad *sacramentarium Gregorii M. p. 237.* Sam. Basnagivm in *annal. polit. ecclesiast. tom. I. ad A. C. XXXVII. num. 19. p. 403.* aliosque.

tur ecclesia, aut vobis de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studeatis quærere quolibet modo compendium.

III) *In nostris ecclesiis.* §. LXXXVI. Ritus in *nostris ecclesiis* usitatos Chytræus de vit. & morte pag. 106. sic describit: „Convocatis nolarum sonitu funera comitaturis corpora defunctorum imposita feretro, „quod pullo velamine vel serico tectum est, „præeuntibus ac pia carmina de morte & beneficiis Filii Dei præcinentibus scholasticis „(alicubi & crucifixi imago nigra pompæ præfertur,) & sequentibus funus cognatis & con„tribulibus, aliisque amicis & concivibus, in „cœmeterium vel templum, in quo doctrinam „evangelii de Christo victore mortis & datore „vitæ æternæ vivi audiverunt, deducuntur, ac „in aditu templi vel cœmeterii eleemosynas „pro pauperibus singuli funus comitantes in „pelvim offerunt. Interea corpus defuncti „sandapilæ inclusum inter cantiones & preces „terræ mandatur, alicubi imposita feretro san„dapila in medio aut choro in conspectu po„puli relinquitur, & post finem concionis de„mum humatur. Interea dum funus terra ob„ruitur, & responsoria funebria cantantur, „fœminæ etiam ex intervallo viros sequuntur, „quibus congregatis sacerdos, cum id ab ami„cis defuncti petitur, concionem funebrem de „morte, & consolationibus morti opponendis „pronunciat, & defuncti pietatem ac virtutem „celebrat. Postea recitatis precibus & rursus „decantato carmine pio, quo singuli omnibus „momentis mortem imminentem exspectare, „& se ad eam vera pœnitentia & fide ac vitæ „emendatione præparare jubentur, singuli do„mum revertuntur.„ Hæc Chythræus. Sic ergo in nostris ecclesiis potior habetur ratio piarum psalmodiarum in deductione funeris decantandarum, & funebris concionis ex Dei verbo instituendæ, quam ludicrarum ac superstitiosarum ceremoniarum in pontificiis ecclesiis usitatarum. Conciones enim illæ inserviunt, 1.) viventium informationi, 2.) lugentium cognatorum consolationi, 3.) honestæ defuncti commendationi, ubi tamen cavendum, ne illa defunctorum encomia sint mercenaria præconia.

Quæritur: 1.) *An liceat in funebribus concionibus subjungere clausulam ἐυκτικὴν.*

§. LXXXVII. Quæritur hoc loco: I) *An, quando in oratione funebri pro beata defunctorum ad Dominum emigratione gratiæ aguntur, liceat clausulam illam ἐυκτικὴν subjungere: Deus det ei pacatam quietem & beatam ad vitam resurrectionem?* Negat Calvinus epist. CCCLXVI. sed Augustanæ confessionis apologia illud concedit. Notandum vero ejusmodi votum 1.) non esse *indicium dubitationis* de statu pie defuncti, an ipsius anima ad beatam vitam translata sit, nec ne? 2.) nec præsupponere *ignem quemdam purgatorium*, in quo defunctus torqueatur; 3.) nec sine eo adhiberi, ut peccatorum remissionem mortuo impetret. Sed esse 1.) *publicum testimonium* de requie ac salute pie defuncti, cui de hac felicitate gratulamur, 2.) adhiberi in *consolationem lugentium*, 3.) ac *declarationem pii adfectus erga defunctum.* Sic Dionysius in eccles. hierarch. cap. ult. dicit, ecclesiam voluisse illis precibus *fidem & exspectationem beatæ resurrectionis* profiteri & fidelibus confirmare. Ambrosius in orationibus funebribus, quas in obitum Valentiniani, Theodosii & fratris sui habuit, orat Deum, *ut det illis beatam requiem*; interim diserte addit, *non esse dubitandum, quin cum Christo in cælis vivant, seque illis gratulari, quod cum Christo in cæleti vita regnent,* qua de re in quæstione de purgatorio pluribus dicetur.

2.) *An extra urbem cœmeteria eligenda?*

§. LXXXVIII. II) *An præstet extra vel intra urbem, adeoque intra ipsos templorum ambitus cœmeteria ac sepulcrorum loca statui?* Adfirmatur prius. 1.) Pii in vet. test. sepulturæ locum sibi elegerunt *in libero campo.* Abrahamus speluncam agri in sepulcretum emit, Gen. XXIII. 20. Debora sepelitur subter quercum, Gen. XXXV. 8. Rachel

chel in via, quæ ducit Ephratam, v. 19. Joseph in Sichem in parte agri possessionis loco a patre sibi dati, Jos. XXIV. 32. Historiæ de sepultura Christi, Matth. XXVII. 60. Joh. XIX. 41. Lazari, XI. 31. filii viduæ ex Nain, Luc. VII. 12. de obsessis in sepulcris habitantibus, Matth. VIII. 28. ostendunt pios veteres extra urbes sepulcra sua habuisse. (*) 2) Idem in ecclesia primitiva diu obtinuisse constat. (**) Chrysostomus serm. de fid. & lege: *Omnis civitas, omne castellum ante ingressum habet sepultra.* In Bracarensi concilio seculo VII. habito cap. XXXVI. decretum fuit, *ne corpora defunctorum intra basilicas sanctorum tumulentur, sed ut omnes sepulturæ fiant extra civitates.* Prosper, Aquitanicus episcopus, *extra urbem* elatus & humatus est. Armenium, Justini in episcopatu Lucanico successorem, *extra urbem* sepultum esse refert Gregorius Turonicus lib. II. cap. 1. Conradus, Constantiensis episcopus, *sub dio* juxta Mauritii templum sepeliri petiit, ut Bruschius de eo commemorat. 3.) Superstitione papali invalescere incipiente intra templa ac monasteria sepeliri voluerunt, (***) ex vigiliis,

(*) De more veterum extra urbem sepeliendi, non tantum apud Judæos, sed & Græcos atque Romanos usitato, evolvi merentur Jo. Kirchmannus, *de funerib. Romanor. libr. II. cap. XX.* Joseph. de Voisin in *theolog. Judæor. p. 84. seqq.* & Chifletius in *expositione inscriptionis Gemmiæ, matris sacrorum, p. 25.*

(**) Per tria priora secula nulla christianis in civitatibus fuisse sepulturæ loca, vel exinde facile colligi potest, quoniam leges Romanæ per omne illud tempus mortuos in civitatibus sepelire omnibus cujuscunque ordinis hominibus interdicebant. Hisce vero Romanorum legibus in omnibus rebus indifferentibus obtemperasse veteres christianos, certo certius est. Vid. Jos. Binghamvm *loco* supra *excitato, tom. X. libr. XXIII. cap. I. §. 2. p. 3. seqq.* Add. *Pertschium* in dissert. inaugurali sub præsidio b. Boehmeri habitam *de jure erigendi cœmeteria.*

(***) Si rem ab origine repetere velimus, teneamus necesse est, magnam martyrum venerationem ansam christianis sec. IV. præbuisse, ut templa tumulis martyrum imponerent, quoniam adsueti jam erant, illic, ubi conditi erant, cœtus suos congregare. Hinc potentiores in clero & populo in ecclesiis prope martyres condi cupiebant. Habebant præeuntem *Constantinum*, qui in vestibulo ecclesiæ sepultus fuit. Et ab hoc inde tempore tam late atque violenter grassari cœpit hæc superstitio, ut reprimi non potuerit, quamvis *Theodosii* imperatoris auctoritas & decreta intercederent. Vid. Jvst. Henning Boehmervm in *jure eccles. Protest. T. II. p. 1052. seq.* Nimirum, qui antea solis regibus atque imperatoribus concedebatur intra civitatem sepulturæ locus, & in atrio, sive porticu, vel aliis exterioribus ædificiis ecclesiæ, ineunte sec. VI. etiam populo fuit concessus. Imo, quod ejusmodi privilegiis facile evenire novimus, subinde promoto pede, intra idem illud sec. VI. regibus, episcopis, ecclesiæ conditoribus, presbyteris & ex laicis quibusdam, qui sanctimonia vitæ & virtutum laude maxime essent conspicui, in ipsis ecclesiis sepulturæ locus permittebatur. Neque tamen vel in hisce legibus subsistere placuit, sed longius gradatim processit res, ita ut arbitrio episcoporum & presbyterorum relinqueretur, quos in ecclesiis sepeliri aut non sepeliri oporteret. Factum adeo est, ut Sec. IX. quædam familiæ in Gallia hereditarias sepulturas in ecclesiis sibi adsere re inciperent. Et quamvis ingravescenti abusui obviam ire adgrederentur nonnulla conciliorum decreta, tot tamen exceptiones passæ sunt antiquæ leges, ut non difficile fuerit, istud privilegium obtinere. Opinio videlicet, quod hominum animabus id multum prosit, si in ecclesia sepeliantur, homines hujus privilegii tanto reddebat adpetentiores. Quid? quod *Leo III.* pontifex Romanus decretum fecit, quo unicuique genus quoddam juris hereditarii conceditur, in sepulturis majorum suorum jacendi, exemplo, ut dicitur, patriarcharum. Ista autem privilegia cum id dederint, ut sacrorum ædificiorum conditores permitterentur sepeliri in ipsis illis a se conditis sacris ædificiis, necesse non est exponere, quomodo factum sit, ut hic sepeliendi mos etiam monasteriis inferretur. Vid. Jos. Binghamvm, *loco citato, tom. X. libr. XXIII. cap. I. §. 7. seqq. p. 17.* Ceterum de more, intra templa fidelium cadavera humandi, vid. Lvdov. Anton. Mvratorivm in *dissert. XVII. ad Paullinum p. 181. seq. tom. I. anecdotor bibl. Ambrosianæ* & Nic. Hieron. Gvndlingivm in *observ. selectis Hal. Sax. 1707. 8.* editis *tom. I. obs. VIII.* quæ est *de origine sepulcrorum in templis.* Contra morem sepeliendi in templis disputat auctor scripti anglice editi Londini 1726. 4. *churches no charnel house.* Plures dabit Fabricivs in *bibliograph. antiq.* p. 1026.

Id unum ultimo loco notamus, hunc morem adhuc hodie partim oppugnari, partim defendi. Hoc ipso enim anno MDCCLXXVI. prodiit Argentorati dissertatio de *noxis ex sepultura in templis*, auctore Phil. Adolph. Lampe, *Dantiscano.* Et superiori anno editum fuit ab *anonymo* scriptum, quo evincere conatur, sepulturam istam nil inferre detrimenti. Confer *dissertat.* modo *citatam.*

giliis, missis, anniversariis levamentum quoddam sperantes. 4.) Ritus defunctorum corpora extra portas ad locum sepulturæ efferendi admonet nos, quod aliam politiam ex hac terrena & transitoria civitate fuerint ingressi, Hebr. XIII. 14. 5.) Metuendum, ne aër, in templis præsertim, conclusis vaporibus e sepulcris exhalantibus vitietur. 6.) Idem sanioribus gentilibus probatum. Leges XII. tabularum *corpora mortuorum in civitate, ne inde contaminarentur*, sepeliri severe vetuerunt, quæ prohibitio etiam postea aliquot principum rescriptis fuit confirmata. Veterum sepulcra in agris fuisse cum multa comprobarint, tum id quod Vlpianus scriptum reliquit, *Divum Adrianum pœnam statuisse aureorum quadraginta in eos, qui in civitate sepulcrum fecissent, quam fisco inferri jussit, & in magistratus eandem statuit pœnam*, qui id passi forent. Interim si absit superstitio, cujusque regionis consuetudo hac in re servari potest. David sepulturæ locum habuit *in civitate*, 1. Reg. II. 10. cujus sepulcrum in Jerusalem duravit usque ad tempus Christi, Act. II. 29. & postea ibidem plerique reges Juda habuerunt sua monumenta, in quæ etiam Jojadas pontifex illatus est, 2. Paral. XXIV. 16. Samuel sepultus est *in domo sua* in Ramatha, 1. Sam. XXV. 1. Tempore Ambrosii quidam in *templo* sepulti fuere. Ambrosius lib. I. de Abrahamo cap. 3. Hieronymus in vita Paulæ & Fabiolæ &c. Justinianus Constantinopoli templum sanctorum apostolorum exstruxit, in quo reges ac sacerdotes locum sepulturæ haberent, referente Evagrio lib. IV. cap. 31.

Quæritur: 3.) An corpora facinorosorum in patibulo relinquenda?

§. LXXXIX. Quæritur: III) *An probari possit, quod corpora facinorosorum in patibulo vel rota relinquantur insepulta?* Quibusdam hoc videtur pugnare non solum *cum moderatione christiana, cum certa resurrectionis fiducia, & humani corporis dignitate*, sed etiam *cum expressa Dei constitutione:* Deut. XXI. 22. 23. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti suspensus fuerit in ligno, non pernoctabit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur*; & cum divino oraculo Gen. III. 19. *Terra es, & in terram reverteris.* Zepperus lib. V. de legib. Mosaic. cap. 7. Contra vero urgeri potest 1.) *generalis regula*, quod evangelium non aboleat politicas constitutiones, quæ legi naturæ congruunt, ac probabili ratione nituntur. Jam vero in legibus civilibus facinorosorum corpora in patibulo relinquenda esse decernitur l. *Capitalium* 28. §. *famosos* 15. ff. *de pœnis.* & l. *Corpora* 1. ff. *de cadaveribus punitorum.* 2.) Tale genus supplicii a posteris Saulis sumtum legitur 2. Sam. XXI. 9. & quidem *coram Domino*, hoc est, ut quidam exponunt, non sine ipsius adprobatione. 3.) Reipublicæ utile est, horrendis ejusmodi spectaculis alios a similibus delictis deterreri; (quam rationem tamen quidam invertunt. Si enim cadaver e patibulo depositum terra occulitur, eo ipso ostenditur, illud tam maledictum & contaminatum censeri, ut non sit dignum, quod in aëre maneat, ne eum polluat, sicut Deut. XXI. 23. hæc ratio additur. Fagius in illum locum: *Horror supplicii major est, si eodem quoque die occulitur facinorosi corpus; consuetudine enim adspiciendi in crucem suffixum, minus tetrum supplicium vulgo habetur.*) 4.) Deus minatur impiis *sepulturam asini*, Jerem. XXII. 19. ergo magistratus, qui est judiciorum divinorum exsecutor, talem pœnam facinorosis intligere potest. 5.) Ambrosius serm. XX. in Psal. CXVIII. veterem illum morem non videtur improbare: *Qui enim*, inquit, *turpi vel sceleste reatu beluinæ obscœnitatis illuviem vel bestialis immanitatis horrorem commisisse detecti sunt, tanquam ii, qui proposito humanæ moderationis exciderint, formam quoque humanæ conditionis jubentur exuere; resecto enim capite reliqui corporis truncus bestiarum corpori comparatur, & sapientiæ arte fraudatur, qui sapientiæ non potuit tenere rationem.* Quod legem Deuteronomii adtinet, illa judicialis est, ac Judaicum duntaxat populum obligat. Rabbini fabulantur, rationem legis

legis esse eam, quod *ante sepulturam cadaveris anima ad quietem suam pervenire non possit, nec ab angelis duci in thalamum Dei, sed interim cogatur adstigi & vexari a turmis dæmonum.*

Quæritur: 4.) An hæreticis vel impiis deneganda sepultura?

§. XC. Quæritur IV.) *An pertinacibus hæreticis ac impiis in impœnitentia vel desperatione mortuis consueti honestæ ac christianæ sepulturæ ritus recte denegentur?* Circa statum quæstionis notandum 1.) quod in subjecto ζητήματος propositi non agatur de illis, qui in uno vel altero christianæ religionis articulo errant, interim parati sunt informationem ex verbo Dei suscipere; sed de *pertinacibus hæreticis*, hoc est, qui in fundamentalibus fidei articulis errant, atque errorem suum pertinaciter defendunt, ac proinde nec in verbi auditu nec in sacramentorum communione cum vera ecclesia participant. 2.) Quod non sit quæstio de hæreticis ac impiis *occultis*, qui vel solius Dei judicio, vel ex paucorum duntaxat Christianorum notitia hæresin ac impietatem fovent; sed de *notoriis hæreticis ac manifestis impiis*, qui gradibus admonitionum postabitis in hæresi vel impietate perseverantes maximo cum ecclesiæ scandalo verbi & sacramentorum communione se ipsos privarunt. 3.) Quod non sit quæstio de illis, qui ante finem vitæ erroribus vel delictis suis agnitis veram pœnitentiam egerunt, ac cum ecclesia in gratiam redierunt; sed de illis, qui in notoriis erroribus ac flagitiis *sine pœnitentia* ad finem usque vitæ hæserunt. 4.) Quod non solum de illis hæreticis ac impiis quæratur, qui κατ' ὄνομα nominatim ac in specie sunt excommunicati, de quibus constitutionibus eccles. electoris Augusti in articulis generalibus cap. XI. fol. 327. sic loquitur: *Im Fall da die excommunicirte Person ohne Besserung aus dem Leben abschiede, so soll das Pfarrvolk nicht bey der Begräbnüs seyn, sondern sie ohne gebührliche Ceremonien durch die bestelleten Todtengräber, doch ausserhalb des Kirchhofs, als ein abgeschnittenes Glied der heiligen christlichen Kirchen, vergraben lassen.* Sed in genere de omnibus proprie dictis hæreticis ac notorie impiis, qui coram Dei judicio pro excommunicatis ac damnatis habentur, etiamsi in judicio ecclesiæ externo non sint nominatim, & in specie excommunicati. 5.) Quod non solum de illis, qui in notoriis flagitiis sine pœnitentia moriuntur, sed etiam de illis, qui ex desperatione violentas manus sibi ipsis inferunt, quæstio instituatur, ubi tamen inter αὐτόχειρας quædam distinctio adhibenda, ut monuimus superius. 6.) Quod illi, qui morte repentina obeunt, vel ædium ruina oppressi, vel in aquis suffocati, non sint statim pro impœnitentibus habendi, sed quod vita anteacta hic sit respicienda. 7.) Quod in *prædicato* quæstionis per consuetos honestæ ac christianæ sepulturæ ritus intelligatur non ipsa humatio vel funeratio, de qua accipienda quibusdam videtur constitutio Marciani. l. *Humanum* 9. C. de hæret. & Manich. *Humanum & pium esse putantes, hæreticos permittimus sepeliri legitimis sepulcris*, & l. *Hæretici* eod. *Hæretici legitimo modo ut cæteri sepeliuntur.* Apud Hebræos lege cautum erat, *ne hostem insepultum quidem relinquerent.* Sed honorifica illa funeris ad cœmeterium deductio, quæ fit cum psalmodiis sacris, ad viventium informationem ac consolationem, defuncti vero commendationem adcommodata, adeoque omnes illi ritus, qui in honorifica & christiana pie defunctorum sepultura adhiberi consueverunt.

§. XCI. Hisce de statu quæstionis præmissis, negative ad propositum ζήτημα respondendum esse ducimus, argumentis petitis I) a *divino mandato.* Deus, cujus voluntas omnium actionum nostrarum regula esse debet, prohibuit notoriis hæreticis ac manifeste impiis honestam & christianam sepulturam conferre. Ergo vere pii tanquam obsequentes Dei filii cavere debent, ne contra divinam illam prohibitionem agant. *Antecedens* probatur 1.) ex *secundo decalogi præcepto*, in quo abusum nominis sui divini Deus graviter prohibet,

Exod. XX. 7. Levit. XIX. 12. Deut. V. 11. jam vero cum abusu nominis divini conjunctum est, si verbum Dei in cantilenis ac concionibus funebribus comprehensum, ad sepulturam eorum cohonestandam adhibetur, qui fuerunt verbi contemtores, manifesti hostes & Epicuræi illusores, qui velut porci ac canes margaritas verbi & sanctum doctrinæ cœlestis thesaurum pedibus conculcarunt, Matth. VII. 6. 2.) Ex *generalibus illis mandatis*, in quibus ab impiorum consortio pii cavere & abstinere jubentur: Esa. LII. 11. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vasa Domini.* 2. Cor. VI. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci cum tenebris?* 2. Thess. III. 6. *Denunciamus vobis in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam accepit.* v. 14. *Si quis non obedit verbo, non commisceamini cum illo.* 2. Joh. v. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis.* v. 11. *Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Quod si ergo pii in vita se debent ab impiorum consortio segregare, utique etiam post mortem non debent illis communicare, honorifica sepultura eos cohonestando; sed facto ipso demonstrare, quod perfecto odio eos prosequantur, christianam & honestam sepulturam eis denegando. 3.) Ex *speciali præcepto*, quo Deus blasphemos jussit lapidari, & ignominiosa morte adfici, Levit. XXIV. 14. jam vero in numero blasphemorum merito censentur, qui notoria impietate & publicis flagitiis sine ulla pœnitentia admissis *nomen Dei faciunt blasphemari*, Rom. II. 24. Tit. II. 5. qui verbum & sacramenta præfracte contemnunt, qui omnes ministrorum verbi admonitiones ac redargutiones pertinaciter aspernantur. 4.) Ex *dicto Christi* Matth. VIII. 22. Luc. IX. 60. *Sine, mortui sepeliant suos mortuos.* Qui ergo in peccatis suis sine ullo veræ pœnitentiæ indicio mortui sunt, illorum exsequiis Christus interesse eos prohibet, quos ad regni sui consortium vocat, etiamsi parentum ac proximorum cognatorum loco constituti sint. 5.) Ex *apostoli præscripto* 1. Cor. XIV. 40. quod in ecclesia *omnia fieri debeant κατὰ τάξιν καὶ εὐχημόνως*, jam vero ecclesiasticæ illi *τάξει καὶ εὐχημοσύνῃ* extreme adversatur, si pertinaces hæretici, ac notorie impii in impœnitentia, ac proinde etiam sub pondere iræ divinæ mortui, & infernalibus flammis addicti, in eodem cum piis censu ac numero habeantur, si membra Christi ac satanæ eodem modo tractentur, si eodem honore adficiantur, quos Christus ut agnos & hædos sequestrabit, Matth. XXV. 32. Jacobus graviter taxat illam *προσωπολημψίαν καὶ ἀταξίαν*, qua in conventibus ecclesiasticis dives pauperi præfertur, II. 2. & seqq. an ergo existimabimus, Deo gratam ac probatam fore pejorem illam *ἀταξίαν*, qua manifeste impius homini pio exæquatur? 6.) Ex *ipso Dei facto*. Deus non solum verbis, sed ipso etiam facto & exemplo ostendit, quod notorie impios nolit honesta sepultura cohonestari. Antediluvianos homines propter extremam malitiam in mari submersit, Sodomitas igne cœlitus demisso absumsit, & quod proprie hujus loci est, domui Jeroboam propter idololatriam honestam sepulturam denegavit. 1. Reg. XIV. 11. *Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cæli, quia Dominus locutus est.* XXI. 23. Jesabelem propter persecutiones, cædes & impietatem canibus dilaniandam objecit. 2. Reg. IX. 35. Jer. XXII. 19. Joakimo Josiæ filio propter effusionem sanguinis innocentis & alia flagitia *sepulturam asini* destinavit; nisi ergo hæc judicia Dei justissima velimus taxare, non possumus manifeste impios in impœnitentia mortuos honorifica sepultura adficere.

§. XCII. II) A *piorum exemplo*. Vere pius a Spiritu sancto sic describitur, quod *non stet in via peccatorum, nec sedeat in cathedra irrisorum*; Psal. I. 1. quod *contemtus sit in oculis*

lis ejus reprobur; XV. 4. quod *non sedeat cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introëat*; XXVI. 4. quod *odio prosequatur ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedeat*; v. 5. quod *facientes prævaricationes oderit, nec adhæreat manifeste impiis*; CI. 4. quod *eos, qui Dominum oderunt, perfecto odio aversetur*; CXXXIX. 22. at quomodo convenit, ut in morte illos honorent, quos in vivis odio fuere prosecuti? qua fronte illis adhærebunt, quos Deus propter finalem impœnitentiam a facie sua projecit? III) A *comparato*. Quemadmodum iniquum ac præposterum foret, si in republica terrena scelerati ac virtutis studiosi eodem loco haberentur, ac utrisque eadem distribuerentur præmia, iidem honores, & quidem in publico omnium conspectu: ita quoque in ecclesiastica republica præpostérum merito censendum est, uno eodemque christianæ sepulturæ honore vere pios & notorie impios, Christi membra & satanæ organa adficere. IV) A *consequente multiplici intommodo*. Si contemtores verbi ac sacramentorum, pertinaces hæretici, ac manifeste impii in impœnitentia vel desperatione defuncti christiana ac honesta sepultura cohonestantur, 1.) præceptum Dei de cavendo nominis divini abusu, ac piorum ab impiis separatione violatur; 2.) infirmioribus scandalum præbetur contra Christi & Pauli interminationem; Matth. XVIII. 6. Rom. XIV. 21. 1. Thess. V. 22. 3.) impietas & securitas in animis hominum confirmatur, existimant enim perinde esse, sive quis veræ pietati in vita studeat, sive in impietate ac sceleribus secure pergat; 4.) ministerium verbi, disciplina ecclesiastica, ac ipsum sanctissimum Dei nomen ab hostibus blasphematur, Rom. XIV. 16. quando scilicet vident impium eodem loco haberi cum pio; 5.) illi, qui per excommunicationem ab ecclesiæ corpore penitus abscindi, *ac satanæ in interitum carnis tradi promeruerant* 1. Cor. V. 5. qui in vita ac morte sunt coram Deo abominatio, Psal. V. 5. Prov. XV. 9. pari cum piis honore adficiuntur. V) A *veteris ecclesiæ praxi*. Beda lib. V. histor. cap. 15. de quodam fabro in desperatione mortuo, refert, *quod monachi eum in ultimis monasterii sui, in quo obierat, locis humarint, nec psalmos pro eo cantare voluerint*. Innocentius cap. *Sacris* ext. de sepulturis: *Sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, & ut careant ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis ecclesiæ reconciliati fuerint*. Quæ in contrarium adferuntur, ex dictis facile explicari possunt. Confer b. Lutherum in exhortatione ad preces contra Turcam tom. VII. Jen. Germ. fol. 448. & in præfat. postill. part. æstiv. Æpinum in tractatu de sepultura impiorum, qui exstat dec. VIII. consil. Bidenbachium consil. VI. p. 64. Mehlfurerum in vindic. evang. decad. VI. disp. I. thes. 76. & seqq. Conradum Portam in pastor. cap. XIX. q. 3. p. 357.

§. XCIII. V) *An pie defuncti sint lugendi?* Videtur id pugnare 1.) cum *Christi prohibitione*, qui Luc. VII. 13. ad viduam filii obitum lugentem dicit: *Noli flere*. 2.) Cum *christiana moderatione*. Illa enim voluntati divinæ reverenter se submittit, ac cum Jobo dicit: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*. I. 21. 3.) Cum *certa fiducia de beata pie defunctorum conditione*. Quod si enim certo credimus, pios per mortem ad veram in cœlis vitam esse ingressos, eccur ipsorum nomine luctui indulgere velimus? 4.) Cum *sanctorum exemplo*: 2. Sam. XII. 22. inquit David ad suos purpuratos: *Dum adhuc viveret infans, jejunavi & flevi, dicebam enim: Quis scit, miserebitur mei Dominus, & vivat infans*. v. 23. *Nunc autem quia mortuus est, quare jejuno? numquid potero revocare eum amplius? ego vadam ad eum, ille vero non revertetur ad me*. Addi potest 5.) argumentum a *majori*. Ne in nostra quidem morte tristari debemus, vere enim *pii est patienter vivere & delectabiliter mori*; quanto igitur minus in morte nostrorum contristari ac lugere convenit? 6.) A *simili*.

Quæritur: 5.) *An pie defuncti sint lugendi?*

Mortuorum sepultura confertur cum granorum semente; 1. Cor. XV. 36. jam vero agricola non plorat, quando seminat, alias de messe videretur desperare. Morientes abeunt in cœlestem patriam, jam vero amicos in patriam proficiscentes cum desiderio sequendi deducimus. Huc referenda sunt dicta veterum: Tertullianus lib. de patientia cap. VII. fol. 7. „Credentes resurrectionem Christi nostram „quoque credimus, propter quos ille & obiit „& resurrexit. Ergo cum constet de resurre„ctione mortuorum, vacat dolor mortis, va„cat & impatientia doloris. Cur ergo doleas, „si periisse non credis? cur impatienter feras „subductum interim, quem credas reversu„rum? Profectio est, quam mortem putas. „Non est lugendus, qui antecedit, sed plane „desiderandus. Id quoque desiderium patien„tia temperandum. Cur enim immoderate „feras abiisse, quem mox subsequeris? Cæte„rum impatientia in hujusmodi & spei nostræ „male ominatur, & fidem prævaricatur. Chri„stum lædimus, cum evocatos quoque ab illo „quasi miserandos non æquanimiter accipimus. „Cupio, inquit apostolus, recipi jam & esse „cum Domino. Quanto melius ostendit vo„tum christianorum. Ergo votum si alios con„secutos impatienter dolemus, ipsi consequi „nolumus.„ Cyprianus serm. IV. de mortal. p. 213. „Nobis minimis & externis quoties „revelatum est, quam frequenter atque ma„nifeste de Dei dignatione præceptum est, ut „contestarer assidue, & publice prædicarem, „fratres nostros non esse lugendos accersione „dominica de seculo liberatos, cum sciam non „eos amitti, sed præmitti, recedentes præce„dere, ut proficiscentes & navigantes, desi„derari eos debere, non plangi, nec accipien„das esse hic atras vestes, quando illi ibi in„dumenta alba jam sumserint, occasionem „dandam non esse gentilibus, ut nos merito „ac jure reprehendant, quod, quos vivere apud „Deum dicimus, ut exstinctos & perditos lu„geamus, & fidem, quam sermone & voce „depromimus, cordis & pectoris testimonio „reprobemus. Spei nostræ ac fidei prævari„catores sumus, simulata, ficta, fucata viden„tur esse, quæ dicimus &c. Qui spe vivimus, „& in Deum credimus, & Christum passum „esse pro nobis & resurrexisse confidimus, in „Christo manentes, & per ipsum atque in ipso „resurgentes, quid aut ipsi recedere illhinc de „seculo nolumus, aut nostros recedentes quasi „perditos plangimus ac dolemus, ipso Christo „Domino ac Deo nostro monente & dicente: „Ego sum resurrectio &c.„ Pag. 215. "Hoc „nos ostendamus esse, quod credimus, ut ne„que carorum lugeamus excessum, & cum ac„cersitionis propriæ dies venerit, incunctan„ter & libenter ad Dominum ipso vocante ve„niamus.„ Chrysostomus homil. LXI. in Joh. circa finem: "Cum aliis malis etiam hic „muliebris morbus (plangentium defunctos) „jam prævaluit, ostentant planctus & dolores „suos, cruentant brachia, scindunt capillos, „laniant genas, partim ob dolorem, partim „ad ostentationem &c. Quænam hæc insania? „nonne ridebunt gentiles? nonne fabulam no„stram putabunt religionem? dicent enim nul„lam esse resurrectionem, illusiones omnia „christianorum dogmata & fallacias putabunt. „Haud enim aliter, quam si nihil post mor„tem remaneat, mulieres lamentantur, non „attendunt scripturis, omnia illa esse figmenta „ipsæ credere videntur; siquidem si crederent „mortuum non esse mortuum, sed ad melio„rem vitam translatum, non utique ipsum tan„quam nihil esse deplorarent, non adeo in„dignarentur, non tantas efferrent voces, in„credulitatis indices: Nunquam te amplius vi„debo! Omnia apud illos fabulæ, nam si „principali bono ita diffidunt, multo magis „aliis, quæ adferunt.„ Et postea: "Si pec„cator & qui sæpenumero Deum offenderit, „moritur, is defendus, vel potius minime, „cum illi nihil adferat utilitatis, in hoc lætan„dum, quod malitia ejus abscissa est. Quod „si justus, rursus lætandum, quod in tuto col„locatur, quod liberatus est futura formidine. „Si juvenis, quod ex medio malorum ereptus „est. Si senex, quod eo diutius usus, quod „maxime desiderabile videbatur, vitæ satieta-

„te

„te migravit &c. 'Honor mortuo non fletus „est, non ejulatus, sed hymni & psalmi & vita „optima.„ Et postea: "Si intelligeremus, „Deum illum abstulisse, quem mortalem vi„rum ac filium habebamus, mox consolaremur. „Indignari enim majus quiddam supra natu„ram quærentis est. Homo natus & mortalis „quid doles, quod secundum naturam conti„git? numquid doles, quod edendo nutriris? „num quæris sine cibo vivere? ita & in mor„te numquid quæris immortalitatem? mor„talis natus es, semel hoc definitum. Noli „dolere, noli te adfligere, sed ama, quæ com„muniter omnibus statuta sunt. Doleant tibi „peccata tua, hic optimus fletus, hæc maxima „sapientia.„ Idem homil. IV. in epist. ad Hebr. in morali: "Cum video luctus in pla„teis & lamentationes super eos, qui ex hac „vita migrarunt, & ululationes & ineptias alias, „credite mihi, erubesco, & paganos & Ju„dæos & hæreticos ista videntes, & omnes, „qui nos irrident, quia non, quæ a me di„cuntur, attendunt Græci, sed illa, quæ fiunt „a vobis &c. Cogita quid psallas in illo tem„pore. Revertere, inquis, anima mea in re„quiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. „Et iterum: Non timebo mala, quia tu me„cum es. Dicis, Dominum benefeciſſe tibi, „& lacrimaris? Nonne scena sunt ista? non„ne hypocrisis? Si autem ludis & fingis & „fabulas esse putas, quare psallis, quare susci„pis ad te venientes? quare non repellis psal„lentes?„ Hieronymus ad Paulam epist. XXV. „Lugeatur mortuus, sed ille, quem gehenna „suscipit, quem tartarus devorat, in cujus pœ„nam æternus ignis æstuat. Nos, quorum „exitum angelorum turba comitatur, quibus „obviam Christus occurrit, gravamur magis, „si diutius in tabernaculo isto mortis habite„mus.„ Isidorus lib. III. de summ. bon. "Illi „deplorandi sunt in morte, quos miseros in„fernus ex hac vita recipit, non quos cœlestis „aula lætificandos includit. Etsi pietas pro de„functis fidelibus flere jubeat, fides tamen pro „eis lugere vetat.„ Anastasius epist. II. ad Nerianum, & citatur cap. *Habent* 13. q. 2. "Ha„bent forsan illi justam longi doloris excusa„tionem, qui vitam alteram nesciunt, qui „de hoc sæculo ad melius esse transitum non „confidunt; nos autem, qui hoc credimus & „docemus, tristari nimium de obeuntibus non „debemus, ne quod apud alios pietatis tenet „speciem, hoc magis nobis in culpa sit.„ Cap. *Ubicunque cauſ. & quæſt. iisdem* ex Chrysostomo in epist. ad Hebr. "Lugere & deplo„rare & lamentari eos, qui ab hac vita dece„dunt, ex pusillanimitate contingit, hoc autem „ex desperatione futuræ resurrectionis intelli„gitur.„ Ex quibus omnibus quidam nostra tempestate dogmatizarunt, *non esse licitum fletu mortuos prosequi*, teste Salmerone disp. IV. in 1. Thess. IV.

§. XCIV. Sed hæc omnia accipienda sunt de *luctu immoderato*, qui vel ex impatientia vel diffidentia oritur, ac debitum excedit modum, cui opponenda est lex divina: Lev. XIX. 28. *Super mortuo non incidetis carnes vestras, neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis, ego Dominus.* Deut. XIV. 1. *Non incidetis vos, nec facietis calvitiem inter oculos vestros super mortuo*; hoc est, non imitemini mores idololatricarum & superstitiosarum gentium in funeribus cognatorum corpus suum incidentium ac vulnerantium. v. 2. *Quoniam populus sanctus es Domino tuo, & te elegit ut sis ei in populum peculiarem*; ac regula apostolica 1. Thess. IV. 13. *De dormientibus non contristemini, sicut cæteri, qui spem non habent*, hoc est, sicut gentiles promissione ac spe beatæ ad vitam resurrectionis destituti. Moderatus interim luctus christianis vitio verti nequit, congruit enim 1.) *præcepto Siracidis* XXXVIII. 16. *Fili, super mortuum produc lacrimas, & quasi dira passus es, incipe luctus, secundum autem judicium illius, contege corpus illius &c.* v. 17. *Acerbum fac fletum, & accende planctum, & fac luctum secundum dignitatem ejus.* v. 18. *Diem unum & duo gratia detractionis & consolare te tristitiæ causa &c.* cap. XXII. 10. *Super mortuum plora, defecit enim lux.* v. 11. *Dulcius plora super*

mortuum, quia requievit. v. 13. *Luctus mortui septem dies.* 2) *Oraculo Salomonis* Eccles. III. 1. *tempus flendi & tempus plangendi.* 3) *Sanctorum exemplis. Abraham* luget conjugem Saram defunctam, Gen. XXIII. 2. *Jacobus* filium suum Josephum, quem putabat mortuum, Gen. XXXVII. 34. *Israëlitæ Mosen*, Deut. XXXIV. 8. &c. Stephanum sepelierunt *viri religiosi*, & fecerunt planctum magnum super eum, Actor. VIII. 2. 4.) *Naturalibus storgis*, quas Spiritus sanctus per se non damnat, nec humanitatem ex homine exuit. 5.) *Regulæ caritatis.* Rom. XII. 15. *Flete cum flentibus.* 6) *Ipsius Christi facto.* Is enim Lazari sepulcrum intuitus *lacrimatur*, Joh. XI. 35. ex quo Judæi colligunt, *ecce quomodo amabat eum.* Frivolum, imo absurdum est, quod in concilio Toletano III. can. XXII. dicitur, *quod Dominus non fleverit Lazarum mortuum, sed ad hujus vitæ ærumnas ploraverit resuscitandum.* Eccur enim divina sua omnipotentia illum resuscitasset, si resuscitationis opus lacrimis potius, quam congratulatione prosequendum esse censuisset? Nequaquam igitur moderatus ac decens luctus a Deo in scripturis improbatur, sed stoica potius ἀπάθεια & ἀναισθησία damnatur, ac projectæ securitatis argumentum statuitur, *si quando justus perit, & nemo considerat*, Esa. LVII. 1. contra vero *melius* pronunciatur, *ire in domum luctus, quam ire ad domum convivii*, Eccles. VII. 3. quo referenda sunt dicta piorum veterum. Chrysostomus homil. LXI. in Johan. circa finem: *Minime lugere, sed ἀμέτρως sine debita moderatione lugere veto; non sum immanis atque crudelis. Video naturam dolere & quotidianam requirere consuetudinem. Non licet nullo adfectu moveri, quod & Christus ostendit, lacrimatus est super Lazaro, ejus sequere exemplum. Lacrimare, sed leniter & prudenter & cum Dei timore. Si hac ratione lacrimas fundes, non resurrectionis diffidentiæ argueris, sed ægre ferre carissimi sejunctionem videberis. Nam & peregre proficiscentes lacrimis prosequimur, non tamen ut mortuos, ita & tu lugeas, tanquam præmiseris peregrinum.* Cyrillus lib. VII. in Johannem cap. XX. *Erudiit nos Dominus suis lacrimis, quonam modo caros nostros vita functos moderatis & lege rationis temperatis lacrimis flere debeamus. Nam ex toto nec compati nec mærere, ferinum est & durum, horum vero exuberantia, muliebre.* Ambrosius acerbo luctu prosequebatur sanctos de medio sublatos, non quod de eorum felicitate dubitaret, sed considerans, *quam esset difficile invenire eos, qui in defunctorum locum succederent.* Augustinus lib. XIX. de civ. Dei cap. 8. *Quorum nos vita propter amicitiæ solatia delectabat, unde fieri potest, ut eorum mors nullam nobis ingerat mœstitudinem? quam qui prohibet, prohibeat, si potest, amica colloquia, interdicat amicabilem societatem, vel intercidat adfectum omnium humanarum necessitudinum, vincula mentis immiti stupore disrumpat, aut sic eis utendum esse censeat, ut nulla ex eis animum dulcedo perfundat. Quod si fieri nullo modo potest, etiam hoc quo pacto futurum est, ut ejus nobis amara mors non sit, cujus dulcis vita fuit? hic est enim & luctus quidam in humano corde quasi vulnus, aut ulcus, cui sanando adhibentur officiosæ consolationes.* Bernhardus serm. XXVI. in Cant. *Non culpamus adfectum, nisi cum excedit modum.* Paulinus in panegyrico ad Pneumatium suavissimis versiculis exprimit alternationem piorum adfectuum in corde pie lugentium:

Gratuler an doleam? dignus utroque puer,
Cujus amor lacrimas & amor mihi gaudia suadet,
Sed gaudere fides, flere jubet pietas.
Tam modicum patribus, tam dulci e pignore fructum
Desleo in exiguo temporis esse datum.
Rursus ut æternæ bona volvo perennia vitæ,
Quæ Deus in cælo præparat innocuis,
Lætor obisse, brevi functum mortalia sæclo,
Vt cito divinas perfrueretur opes.
Ne terrena diu contagia, mixtus iniquis
Duceret in fragili corporis hospitio.

Sed

Sed nullo istius temeratus crimine mundi,
Dignius æternum tenderet ad Dominum.

Eamdem luctus moderationem præscribunt hi senarii:

Flendi sunt mortui, sed temperantius,
Nam mortui non sunt, eamdem sed viam,
Quam cogit omnes ingredi necessitas,
Præmuniere nobis, nos inposterum
Idem sequemur ipsos in consortium,
Communis & vita fruemur patriæ.

Lugendum igitur in obitu amicorum, sed cum decoro modestiæ, ne indignari videamur Domino, qui posquam non abstulit, nisi quod dedit, sua recepit, nostra non abstulit; lugendum sed cum certa spe restitutionis ad gaudia vitæ æternæ. Augustinus epist. VI. ad vid. *Veracissima promissione speramus, nos de hac vita unde migraturi quosdam nostros non amisimus, sed præmisimus, ad eam vitam esse venturos, ubi nobis erunt quanto notiores, tanto cariores & sine timore ullius dissensionis amabiles.* Quæ in contrarium adlata sunt, ex his, quæ de moderatione luctus dicta, facile explicari possunt. Christus ad viduam dicens: *noli flere*, non simpliciter luctum & lacrimas prohibet, sed partim moderari vult mœrentis luctum, partim pollicetur mox secuturæ resuscitationis miraculosum beneficium. Præposterum igitur est, quod episcopi in concilio Toletano III. *omnibus christianis prohibuerunt defunctos flere*, part. II. decret. caus. 13. q. 2. c. 28.

Quæritur: 6.) Quid de λειψανολατρείᾳ statuendum?

§. XCV. Quæritur VI) *Quid de σκελετολατρείᾳ ac λειψανολατρείᾳ pontificia, hoc est, de religioso, quas ita vocant, reliquiarum cultu in regno pontificio passim vigente sit statuendum?* Quando contra cultum reliquiarum, hoc est, contra honorem, qui corporibus, ossibus & reliquiis sanctorum demortuorum in papatu defertur, disputamus, nequaquam docemus, corpora vel ossa sanctorum esse contemtim habenda, irreverenter trahanda, in sterquilinium projicienda; neque adprobamus Calvinistarum quorumdam intemperiem, qua in Galliis ossa sanctorum, *Irenæi, Hilarii & Martini* effossa cremarunt, & pulverem in profluentem projecerunt, si vera sunt, quæ Surius in hist. anno 1562. & ex eo Bellarminus lib. II. de reliq. sanct. cap. 1. referunt. Sed negamus, corpora vel ossa sanctorum more papistico esse religioso illo cultu, qui in papatu viget, veneranda. Consistit autem ille cultus in his potissimum capitibus, 1.) quod ossa illa populo religiose veneranda monstrant: 2.) quod eadem osculanda spectantibus offerunt: 3.) quod coram illis genua flectenda & procidendum esse docent: 4.) quod peregrinationes ad eorum loca instituunt: 5.) quod preces citius ibi exaudiri arbitrantur: 6.) quod cultum illum ad gratiam & peccatorum indulgentiam apud Deum impetrandam aliquid facere sibi persuadent: 6.) quod candelis accensis, serico, corollis aliisque ornamentis cultus gratia reliquias decorant: 8.) quod ad majorem juramentorum religionem eas adhibent: 9.) quod pontifex per suam canonisationem sanctos invocandos & reliquias eorum religiose venerandas decernere possit ac debeat: ext. de reliq. & venerat. Sanct. 10.) quod portari eas posse dicant in collo, ex devotione & fiducia ad Deum & ad sanctos, quorum sunt reliquiæ, ut Thomas loquitur: 11.) quod reliquias imponant languentibus & defunctis opis impetrandæ causa: 12.) quod ad sacramenti eucharistiæ dignitatem ac sanctitatem aliquid conferre arbitrantur, si in altari reliquiæ sanctorum habeantur. Taxamus & hoc 13.) quod reliquiis dubiis ac incertis religiosum ejusmodi cultum deferunt. Hæc enim omnia in papatu fieri, viva praxis ostendit. In chronico Cassinensi translatio reliquiarum s. Mauri hoc processu facta describitur: *Cum Hugo Cluniacensis ob preces Theobaldi abbatis os integrum brachii s. Mauri capsulæ argenteæ, instar turrium artificiose erectæ, decenter inclusum per sex tui monasterii fratres mitteret Cassinum, ex tota provincia populi concursus factus est quam maximus*

ximus devotione præcipua, totus etiam monasterii conventus inæstimabili jucunditate lætatus est, omnesque solennibus induti sacrisque vestibus cum cereis ac thymiamatibus plurimis ad portam veterem aliquanto extra monasterii ambitum procedentes obviam cum devotione summa hospiti tanto iverunt, & quasi viventem in carne conspicerent, omnes in terram pariter procidentes adoraverunt, surgentesque secundum illum locum devotissime ac reverenter mixtis gaudio lacrimis osculati sunt, & cum hymnis ac laudibus honorifice nimis prosequentes in monasterium introduxerunt, & super magistri sui Benedicti venerabile altare posuerunt. Similem pompam in translatione crinium S. Petri apostoli describit chronicon Hirsaugiense. Concilium Trident. in decret. de reliquiis statuit, *corpora sanctorum a fidelibus esse veneranda, cum per ea multa beneficia a Deo hominibus præstentur.* Et addit, *damnandos esse, qui adfirmant, sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa sanctorum memorias frustra frequentari.* Philippus Melanchthon in responso adversus Colonienses de sacrificulo quodam memorat, quod *in viciniam Tubingæ divorum reliquias secum deferens, hoc prætonio eas populo commendaverit, ut nihil a pestilentia periculi fore toto anno his, qui eas osculati fuissent, diceret.* Historiam integram recitabimus inferius. Costerus in enchirid. cap. XV. *Ossa sanctorum habent vim contactu suo sanctificandi, ac qui martyris ossa attigerit, illius justitiæ sanctitatisque quodammodo particeps ob gratiam ex eorum corporibus procedentem efficitur.* Idem part. I. conc. XXIII. post pentec. *Omnes sanctos, honores eorum reliquias, nec dubites de auxilio eorum, & de defensione tui adversus dæmonem, qui timet illorum magnam virtutem &c.* Bellarminus in lib. II. de imagin. cap. 30. *Sanctificari aliquo modo eos, qui tangunt reliquias sanctorum, constanter docent patres.* Lib. II. de beat. sanct. cap. 2. *Nos reliquias honoramus & osculamur, ut sacra pignora patronorum nostrorum.* Gregorius de Valentia in apol. contra Heerbrandum fol. 57. *reliquias custodiri, ut coram ipsis patrocinium sanctorum singulari devotione imploretur.* Timpius in rituali Germ. cap. XII. p. 200. *Honor cruci Christi, clavis, lanceæ oblatus, in ipsum Christum refertur, cujus sanguine ista consperſa sunt.* Stapletonus in promt. cathol. part. I. p. 292. *Pia ac Deo grata est illa devotio, qua non tantum Deum ipsum, sed & sanctos ejus, nec tantum personas ipsas sanctas, sed & quidquid ipsorum est, atque ad eos pertinet, cum fide & pietate ordinata complectimur, veneramur, atque ad beneficia consequenda adsumimus.* Ibidem: *Eodem sane cultu, eadem veneratione reliquias relative consideratas prosequimur, qua ipsos sanctos, idem beneficium, eamdem virtutem mediantibus reliquiis adsequimur, quam per ipsos sanctos.*

§. XCVI. Contra pontificiam illam sceletolatriam ac lipsanolatriam producimus hæc argumenta, I) a *defectu mandati.* Quicunque cultus destituitur divino mandato, non est verus & Deo gratus cultus, sed est ἐθελοθρησκεία, cultus falsus & Deo adversus, adeoque idololatria. Cultus reliquiarum, qui in papatu viget, destituitur divino mandato. Ergo. *Major* confirmatur tum ex omnibus illis scripturæ dictis, quæ ut *fidei*, ita quoque *divini cultus* normam ac formam ex sacris literis unice petendam esse docent, Deut. IV. 2. XII. 32. Esa. VIII. 19. Ezech. XX. 19. Rom XII 2. conjuncto cum c. XIII. 9. 2. Tim. III. 17. &c. quæque *electitios cultus repudiant*; Deut. XII. 8. & 32. Num. XV. 39. & 40. Psal. CVI. 36. Esa. I. 12. XXIX. 13. Jer. VII. 31. Amos V. 25. Zach. VII. 5. & 9. Matth. XV. 9. Col. II. 20. tum ex *variis exemplis* eorum, qui ob suas ἐθελοθρησκείας divinitus reprehensi ac puniti fuerunt. Confer tractatum de bonis operibus. §. 16. *Minor* est manifestæ veritatis. Nuspiam enim scriptura docet, ossa sanctorum esse religiose veneranda, coram illis procidendum, peregrinationes ad

Improbatur a) a defectu divini mandati.

ea

ea suscipiendas & quidem eo fine, ut cultum Deo præstemus, ut peccatorum remissionem & Dei gratiam hac ratione promereamur; contra vero docet, in solum Deum omnem cordis fiduciam esse collocandam, juxta normam in verbo præscriptam Deum esse colendum, ac media, per quæ Dei gratia & peccatorum remissio pretioso Christi sanguine parta nobis offertur, donatur & adplicatur, non esse sanctorum reliquias, & reliquiarum illarum religiosum contactum ac cultum, sed ex parte Dei verbum & sacramenta, ex parte nostra veram in Christum fidem. Item invocationem in nov. test. non esse ad certum locum adligatam, sed, si ex vera pœnitentia & fide proficiscatur, quovis in loco Deo æque gratam & acceptam esse, Joh. IV. 21. 1. Tim. II. 8. &c.

§. XCVII. Excipit Bellarminus lib. II. de reliq. sanct. cap. 2. 1) *in papatu reliquias non adorari, nec divino honore adfici. Quis catholicorum*, inquit, *unquam reliquias invocavit, quis unquam auditus est in precibus aut litaniis dixisse: Sanctæ reliquiæ orate pro me? & quis easdem tanquam divino honore adfecit, vel Christi loco adoravit? Nos enim reliquias quidem honoramus & osculamur, ut sacra pignora nostrorum patronorum, sed nec adoramus ut Deum, nec invocamus ut sanctos, sed minore cultu veneramur, quam sanctorum spiritus, nedum quam Deum ipsum.* Et cap. 4. §. *dices: Nunquam est auditum apud christianos, ut aliqui sanctorum reliquiis divinos honores detulerint.* Eodem modo Gregorius de Valentia in apolog. contra Heerbrandum cap. 8. perpetuum hunc suum coccysmum repetit, *reliquiis non deferri honores divinos ut Deo, proinde in illarum cultu non committi idololatriam. Resp.* Quis sit minor ille cultus, Bellarminus non explicat, nos igitur sic progredimur: 1.) Aut cultus ille, qui defertur reliquiis, est *religiosus* ad primam decalogi tabulam reducendus, aut *civilis* ad secundam decalogi tabulam pertinens. Posterius negant pontificii, manet igitur prius. Atqui si ex hypothesi pontificiorum hic cultus reliquiarum est religiosus ad primam decalogi tabulam reducendus, utique per hunc ipsum cultum divinus honor reliquiis defertur. 2.) Quamvis externo verborum sono pontificii sic non orent: *Sanctæ reliquiæ orate pro me*; tamen fiduciam impetrandæ gratiæ ac remissionis peccatorum in hunc reliquiarum cultum collocant, sicque partem fiduciæ soli Deo debitæ ad eum transferunt, quo ipso divinum honorem reliquiis deferunt, & interiore cordis voto ac desiderio eas adorant. Bellarminus ipse cap. 4. §. *quod autem &c.* Augustini sententiæ *de adoratoribus sepulcrorum* opponit Chrysostomi dictum serm. in sanctos Juventium & Maximum: *Tumulos martyrum adoremus*; ac Hieronymi ad Marcellam: *Sepulcra & cineres Johannis baptistæ, Elisæi & Abdiæ merito adorari a fidelibus in Palæstina.* Vtique ergo adorationem reliquiarum adprobat. 3.) Omnis ἐθελοθρησκεία est idololatria, ut ostendimus in tractatu de lege §. 87. jam vero cultus reliquiarum est ἐθελοθρησκεία, quod tamdiu immotum stabit, donec ex scripturis pro hoc cultu stabiliendo manifesta dicta proferantur. Ergo. 4.) Quando Israëlitæ osculabantur Baal, divino honore eum adfecisse, eumque *adorasse* dicuntur, 1. Reg. XIX. 18. quamvis externo verborum sono non dicerent: *Baal ora pro nobis;* ac propter illud religiosum osculum idololatriæ rei peraguntur, quantumvis per cultum Baalis verum Deum colere voluerint, Oseæ II. 16. 5.) Qui reliquias honorant & osculantur, ut *sacra pignora patronorum suorum*, illi divino honore reliquias adficiunt. Pontificii illud faciunt fatente Bellarmino. Ergo. Ratio *connexionis* hæc est: qui sanctos defunctos constituunt suos apud Deum patronos, divino honore eosdem adficiunt, ut in quæstione de invocatione sanctorum demonstrabitur. Pontificii sanctos defunctos suos apud Deum patronos constituunt. Ergo divino honore eosdem adficiunt. Vlterius: qui reliquias honorant ut *sacra pignora suorum patronorum*, hoc est, eorum, quibus cultum divinum ac soli Deo debitum deferunt, illi etiam

etiam reliquiis divinum honorem deferunt; oportet enim esse analogiam inter cultum reliquiarum & cultum eorum, quorum sunt reliquiæ, unde in historia translationis reliquiarum Mauri refertur, quod monachi Cassinenses *coram illis, tanquam viventem in carne conspicerent, omnes in terram pariter procidentes adoraverint.* 6.) Quo honore imagines sanctorum in papatu adficiuntur, eodem etiam reliquiæ sanctorum honorantur. Sed honor, qui imaginibus sanctorum defertur, est divinus, ut in tractatu de lege §. 82. demonstratum. Ergo etiam reliquiæ divino honore in papatu adficiuntur. *Major* est manifesta, quia ossa ac reliquiæ sanctorum arctiori propinquitate illis conjunctæ sunt, quam imagines, quæ externa duntaxat lineamenta repræsentant. *In sepulcris sanctorum*, inquit Bellarminus lib. II. de reliq. sanct. cap. 4. §. *Ad secundum &c. invenitur altera pars substantiæ eorum*, hoc est, *materia illa ipsa, quam spiritus sanctorum animarunt & rursum animabunt.* Inde Suarez tom. I. disput. LV. q. 25. art. 6. §. 1. *eamdem doctrinam, quæ de adoratione imaginum data est, servata proportione ad reliquias adcommodandam esse*, concludit. 7) Denique reliquiis corporis Christi honorem divinum esse deferendum, pontificii forte non negant, quamvis ὑπερδελείας nomine quam λατρείας eumdem exprimere malint. Jam vero in papatu quædam venditantur pro reliquiis corporis Christi, videlicet dentes & capilli Charrovii, præputium Charrovii, Romæ, Antuerpiæ & Vesontione, sanguis Romæ, Augiæ, Cassini & aliis in locis compluribus &c. Ergo quibusdam ad minimum reliquiis honorem divinum deferunt. 8) Ne vero Bellarminus molestius nobis esse pergat quærendo: *Quis unquam sic oraverit: Sanctæ reliquiæ orate pro me?* opponimus illi praxin in Romanensi ecclesia receptam. Durandus recitat orationem ante *Veronicam*, hoc est, ante sudarium seu linteum, in quo facies Christi expressa ac Veronicæ data, recitandam, quæ sic habet:

Salve sancta facies nostri Redemtoris,
In qua nitet species divini splendoris
Impressa panniculo nivei candoris,
Dataque Veronicæ signum ob amoris.
Salve decus seculi, speculum sanctorum,
Quod videre cupiunt spiritus cælorum,
Nos ab omni macula purga vitiorum,
Atque nos consortio junge beatorum.
Salve vultus Domini, imago beata,
Et æterno munere mire decorata.
Lumen funde cordibus ex vi tibi data,
Et a nostris sensibus tolle colligata.
Salve robur fidei nostræ christianæ,
Destruens hæreticos, qui sunt mentis vanæ,
Horum auge meritum, qui te credunt sane
Illius effigie, qui rex sit ex pane.
Salve nostrum gaudium in hac vita dura,
Labili & fragili cito peritura:
Nos dedut ad propria, o felix figura,
Ad videndam faciem, quæ est Christi pura.

Hanc orationem devote recitantibus inspiciendo Veronicæ faciem, in antidotario animæ a papa Johanne XXII. concessæ dicuntur *decem millium dierum indulgentiæ.* In processionali Cadurcorum, qui sunt Galliæ Aquitanicæ populi, sudarium Christi invocatum fuit his verbis: *Sancte sudari ora pro nobis! Sudarium Christi liberet nos a peste & morte tristi!* Apud eosdem Cadurcos in abbatia Fontis invocata fuit mappa, super quam Christus cœnam celebrasse dicitur, & a monachis cantatum: *Sanctissima Dei mappa ora pro nobis.* Refert Polanus in syntag. lib. IX. cap. 30.

§. XCVIII. II) Cap. 4. ejusdem libri ad locum Col. II. quem contra ἐθελοθρησκείας urgemus, excipit, ἐθελοθρησκείαν *non significare cultum, quomodocunque voluntarium, id est, non præceptum a Deo, sed ab homine excogitatum; sed cultum superstitiosum, ut interpres latinus vertit, sive falsam religionem, ut exponit Hieronymus ad Algas. q. 10. at cultus reliquiarum nec superstitiosus est nec falsus, sed a Deo inspiratus. Resp.* 1.) Θρησκεία est religio ac cultus, ergo ἐθελοθρησκεία v. 23. *est cultus electitius*, proprio voluntatis arbitrio susceptus. 2.) Colligitur hæc interpretatio

ex

ex v. 18. præcedente: θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, quod Augustinus in epist. ad Paulinum sic exponit, *adfectator humilitatis*, sicut ἐθελόθρησκος. 3.) Consentit etiam scopus. Taxat enim apostolus eos, qui non secundum verbi præscriptum, sed proprio arbitrio ex superstitione cultus divinos sibi eligebant, ac præ se ferebant magnam humiliratem, simulantes mundi ac voluptatum contemtum, ac angelicam vitam imitari volentes. 4.) Cultum reliquiarum esse superstitiosum & falsum, evidenter probatur ex eo, quod nullum de eo exstet divinum mandatum, cum verbum Dei sit unica divini cultus regula. 5.) Quid roboris insit scripturæ dictis, ex quibus Bellarminus demonstrare conatur, *cultum reliquiarum esse a Deo inspiratum*, adparebit suo loco. 6.) Ne ipsi quidem saniores pontificii negant in cultu reliquiarum multas superstitiones vigere, ut postea videbimus.

b) *Ex contrario mandato.*

§. XCIX. *Alterum* argumentum petimus ex *contrario mandato*: Gen. III. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*; ex quo oraculo sancti patriarchæ recte collegerunt, corpora & ossa sanctorum non esse in locum altaris sublimiorem collocanda, coram illis procidendum, religiose ea veneranda, sed terræ, communi *omnium matri*, Sir. XL. 1. demandanda. Esa. XXVI. 20. *Vade, populus meus, intra in cubicula tua.* LVII. 2. *Requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua.* Vnde etiam posteri majorum suorum corpora honorifice sepeliverunt, nequaquam vero religiosi cultus gratia adservarunt, proposuerunt, aut coram illis procederunt. III) Ex *defectu divini promissi.* Nulla exstat in scripturis Dei promissio, quod velit Deus cultum reliquiarum habere ratum & gratum, quod velit apud ejusmodi reliquias ad conferendam gratiam & dona spiritualia esse liberalior. Ejusmodi igitur cultus ex fide promissiones divinas respiciente & amplectente proficisci nequit; jam vero *quidquid non fit ex fide, peccatum est*, Rom. XIV. 23. ac cordibus ejusmodi ἐθελοθρησκεύντων perpetuo insonat illud propheticum: Esa. I. 12. *Quis hæc requisivit a manibus vestris?* IV) Ex *defectu probati exempli.* Nullum exstat in vet. vel nov. test. probatum exemplum, quod sancti Dei homines prædecessorum suorum corpora vel ossa religioso cultu fuerint prosecuti. V) Ex *contrariis exemplis. Sara* uxor Abrahæ patriarchæ refertur inter sanctas mulieres, 1. Pet. III. 6. ac spiritualis *mater* fœminarum credentium statuitur; num igitur ejus defunctæ corpus & ossa religiosa veneratione fuerunt honorata? Minime vero, sed terræ per sepulturam illata, Gen. XXIII. 19. *Abrahamum*, patrem omnium credentium, Rom. IV. 17. sepelierunt filii ejus Isaac & Ismaël, Gen. XXV. 9. neque ullus ad sepulcrum ipsius vel aliorum patriarcharum religionis gratia institutus legitur excursus. *Isaacum* mortuum Esau & Jacob, filii ejus, sepeliisse leguntur Gen. XXXV. 29. sed ossa Isaaci religioso cultu honorata nuspiam legimus. *Jacobus* patriarcha perquam honorifice a Josepho & fratribus ejus sepelitur, Gen. L. 5. sed ossa ejus iterum fuisse eruta, & ad cultum in loco sublimi proposita, nuspiam legitur. Idem de *Josua*, *Davide* ac aliis esto judicium. 2. Reg. XVII. 21. cum cadaver cujusdam mortui in *Elisæi* sepulcrum projectum ejus ossa contingeret, ad vitam ille homo revocatus fuit; nequaquam vero ibidem additur, quod ossa Elisæi e sepulcro in alium locum religionis & cultus causa fuerint translata, quod inposterum etiam vim sanandi morbos ac revocandi ad vitam defunctos illis tribuerint. De *Johanne baptista* testatur Christus, quod *inter natos mulierum non surrexerit major ipso*, Matth XI. 11. illius corpus *discipuli tulerunt & sepelierunt*, XIV. 12. *Christus* ipse post mortem alium honorem corpori suo exhiberi noluit, quam honorificam funerationem, ut constat ex historia sepulturæ; nisi ergo adferre velimus, sanctos Christo præstantiores esse, vel curatores funeris suo non

c) *Ex defectu divini promissi.*

d) *Ex defectu probati exempli.*

e) *Ex contrariis exemplis.*

esse satis perfunctos officio, alium honorem demortuis sanctis exhibere non poterimus. *Stephani* protomartyris corpus honesta sepultura terræ fuit mandatum, Act. VIII. 2. nuspiam vero legitur, quod vel ad Johannis baptistæ vel Stephani sepulcra religionis ergo concursus factus, ac cum fiducia gratiæ divinæ citius impetrandæ preces ibidem ad Deum fusæ, vel quod illorum ossa a sanctis iterum effossa, circumgestata, ad religiosam venerationem sint proposita. Idem judicium de reliquis sanctis, quorum mors & sepultura in sacris literis describitur. Notabile cumprimis illud, quod 2. Reg. XXIII. 18. de Josia rege pientissimo commemoratur. Cum sepulcra, quæ erant in excelso, Jeroboam destrueret, atque ossa ex illis eruta super altare combureret, intellexit non procul inde abesse sepulcrum viri Dei & prophetæ; quid vero de ossibus illius sancti prophetæ fieri voluit? num ea e terra erui, & in alium digniorem ac sanctiorem locum transferri, vel ad cultum proponi jussit? Minime vero, sed respondit: *Sinite eum quiescere, & nemo loco moveat ossa ejus*; ac textus addit: *intacta manserunt ossa illius cum ossibus prophetæ, qui venerat de Samaria*; quin imo pœnæ loco describitur, & divinæ iræ signum habetur, si ossa ex sepulcris suis ejiciantur, Jer. VIII. 1. Baruch. II. 24.

§. C. VI) Ex *ipsius Dei facto*. Deus ipse sepelivit *Mosen* in valle terræ Moab, (*) sed nemo Israëlitarum invenire potuit ejus sepulcrum, Deut. XXXIV. 6. procul dubio fine eo Deus sepulcrum illud ignorari voluit, ne circa illud, vel circa Mosis reliquias populus Israëliticus φιλειδωλος peculiarem cultum institueret. In epistola Judæ v. 9. commemoratur, quod *Michaël archangelus contenderit cum diabolo super corpore Mosis*. (**) Oecumenius illud sic acci- f) *Ex ipsius Dei facto.*

(*) Fuerunt equidem nonnulli, qui Mosen non vere mortuum, adeoque nec sepultum, sed *translatum* finxerunt. Hancce sententiam ex veteris ecclesiæ doctoribus adoptarunt Ambrosivs, Hilarivs, Gregorivs Nyssenvs, ex Judæorum vero gente Philo atque Flavivs Josephvs, qui *libr. IV. antiquit. judaic. cap. VIII.* sub finem inter alia scribit, *Mosen, cum post mutuos complexus Eleazaro & Jesu ultimum valedixeret, inter loquendum, repentina nube circumdatum, in vallem quandam ablatum, atque inconspicuum factum esse.* Ast repugnat huic sententiæ narratio, quæ exstat *Deuter. XXXIV. 5. 6.* secundum quam differte & *mortuus* & *sepultus* dicitur. A propria autem atque genuina vocum significatione absque urgente necessitate discedendum haud esse, nemo facile negaverit. Ex *historia* tamen *adparitionis in monte*, ubi Moses cum Elia adparuisse dicitur, haud immerito colligunt nonnulli, eumdem in sepulcro haud diu mansisse, sed postea ex mortuis a Deo resuscitatum fuisse. Legenda, quæ hanc in rem differuit Reyssmannvs in dissertatione inaugurali *de Mose resuscitato*, Gœttingæ MDCCXLVII. habita. Add Christoph. Heymanni *Erklærung des neuen Testam. part. I.* ad locum *Matth. XVII. v. 1—9. p. 220.* ejusdemque differt. *syllog.* insertam, *tom. I p. 86. seqq.* Deum *ministerio angelorum* in sepeliendo Mose usum esse, multis non improbabile visum est, cum Deus ministerio angelorum legem dedisse dicatur. Immo sepulturæ interfuisse archangelum Michaëlem, cui custodiam sepulcri tam incomparabilis in Israële prophetæ credere voluerit Deus, Oecvmenivs censet in *epistol. Judæ.* Vid. & Epiphanivs *hæres. IX. & LXIV.*

Cæterum quæstio a nonnullis mota est, quisnam *adeo perspicue Mosaicæ mortis ac sepulturæ historiam delineaverit?* Sunt nonnulli ex interpretibus, qui Esdram, virum insignem, ex genere sacerdotali, qui Olympiade 80. h. e. circa annum mundi 4740. floruit, eandem adjecisse existimant. Vid. Nicol. de Lyra in *adnotat. ad cap. XXXIV. Deuter.* Alii, interque eos ipse Lvthervs in *adnotat.* ad hocce cap. *tom. III.* Jenensi latino, fol. 159. b. Josuam vel Eleazarum hanc narrationem scripto consignasse arbitrantur. Addit tamen b. Lvthervs, *nisi mortem suam velis dicere præcognitam, ab ipsoque* Mose *hoc modo descriptam.* Prætermittimus alias aliorum sententias, recensitas a Jo. Ernest. Gerhardo in dissertat. *de sepultura Mosis, cap. V. §. IV.*

(**) Hunc locum Judæ plurimum exercuisse interpretum industriam, vix quisquam est, qui ignoret. Non fert instituti nostri ratio, ut diversas eorum sententias heic vel percenseamus, vel expendamus. Duas ex iis, quæ præ cæteris se commendant, commemoravit Jo. Christoph. Wolfivs in *curis philolog. & criticis tom. V p. 352. seqq.* Nos eam præferendam censemus, quæ litteræ inhæret, omniumque simplicissima est, ac textum Judæ legenti sua quasi sponte in mentem venit. Certe „de ipso Mo-

„sis

accipit, quod *archangelus præbuerit Deo ministerium in sepeliendo Mose, diabolum vero id admittere noluisse, ac contra Mosen adcusationem adtulisse propter cædem Ægypti, quasi ob eam Moses non sit dignus, ut honorificam consequatur sepulturam*; sed a Chrysostomo homil. V. in Matth. rectius sic accipitur, quod *satan voluerit sepulcrum Mosis manifestari, ut Judæi religiose illius reliquias colerent, sicut fecerant cum serpente æneo, id vero archangelum Michaëlem ex mandato divino prohibuisse ac sepulcrum occultum manere voluisse.* Excipit Bellarminus dicto cap. 4. *occultatum fuisse Mosis sepulcrum, ne a Judæis coleretur pro Deo, idem vero periculum nunc non esse in reliquiis aliorum sanctorum. Nam populus Judæorum eo tempore erat propensissimus ad idolatriam, ita ut etiam vitulos aureos coleret. Sed post captivitatem Babylonicam, quia populus non amplius coluit idola, Deus illustravit sepulcrum Esaiæ, Ezechielis, Jeremiæ, Elisæi, Abdiæ, & aliorum, multis miraculis, & gratum habuit cultum, qui ossibus eorum exhibebatur, ut Epiphanius & Hieronymus tradunt. Resp.* 1.) Bellarminus hoc ipso in loco statuit, valde credibile esse, *quod corpus Mosis licet mortuum conservaverit adhuc splendorem vultus & decorem, quem antea habebat*; ex qua hypotheli sic inferimus: Si Deus occultum esse voluit Mosis corpus, quod miraculosa Dei operatione splendorem & decorem vultus etiam post mortem retinebat, consequens est, religiosum cultum corporibus & ossibus sanctorum delatum non esse Deo gratum & acceptum. Sed prius. Ergo & posterius. *Connexio* probatur, quia si Deus sine eo in corpore Mosis decorem & splendorem vultus miraculose conservasset, ut propterea religioso honore adficeretur, utique sepulcrum Mosis manifestasset, cujus contrarium diserte scriptura adserit. 2.) Nullum erat periculum, ne corpus Mosis pro Deo Israëlitæ colerent, neque enim cassum anima cadaver pro vero & vivo Deo cœli ac terræ creatore ipsos adorare voluisse, ullo modo verisimile est, cum crassa illa, stupida ac rustica idololatria ne quidem in gentiles cadat. 3.) Illud vero metuendum erat, ne religioso sepulcri Mosaici vel reliquiarum Mosaicarum cultu verum Deum se colere posse ac debere cogitarent, cum Deus per hoc electum ac salutare organum multa miracula perfecerit, ac multa beneficia ipsis præstiterit; hoc igitur periculum ut anteverteretur, Deus sepulcrum Mosis absconditum esse voluit. 4.) Vt enim post mortem Mosis serpenti æneo divinos honores per sacrificium deferebant, 2. Reg. XVIII. 4. non quod ipsum serpentem esse Deum arbitrarentur, sicut perquam absurde Bellarminus hoc loco illam opinionem Israëlitis tribuit; sed quia per adspectum hujus serpentis majores ipsorum a lethali serpentum ictu ac morsu sanati fuerant, ideo existimabant, Deum sua gratia & beneficiis huic imagini propius adesse & plus gratiæ illic dare, quam in aliis locis, ac honorem sacrificii huic serpenti delatum esse Deo gratum & acceptum, cum eo tanquam organo ad beneficiorum suorum elargitionem usus fuerit: ita quoque metuendum erat, ne reliquiis Mosis, utqote quo velut salutari organo in miraculorum operatione & variorum beneficiorum exhibitione Deus fuerat usus, divinos honores Israëlitæ deferrent, atque hunc cultum sine verbo & mandato susceptum Deo gratum esse suspicarentur. 5.) Illud ipsum in reliquiarum cultu non solum metuendum esse, sed etiam re ipsa accidere viva praxis testatur. Quia enim Deus per sanctos miracula olim operatus est, vel miraculis sepulcra sanctorum mortuorum honoravit, ex eo inferunt pontificii, Deo gratum esse illum religiosum cultum, qui ossibus ipsorum exhibetur; sicque perinde faciunt, ut olim Israëlitæ, qui serpenti æneo propterea divinum honorem in sacrificando exhibebant,

O 3 quia

„sis corpore exanimi apertus est sermo. In re mysterii plena non debemus apertam sermonis partem pro eo, ac nobis commodum est, inflectere. „In corpus Mosis conatus est aliquid, quidquid fuit, „diabolus, mortis robur habens, adeoque Mosis sortasse resuscitationem impedire postulans.„ prout recte observavit b. Bengelius in *gnom. novi testam.* ad locum *Judæ vers. 9. p. m. 1074. seqq.*

quia Deus olim per ipsum miraculosam sanationem fuerat operatus. 6.) Post Babylonicam captivitatem populum Israëliticum non amplius idola coluisse, nec periculum idololatriæ ipsis metuendum fuisse, gratis dicitur. Num enim existimabimus, cultum divinum magis ab idololatria defecatum, ac minori cum idololatriæ periculo conjunctum fuisse, quando post captivitatis tempora præter Haggæum, Zachariam ac Malachiam nullos amplius habuerunt prophetas, ac a doctrinæ sinceritate magis magisque quotidie discesserunt, quam quando continua serie prophetæ ad repurgandum divinum cultum ad ipsos missi fuerunt. 7.) Ex miraculis circa sepulcra sanctorum factis religiosus ille, de quo agimus, reliquiarum cultus probari nequit, ut paulo post adparebit.

g) *Ex defectu rationis certæ ac firmæ.*

§. CI. VII) Ex *defectu rationis certæ ac firmæ.* Nulla potest ex scripturis certa & urgens proferri ratio, quod sanctorum reliquiæ sint religiose colendæ, ac quod omissione illius cultus contra ullum Dei præceptum ac contra ullam divini cultus partem peccetur. Quæ enim Bellarminus, Gregorius de Valentia, Cosserus & alii proferunt, sunt humani cerebri somnia. VIII) Ex *cultus illius origine.* Apud *gentiles* usitatum fuit, corpora præstantium virorum in loco ignobiliori condita ad nobiliora monumenta magna pompa ac solennitate transferre, ut ostendit historia de translatione cinerum *Demetrii* ex Syria in Græciam a filio Antigono regia plane pompa instituta, quam describunt Volaterranus & Sabellicus. Plutarchus in Theseo & Cymone describit pompam, qua ossa *Thesei* post annos quadringentos ex insula Scyro Athenas fuere translata, ac ab Athenienſibus ita excepta, ac si ipse Theseus in urbem rediisset. Veneratio igitur reliquiarum, ut alia complura, ἐξ ἐθνικῆς συνηθείας orta, in ecclesiam christianam gentilium exemplo fuit recepta. De *pharisæis* ac *scribis* Christus commemorat, quod *exornaverint sepulcra sanctorum, atque eo ipso professi fuerint, se esse socios eorum, qui prophetas occiderint*, Matth. XXIII. 27. Luc. XI. 48. Pharisaicum igitur est, non propheticum nec apostolicum, in sepulcris sanctorum ornandis & reliquiis sanctorum religiose colendis partem aliquam cultus Deo debiti constituere, & ex illo opere gratiam Dei & beneficiorum collationem sibi polliceri. (Excipit Bellarminus, *Dominum non reprehendere Judæos, quod ædificarent vel ornarent monumenta prophetarum, sed quod non imitarentur eos, quorum monumenta ornabant, sed potius eos, qui illos occiderunt, atque ita se ipsos condemnarent. Resp.* 1.) Utrumque in Judæis Christus reprehendit, quod partem cultus divini in externis ceremoniis constituerent, suo se satis perfunctos officio existimantes, si phylacteria dilatarent, mentham, anethum & cymenum decimarent, calices & paropsides mundarent, sepulcra prophetarum ædificarent, ac monumenta justorum ornarent &c. vero & interiori Dei timore, vera pœnitentia ac fide, vera humilitate, sincera caritate &c. in cordibus interim penitus destituti, & quod crudelitatem propheticidarum imitarentur, vitæ Christi & sanctorum ejus insidias struendo, cum tamen eamdem cum prophetis doctrinam & confessionem illi amplecterentur. 2.) Id ipsum adhuc hodie pontificiis jure ac merito objicimus, quod partem cultus divini non postremam in externis ceremoniis, & sic etiam in cultu reliquiarum statuunt, de interioris hominis cultura interim parum soliciti, & quod crudelitatem adversus eos exerceant, qui eamdem cum illis fidem, quorum reliquias colunt, profitentur.)

b) *Ex cultus illius origine.*

i) *Ex suffragio primitivæ ecclesiæ.*

§. CII. IX) Ex *suffragio primitivæ ecclesiæ.* Ecclesia Smyrnensis in historica relatione martyrii Polycarpi apud Eusebium lib. IV. histor. eccles. c. 15. *Æmulus & invidus ac versutus generis justorum adversarius, cum martyrii hujus amplitudinem & conversationem ejus inde ab initio irreprehensibilem incorruptionis corona ornari, ac incomparabile*

bile brabeum adquirere cerneret, hoc curavit, ne corpusculum ejus a nobis acciperetur. Erant enim multi, qui hoc facere & sanctæ hujus caruncula participes fieri cupiebant. Suggesserunt itaque nonnulli Nicetæ patri Herodis ac fratri Dalces, ut proconsulem moneret, ne corpus illius traderet; ne Christo, inquit, relicto hunc colere incipiant. Et hoc dixerunt Judæis subnonentibus & urgentibus, qui etiam nos observabant, ne ex igne illam eriperemus, ignorantes, nos nec Christum unquam relinquere, qui pro totius servandorum mundi salute passus est, nec alium quempiam colere posse. Ἰησοῦν μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ θεοῦ προσκυνοῦμεν, τοὺς δὲ μάρτυρας μαθητὰς τε κυρίου καὶ μιμητὰς ἀγαπῶμεν ἀξίως ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον. *Nam hunc quidem tanquam filium Dei adoramus, martyres vero tanquam discipulos & imitatores Domini digne propter insuperabilem in regem ipsorum ac præceptorem benevolentiam diligimus, quorum & nos consortes & discipulos fieri optamus. Cum ergo centurio contentionem Judæorum cerneret, positum corpus in medio, sicut mos ipsis est, combusserunt, atque ita nos tandem ossa illius, pretiosis lapidibus pretiosiora & auro probatiora nacti condidimus, ubi id fieri decebat, ubi etiam quoad fieri potest, congregatis cum exsultatione & gaudio Dominus natalem martyris sui diem ad memoriam eorum, qui antea certarunt, & futurorum exercitationem ac præparationem celebrare largietur.* (Excipit Bellarminus dicto libro cap. 2. *reliquias Polycarpi ad cultum a christianis collectas fuisse*, quod patere dicit tum ex *verbis citatis*, tum ex *contentione adversariorum. Judæi enim atque ethnici resistebant, ne reliquiæ raperentur prætextu pietatis, existimabant enim corpora a christianis adorari. Resp.* 1.) Mirabili impudentia Bellarminus adserit, reliquias illas ad cultum fuisse a christianis collectas, cum Smyrnenses disertis verbis protestentur, *se nec Christum unquam relinquere, nec alium quempiam colere posse.* 2.) Judæi quidem ac gentiles per calumniam accusabant christianos, quod corpora sanctorum adorarent & colerent, sed id ipsum christiani expresse negant. 3.) Ossa Polycarpi non in locum sublimiorem ad cultum & religiosam venerationem proposuerunt, sed terræ intulerunt, & Smyrnenses expresse addunt, *humationem illam ossium factam, sicut conveniebat, & ubi id fieri decebat.* 4.) Quamvis vero in loco illo, in quo Polycarpi & aliorum martyrum reliquiæ humatæ erant, conventus ecclesiasticos, præcipue die passionis ipsorum, quem *natalem*, ad vitam scilicet æternam, adpellabant, eo tempore christiani instituere cœperint, nequaquam tamen in iis vel defunctos martyres invocarunt, vel reliquiis ipsorum religiosum illum cultum, cujus capita superius enumerata fuerunt, exhibuerunt; illud enim Smyrnenses diserte negant, sed ut memoria martyrum per gratam prædicationem in publicis illis congressibus prædicata, & coronis ac palmis, quibus a Deo summo agonotheta donati erant, exaggeratis, superstites ad certamina pro fide subeunda ac martyria pro Christo perferenda præpararentur & excitarentur, nec metu suppliciorum a fide deficerent, sicut totidem fere verbis in ecclesiæ Smyrnensis epistola hic finis exponitur.) Martyres *Galliæ* in epistola ad fratres in Asia & Phrygia apud eumdem Eusebium lib. V. hist. cap. 1. conqueruntur, *persecutores martyrum corpora inhumata projecisse additis canibus custodibus, ne quisquam illorum a christianis sepeliretur, reliquias vero combustas & in favillam redactas in Rhodanum dispersisse.* At num eo nomine doluerunt, quod reliquias illas ad cultum proponere prohiberentur? Minime vero, sed addunt: *Nos vero in magno mœrore eramus constituti, quod non liceret nobis corpora sanctorum martyrum sepulturæ tradere.* Lib. VII. cap. 16. memoratur, *Asturium martyris cujusdam corpus humero suo splendidoque & pretioso indumento impositum detulisse, & splendidissimæ sepulturæ, quantum conveniebat, tradidisse.* Cap. 22. in descriptione pestilentiæ Alexandrinæ de christianis commemorat, quod *sanctorum mortuorum corpora complexi sinu exteserint, laverint,*

verint, & ad sepulturam ornarint. Conf. §. 79. & 80. præced. in quibus plura veterum dicta de honore sepulturæ sanctis demortuis exhibendo sunt adducta. Tatianus in protrept. ad gentes: τὸν μὲν ἄνθρωπον ἀνθρωπίνως τιμητέον, φοβητέον δὲ μόνον τὸν θεόν. Nazianzenus in distichis νεκείων λειψανα σέβειν improbat. Cyrillus lib. X. contra Julianum: *Defunctorum reliquias viderit quispiam apud nos non nudas & negligenter in terram projectas, sed bene compositas, occultatæ enim quodammodo sunt in sinu matris, in profundis terræ.* Ibidem addit, *ethnicorum superstitionem fuisse, per mortuorum reliquias jurare.* In vita *Antonii eremitæ* sic habetur: *Mos erat Ægyptiis nobilium & præcipue b. martyrum corpora linteamine quidem obvolvere, & studium funeri solitum non negare, terra vero non abscondere, sed super lectulos domi posita reservare; hunc honorem quiescentibus reddi inveteratæ consuetudinis vanitas tradidit, de hoc Antonius sæpe & episcopos deprecatus est, ut populos ecclesiastica contestatione corrigerent; ac laicos viros & mulieres rigidius ipse convenit, dicens: Nec legitimum hoc esse nec Deo placitum, quippe cum patriarcharum & prophetarum sepulcra, quæ ad nos usque perdurant, hæc facta convincerent. Dominici quoque corporis exemplum intueri jubebat, quod in sepulcro positum lapide usque ad resurrectionis diem tertium clausum fuerit, atque his etiam modis vitium circa defunctos Ægypti, etiamsi sancta essent corpora, coarguebat dicens: Quid majus aut sanctius esse potest corpore dominico, quod juxta consuetudinem gentium cæterarum humo conditum esse scimus. Hæc justa persuasio multorum insitum evulsit errorem, & repositis in terra cadaveribus domino gratias pro bono magisterio retulerunt.* Ipse Antonius moriturus discipulis suis ejusmodi mandatum dedit: *Nullus ad Ægyptum proferat meas reliquias, ne vano corpus honore servetur, ne vituperati ritus a me, ut nostis, etiam circa me serventur obsequia, hujus enim rei gratia maxime huc sum regressus, ut nemo præter vos locum tumuli mei noverit &c. Discipuli ergo involutum, ut præceperat, corpus humo operuerunt, & nemo interim usque ad hanc diem præter eos, ubi conditum sit, novit;* inquit Athanasius. In concilio Elibertino tempore Constantini magni celebrato can. XXXIV. cereorum accensio in cœmeteriis prohibetur: *Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi, inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt; qui hæc non observaverint, arceantur ab ecclesiæ communione.* Can. XXXV. prohibentur vigiliæ: *Placuit prohibere, ne fœminæ in cœmeterio pervigilent, eo quod sæpe sub obtentu orationis scelera latenter committantur.* (Excipit Bellarminus, *concilium id prohibuisse, quia fiebat more gentilium, inter quos tunc christiani versabantur. Resp.* id ipsum & nos dicimus, accensionem cereorum, eorumque oblationem in honorem martyrum factam esse partem cultus gentilitii, ut multis ostendit Polydorus Virgilius lib. de rer. invent.) Inter *Vigilantium*, quem Hieronymus epist. I. ad Paulinum tom. I. fol. 106. *sanctum presbyterum* vocat, & inter Hieronymum de cultu reliquiarum controversia fuit exorta. Verba Vigilantii recenset Hieronymus in epist. adversus Vigilantium f. 123. *Quid necesse est te tanto honore non solum honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis?* Et postea: *Quid pulverem linteamine circumdatum adorando oscularis?* Item: *Prope ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in ecclesiis sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi & ubicunque pulviculum nescio, quod in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum osculantes adorant. Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos Agnus, qui est in medio throni, cum omni fulgore majestatis suæ illustrat.* Ad hæc Vigilantii verba respondens Hieronymus non dicit, reliquias esse adorandas ac religiose colendas, sed conqueritur, per calumniam a Vigilantio hoc tribui christianis. *Quis* (inquit) *o insanum caput, aliquando martyres adoravit? Nos, non dico mar-*

martyrum reliquias, sed ne solem quidem & lunam, non angelos, non archangelos, non cherubim, non seraphim, & omne nomen, quod nominatur, & in præsenti seculo, & in futuro, colimus & adoramus, ne serviamus creaturæ potius, quam creatori. De cereis respondet, *id facere solum mulierculas, quæ zelum habent, sed non secundum scientiam.* (Excipit Bellarminus, *Hieronymum de illis duntaxat loqui, qui accendunt cereos, existimantes inde martyres illustrari, cum in ecclesia usitatum fuerit accendere cereos, cum legitur evangelium, & cum mortui deferuntur ad sepulcrum, quod Hieronymus non improbet. Resp.* 1.) Nec nos absolute & simpliciter cereorum accensionem damnamus, cum in quibusdam ecclesiis apud nos ea adhuc recepta sit, tum in eucharistiæ administratione, tum in funerum curatione, tum in novorum conjugum ad templum deductione. *Ignis*, ait h. l. Bellarminus, *accendi solet ad lætitiam significandam etiam in rebus profanis. Ignis etiam signum est gloriæ, unde imperatoribus Romanis & imperatricibus ubique ignis præferebatur; sancti autem vera gloria nunc fruuntur, & cum Christo regnant, ut memoriæ illorum ignis accendi possit. Denique ignis signum est vitæ, proinde cereis protestamur, vivere sanctorum animas, & ipsa corpora suo tempore victura.* Has significationes accensorum cereorum non improbamus, sed illud est, quod in pontificiis corruptelis damnamus, quod cereorum illorum accensionem non habent pro ceremonia libera, utilis cujusdam significationis causa adhibita, sed partem cultus divini in ea statuunt, ac sanctorum ut patronorum suorum reliquias eadem religiose coli posse & debere existimant. 2.) Si Vigilantius in alteram partem nimis deflectendo id, quod Hieronymus ipsi tribuit, sensit, *reliquias scilicet martyrum immundas esse ciliciо colligandas, & in sterquilinium projiciendas, ac earum contactu homines pollui*, nihil nobis cum illius sententia est commercii. Vicissim si Hieronymus adversarium suum acrius oppugnando in partem contrariam prolapsus est, statuendo, quod religiosus cultus sanctorum reliquiis deferri debeat, opponimus illi præclarum effatum, quod ipsemet urget in comment. Matth. XXIII. *Quod de scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua adscritur.* 3.) Hieronymus Vigilantium ita oppugnat, ut in eo *plusculum modestiæ* desideret Erasmus; sic enim scribit in argumento illius epistolæ: *In Vigilantium ita debacchatur Hieronymus, ut plusculum modestiæ cogar desiderare. Vtinam argumentis duntaxat egisset, & a convictis abstinuisset. Nam vigilias nocturnas non placuisse viris ecclesiasticis, vel illud satis probat, quod hominum auctoritate sublatæ sunt, nomine tantum superstites.* Augustinus, lib. I. de civ. Dei cap. 13. *Antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, & exsequiæ celebratæ & sepultura provisa, ipsique dum viverent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt &c. verum istæ auctoritates non hoc admonent, quod insit ullus cadaveribus sensus, sed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant propter fidem resurrectionis adstruendam, ubi & illud salubriter discitur, quanta possit esse remuneratio pro eleemosynis, quas viventibus & sentientibus exhibemus, si neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris officii diligentiæque persolvitur.* Lib. VIII. cap. 27. *Nos martyribus non templa, nec sacerdotia, nec sacra & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tanquam sanctorum Dei hominum, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis religionibus fictisque convictis. Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre vel Paule vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & sanctis suis angelis cælesti honore sociavit, ut ea celebritate & Deo vero de*

illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium ex eorum memoriæ renovatione adhortemur? Quæcunque igitur adhibentur obsequia religiosorum in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tanquam deorum. Quicunque etiam epulas suas eo deferunt, quod quidem a christianis melioribus non fit, & in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo; (invaluerat hic mos præcipue in Africæ quibusdam locis, sed in aliis provinciis episcopi eum taxabant, unde cum Monica, Augustini mater, referente eodem lib. VI. confess. cap. 2. ad memorias sanctorum Mediolani pultes & panem & merum adtulisset, ac ostiario dedisset, Ambrosius id fieri vetuit, ne ulla occasio daretur ebriosis se ingurgitandi, & quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima) *tamen quicunque id faciunt, quas cum adposuerint, orant & auferunt, ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum. Non autem ista esse sacrificia martyrum novit, qui novit unum, quod Deo illic offertur, sacrificium christianorum. Nos itaque martyres divinis honoribus non colimus &c. nec constituimus sacerdotes, nec offerimus sacrificia, quia incongruum, indebitum, illicitum est atque uni Deo tantummodo debitum.* Lib. de moribus eccles. cathol. cap. 34. *Nolite consectari turbas imperitorum, qui in ipsa vera religione superstitiosi sunt. Novi multos esse sepulcrorum & picturarum adoratores, novi multos, qui cum luxuriosissime super mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes super sepultos se ipsos sepeliant.* (Excipit Bellarminus, *Augustinum hæc scripsisse initio conversionis suæ, postmodum autem reprehendisse quidem illam consuetudinem, qui sacrificium panis & vini aliarumque epularum manibus defunctorum offerebant, sed non tanquam idololatriam. Resp.* sufficit nobis, quod & Ambrosius & Augustinus superstitionem illam ex gentilismo ortam manifeste improbant, quodque Bellarminus concedit, *nimium cultum reliquiarum jure reprehensum esse*; quid vero hac in re sit nimium & reprehendendum, quid legitimum & concedendum, omnium optime ex scripturæ definitione peti potest.) Lib. de opere monach. cap. 28. conqueritur de monachis otiosis ac vagis martyrum reliquias vendentibus: *O servi Dei, milites Christi, itane dissimulatis callidissimi hostis insidias, qui bonam famam vestram, tam bonum Christi odorem omni modo cupiens obscurare putoribus suis, tam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaquam disperfit, circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii membra martyrum, si tamen martyrum, venditant, & omnes petunt, omnes exigunt aut sumtus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis.* Honorius etiam ac Theodosius imperatores l. 3. C. de sacros. eccles. prohibent martyrum reliquias vendere: *Nemo martyres distrahat, nemo mercetur.*

§. CIII. X) Ex *fraudibus & impostoris, quæ circa reliquias committuntur.* Illæ vero propter varietatem non possunt omnes enumerari, propter calliditatem hominum eas committentium vix possunt indagari. Ecquis enim brevi oratione complecti potest fabulosa illa figmenta, quæ de reliquiis simplici plebeculæ fuere inculcata? Ecquis contradictiones & impostoras istorum mangonum satis digne exaggerare potest? Augustinus dicto libro de monachis reliquiarum nundinatoribus conquerens per quamdam ἐπανόρθωσιν subjungit, *si modo sunt martyrum* reliquiæ, ut significet, jamdum suo tempore invaluisse abusus & impostoras circa reliquias. Persuadetur solidus populus, sanguinem Christi, qui de ejus latere in cruce profluxit, adhuc in terris conservari, nec solum *Romæ* in ecclesia Lateranensi contineri dicitur, & die paschatos populo adorandus ostenditur, teste Biele lect. L. in can. missæ, sed etiam aliis in locis quam plurimis.

k) *Ex fraudibus & impostoris, quæ circa reliquias committuntur.*

Tres

Tres guttulæ in circumcisione effusæ ostensæ olim fuerunt Argentinæ, aliæ de cruce per Nicodemi chirothecam exceptæ ostenduntur Rupellæ Pictonum, plenæ phialæ Mantuæ, liquidus in vase crystallino demonstratur Bilioni in Avernia, coagulatus in vico proximo, plenis pateris effusus Romæ ad Eustachii; sanguis ex corpore exanimi, priusquam sepelirentur, extersus Brugis in Flandria ad Basilii, aquæ admixtus, ut ex latere fluxit, Romæ ad Johannis Lateranensis &c. sed Thomas part. III. q. 54. art. 2. *totum Christi sanguinem in cruce effusum rediisse in corpus* adserit, *ac sanguinem, qui in quibusdam ecclesiis pro reliquiis conservatur, non fluxisse de Christi latere, sed miraculose dici effluxisse de quadam imagine Christi percussa.* Innocentius papa de hac quæstione dubius est, ut videre licet lib. IV. cap. 30. & 31. Forchemii in Franconia ostenduntur reliquiæ cum inscriptione *sanctuarii ignoti.* Johannes Bocatius, qui floruit anno 1313. in suo Decamero inducit monachum, qui mire exagitat reliquias; ait enim, *se adtulisse ex oriente non nihil ex sono campanarum, quæ erant in templo Salomonis*; deinde ut ementita Francisci stigmata perstringeret, inducit eundem monachum pro concione dicentem, *angelo seraphino excidisse aliquot capillos, cum Francisco adparuisset stigmata impressurus, quare se illos capillos inter alias reliquias adhuc habere.* Quis *non videt*, ait Vergerius in adnotat. ad catalog. hæretic. tom. I. oper. pag. 256, *quorsum componat sonum campanarum cum stigmatibus Francisci, & cum capillis angeli? nimirum quia ut nullus fuit in templo Salomonis campanarum usus, qui admodum recens est, ita fabulosa quoque sint, quæ de angelo seraphino, quod scilicet Francisco Christi vulnera impresserit, in Romana ecclesia creduntur.* Negari nulla veritatis specie potest, unius sancti ossa vel membra vel laceras vestium particulas in diversis locis monstrari, ut necessarium sit, in locis complurибus pro reliquiis hominum sanctorum, canis aut vituli dentes aut ossa ostentari, & quod sceleſtissimum est, ad religiosam venerationem prostitui. Chemnitius part. IV. examin. cap. de reliq. pag. 20. memorat, Andream, abbatem Amelunxbornensem, virum eruditum ac gravem, narrare solitum, quid Eduardo Anglorum regi ex dentibus laboranti olim acciderit. Cum enim ille mandasset, *Apolloniæ* dentes, quæ ubique in regni sui templis inter reliquias servabantur, ad se mitti, tot ex unius regni reliquiis Apolloniæ dentes coacervati fuerunt, quot aliquot tonnæ capere non potuerunt. *Veronicæ facies* (hoc est, imago facici a Christo ipso ad passionis locum abducto sudario impressa, ac Veronicæ data) adservatur Romæ in æde D. Petri, & populo adoranda ibidem monstratur. Sed Lucius Marineus Siculus, historiographus imperatoris Caroli V. lib. V. de reb. Hispan. illam in Hispania esse adserit. In lectionibus memorabilibus Wolfii cent. XVI. pag. 233. exstat liber de *spoliis, exuviis, & reliquiis sanctorum*, editus circa annum 1525. in quo inter cætera sic habetur: *Charrovienses monachi dentes, crines ac præputium Christi hominibus, ut reverentur, ostendunt, præputium idem Romæ in templo Lateranensi adservatur &c.* De sanguine Christi paulo superius diximus. „Præ„sepe ejus Romæ in æde Mariæ majoris vene„rantur, in D. Pauli æde ibidem, & ut in „Hispania in Salvatoris templo lodices Chri„sti habentur, item cunabula & indusia ejus. „Romæ ad Jacobi colitur altare, in quo si„stebatur Christus, cum in templo offerretur, „columnaque qua disputans in templo nitebatur. Hydriæ illæ sex habentur, aliquæ Ra„vennæ, Pisis, Cluniaci, Andegavi, & in „Hispania in templo Salvatoris, (Magdeburgi „& Quedleburgi in patria mea in Germania) „Aureliæ vinum ex aqua factum conservatur, „calcei Christi in sancto sanctorum Romæ ha„bentur, mensæ, super qua Christus cœnam „administravit, in templo Lateranensi Romæ „honor impenditur, panis particula, quem „distribuit apostolis, in Hispania in templo „Salvatoris ceu Deus adoratur. Treveris cul„trum, quo agnus paschalis dissecabatur, ad„servant. Prope Lugdunum in templo Mariæ

„insulanæ, item in Helvetia in Augustiniano-
„rum aliquo monasterio calix ille Christi di-
„scipulis cum sanguine porrectus, qui unicus
„tantum erat, ostenditur, Romæ & Genuæ &
„Arelatæ patinam agni paschalis unicam se
„habere credunt, supparum Christi sive lin-
„teum, quo discipulorum pedes post lotionem
„abstersit, Romæ templum Lateranense sibi
„vindicat, idem etiam Achi sive Aquis ad Cor-
„nelii in Germania adservatur, cum impresso
„vestigio pedis Judæ. Frustum quinque pa-
„num Romæ in nova Mariæ æde, aliud fru-
„stum in Hispania in Salvatoris æde monstra-
„tur, ut & palma, quam Hierosolymas adve-
„niens gestasse dicitur, terra cui institit Laza-
„rum resuscitans, passim sacra habetur. Crux
„Christi ab Helena, Constantini imperatoris
„matre, inventa antiquitus credebatur, & ad-
„huc hodie crux eadem Hierosolymis esse cre-
„ditur, quam tamen Helena divisit &c. ejus
„tam innumerabiles portiones & frusta passim
„in universo orbe in omnibus templis & mo-
„nasteriis ostenduntur, ut ex iis propemodum
„sexcentæ cruces effici possint. Clunium Chri-
„sti forma Rhemis in lapide expressa monstra-
„tur, quam cum Christus lapidicida factus esset,
„sculptam nugantur. Toloſæ inscriptio cru-
„cis Christi retineri putatur, Romæ in s. cru-
„cis æde eamdem reperiri tradunt. Clavi
„tres, quibus Christus crucifixus est, plurimis
„in locis adservari dicuntur. Mediolanenses
„& Carpentoractenses unum ex illis sibi vin-
„dicant, duo præterea Romæ, in templo He-
„lenæ alter, alter ad s. crucem inveniuntur,
„item unus Senis, alius Venetiis: etiam alii
„duo in Germania, alter Coloniæ, alter Tre-
„viris esse, ut & Parisiis in sacello sanctorum
„unus creditur. Carmelitæ quoque unum ha-
„bent, in s. Dionysii templo Galliæ itidem
„unus, alius unus Draguinianæ, item alius in
„abbatia, quæ a forpice aurifabri nomen ha-
„bet, cum veneratione adservatur. Bituriges
„se quoque unum habere autumant. Culpis
„sariſſæ, qua latus Christi transfossum, qua-
„tuor in locis Romæ, Parisiis in monasterio
„forpicis aurifabri, apud Xantones, & Selvæ
„prope Burdegalin adhuc conservatur. Spi-
„nea corona Christi in omnes regiones dispar-
„tita est, Parisiis tertia ejus pars, Romæ ma-
„gna pars custoditur, Senis, Vincentiæ, apud
„Bituriges, Vesontii, in Monteregio, in Hi-
„spania Compostellæ & in templo Salvatoris,
„in Helvetia, Tholossæ, Mantiseonæ, Char-
„rovii, Cleriaci, Sanfloridi, Samaxini in Pro-
„vincia, Sallæ, Novioduno, (Coloniæ Agrip-
„pinæ) & alibi rami de ea, aut toti fasciculi
„potius nidum ciconiarum, quam coronam
„efficientes, tanquam res sacra & divina co-
„luntur. Purpura Christi respersa sanguinis
„guttulis alibi adhuc remanet. Tunica ejus
„inconsutilis in pago Argentoliæ prope Lute-
„tiam Parisiorum, item Treviris, item in
„Turcia a Mahometistis custoditur. Tessera-
„rum militum altera Treviris, altera in Hi-
„spania in templo Salvatoris velut sacrosancta
„res adservatur. Sudarium Christi Nicææ,
„Aquis in Germania, Trajecti & Vesontii,
„Cadonii, Lemovici, in Lotharingia & Ro-
„mæ in Vestalium aliquo monasterio devote
„a plebe honoratur. Arundo, quæ Christo
„pro sceptro dabatur, Romæ in Lateranensi
„templo & spongia in æde s. crucis superest.
„Triginta Judæ argentei (& funis, quo se
„ipsum strangulavit) religiose adhuc adservan-
„tur. Caudam asini, quem inequitavit Chri-
„stus, Genuæ ostendunt. Piscis particulam
„Christo a Petro oblati, item vestigia Christi
„aliquot, item lacrimas Christi & sanguinem
„aut ex hostiis aut ex imaginibus profluxum
„divino prorsus cultu adficiunt.„ Neque vero
reliquiis Christi contenti sunt, sed ut merito
Christi merita b. Mariæ virginis ac sanctorum,
ita quoque Christi reliquiis b. Mariæ & sancto-
rum reliquias laciniæ instar adsuunt. „B. Ma-
„riæ lactis tanta copia passim colitur, ut mul-
„ta mulctralia eo commode impleri possent.
„Crines ejus, pecten, indusia, vestes, pepla,
„Josephi crepidas & caligas venerantur. Mi-
„chaëlis archangeli pugio & clypeus, quibus
„usus est in monomachia cum satana, a Tu-
„ronensibus ostentantur. Johannis baptistæ syn-
„ciput Ambiani, id ipsum incolæ Johannis An-

„gelici

„gelici etiam se habere jactant, occiput Me„litæ, illud ipsum etiam Nemorosæ, maxillæ „ejus Vesantii, alia pars Parisiis, auricula Ar„venii, frons cum capillitio in Hispania, No„vioduni etiam pars quædam magnis ceremo„niis ubique commonstratur, nihilominus Ro„mæ integrum caput in Sylvestri cœnobio re„peritur, brachium ejus Senenses habent, di„gitus, quo Christum commonstravit, Veson„tii unus, Tholossæ item unus, Lugduni quo„que unus, apud Bituriges unus, Florentiæ „unus & prope Mascum in æde Johannis For„tuiti: Calcei ejus Parisiis adhuc residui sunt. „Romæ vestis ejus de pilis camelorum visitur, „ut & altare, super quo eum in eremo orasse „tradunt. Avinione gladius, quo plexus erat, „Achi in Germania florea ei substrata, aliaque „multa de Johanne baptista passim exstare fin„guntur. Petri malam cum barba, cerebrum, „(quod opertum Genevæ adorabatur, sed cum „scrutarentur homines, pumicem invenerunt) „sellam & vestem episcopalem, altare, gla„dium, baculum, calceos, catenam & co„lumnam, quibus adligatus erat, omnia hæc „& alia se habere gloriantur, & tamen cor„pus ejus una cum Pauli Romæ sepultum est. „Tholossatenses sex apostolorum corpora, vi„delicet utriusque Jacobi, Andreæ, Simonis, „Philippi & Judæ secum esse gloriantur. Mat„thiæ corpus Patavii aliud, aliud Romæ, aliud „Treviris, membraque alia alibi jacent. „Matthæi corpus Salernæ positum est, caput, „brachium & ossa quædam Treviris inveniun„tur. Thomæ corpus Orthonnæ esse ferunt. „Bartholomæi corpus Neapoli, item Romæ „in templo ei sacrato, & cutem Pisis adservari „dicunt. Andreas etiam aliud corpus Melphis, „ut & Philippus & Jacobus minor habent, Ro„mæ alia corpora præter superiora, item Si„mon & Judas ad s. Petrum etiam jacere dicun„tur. Johannis evangelistæ calix & Romæ & „Bononiæ, ut etiam tunica & catenæ ejus osten„duntur. De Stephano, Lazaro, magis, An„na, Mariæ virginis Θεοτόκου matre, Magda„lena Lazari sorore, pueris innocentibus & „aliis posteriorum ætatum sanctis plaustra reli„quiarum se habere fingunt. Neve quidquam „desideres, etiam ossa patriarcharum, Abra„hami, Isaaci & Jacobi Romæ ad Mariæ su„per Minervam adservari perhibent, arcam „fœderis & virgam Aaronis in Johannis Late„ranensis fano, item in Hispania in æde Sal„vatoris, item Parisiis adhuc superesse nugan„tur. Ossa septem martyrum Maccabæorum „Coloniæ ostendunt.„ Confer sacrarium Colonienſe, librum Gallicum de reliquiis sanctorum, quem in Latinum sermonem convertit Nicolaus Gallasius, quique integer habetur in centenario XVI. lect. memorab. Wolffii pag. 784. stupenda templi Jesuitici ab Vrsino congesta part. III. pag. 353. & alia hujus generis scripta. (*) Johannes Tetzelius, indulgentiarum

P 3

(*) Complura hujus generis scripta, recentiori cumprimis ætate, tum a protestantibus, tum ab ipsis cœtus Romani doctoribus fuerunt evulgata, in quibus argumentum hocce de sanctis eorumque reliquiis uberius pertractatur. Ex scriptoribus ecclesiæ Romanæ hoc eminent duumviri doctissimi Jo. Launoius atque Jo Mabillonius, monachus Benedict. e congregatione S. Mauri. Ad Launoium quidem quod attinet, edidit is ann. *MDCLX.* libr. *de cura ecclesiæ pro sanctis & sanctorum reliquiis ac sacris officiis, ab omni falsitate vindicandis*, in 8. itemque libellum gallicum *de la veneration rendue aux reliques des Saints, selon l'esprit de l'église & purgée de toute superstition populaire*, Aven. *MDCCXIII.* 12. nec non alia huc spectantia. Mabillonii vero exstat *epistola ad Theophilum Gallum de cultu sanctorum ignotorum*, sub *Eusebii Romani* nomine edita, lectuque dignissima. Prodiit hæcce epistola Parisiis *MDCXCVIII.* 4. Recusa postea fuit ibidem *MDCCV.* 12. & Vltrajecti *MDCCVII.* 12. Habentur quoque tres hujus libelli interpretationes Gallicæ, observante Niceronio in *memoires pour servir à l'histoire des hommes illustres, tom. VII. p. 363.* Non defuerunt tamen, qui contra Mabillonium calamum stringerent. Spectat huc scriptor Gallus libelli, cui titulus: *reponse à une lettre de Jean Mabillon sur les saints des catacombes*, Colon. *MDCXCVIII.* 12. quem vero refutavit Mabillonius in *commonitoria epistola ad Claudium Estiennot, procuratorem generalem congregat. S. Mauri in curia Romana.* Inserta illa est *vol. I. oper. posthum. p. 322.* Vid. laudatiss. Niceronium *loc. cit.* ubi plura ad scripti hujus historiam spectantia traduntur. Pertinent huc etiam

tiarum scrutarius & æruscator pontificius, cum devectis in Misniam & expositis suis mercibus quodam in oppidulo concionaretur, quo magis sese hominibus commendaret, promisit adsaturum se ad meridianam concionem egregium quiddam de reliquiis, ac inprimis *pulcherrimam pennam archangeli Michaëlis, quam illi diabolus in duello ex alis evulserit*, esse monstraturum. Aderant quidam, quibus fraus subolebat; quapropter cibum capiente cum sacerdote Tetzelio, cum is a tergo vasculum cum penna in periclinio positum haberet, illi eamdem inde suffurantur, & pro ea carbones ingerunt. Minime hoc Tetzelius advertebat, sed arrepto vasculo doli nescius ac probe potus in templum properabat, pecunia senes emuncturus. Ibi ergo unum mendacium ex alio consuens & de penna Michaëlis mira prædicans magnam apud omnes inauditæ rei exspectationem incredibileque desiderium concitavit, ac jam decurso tempore & prehenso vasculo, *hem*, inquit, *infelix ego, quid egi? cupiebam vobis, auditores, pennam Michaëlis conspiciendam præbere, at erravi, & pro illa carbones arripui, quibus d. Laurentius est trematus.* Wolffius cent. XVI. p. 95. Cum ecclesiasticæ disciplinæ ratio a Pomerano descripta, & a senatu populoque Brunsvicensi adprobata & recepta esset, convellebantur mox senatu populoque auctore ex præcipuis templis altaria, quæ ad privatas missas celebrandas in omnibus passim angulis fuerant erecta. Ea re cum superstitiosiores plerique ex omnibus ordinibus vehementer offenderentur, nec deessent, qui odio novæ, ut vocabant, doctrinæ frigidam suffunderent, fiunt concursus hominum ineptorum & superstitionibus addictorum ad templa & cœmeteria, & parum aberat, quo minus ad tumultum res progrederetur. Eo animadverso suffraganeus Matthias natione Danus, qui patria relicta Brunsvigam elegerat, in qua reliquum vitæ exigeret, inque Ægidiani templi area post obitum humatus, is, inquam, cognita populi indignatione, quam conceperat ex altarium demolitione & reliquiarum dissipatione, adcurrit ad templum Martinianum, & Ludolphum Petersinum jamjam concionaturum compellat, indicat se animadvertere populi offensionem ex destructione altarium facta, & inprimis ex reliquiarum sanctarum profanatione, ad eam offensionem sanandam peropus esse, ut quænam & quales illæ reliquiæ sint, unicuique bene constet, quod ex se ipso optime cognosci possit. Sibi enim a pontifice Romano esse factam potestatem, quidquid officulorum forte nactus esset, quod quidem huic rei idoneum videretur, id pro cujusvis vellet sancti reliquiis consecraret. Ea potestate se usum plurimis in locis porcina, vervecina, aliave ossa, carnibus pridie consumtis, postridie pro reliquiis sanctorum vendidisse, & in altaribus recondidisse, idem alios sui loci atque ordinis homines facere consuevisse, seque ipsum pleraque ex altaribus iis consecrasse, & reliquiis ejusmodi ditasse. Has fraudes, præterquam quod ex animo doleret a se admissas, veniamque hujus culpæ a Deo & ecclesia peteret, cupere etiam populo deinceps esse notas, ne diutius illis tam misere decipiatur. Empsychovius in confutat. Braunii Colon. p. 275. Fuit ante annos circiter nonaginta (scribit Heerbrandus

etiam Jo. Chrysost. Trombelli *dissertationes de cultu Sanctorum*, Bononiæ *MDCCXL.* 4. Scriptoribus hisce Romanensibus, modo recensitis, adjungi cumprimis meretur Adr. Bailleivs, qui ingens opus, inscriptum: *les vies des Saints*, duodecim tomis comprehensum luci publicæ exposuit. Nec prætermittendi heic sunt scriptores protestantium partibus addicti, ex quibus cumprimis nominandi veniunt Jo. Dallæus, *de objecto cultus religiosi*, *libr. IV.* tot. Jac. Basnagivs, *dans l'histoire de l'eglise. tom. II. livr. XVIII. chap. 8, 9, 10, livr. XIX. ch. 8. livr. XX. ch. 4, 5, 6. livr. XXI. ch. 4.* & *ch. 11. §. 9.* Jos. Binghamvs in *orig. eccles. tom. X. libr. XXIII. cap. IV. §. IX. p. 95. seqq.* itemque Christoph. Matth. Pfaffivs, cancellarius olim Tubingensis, postea Giessensis, *dans la reponse aux douze lettres du P. Scheffmacher, Jesuite de Strasbourg contre les protestans*, quæ Francofurti, (seu potius Tubingæ) ann. *MDCCXXXIII.* 4. prodiit, ubi inprimis *la reponse à la lettre quatrième sur l'invocation des Saints p. 31. seqq.* itemque *p. 42. seqq.* & *63.* legi meretur. Vt complures alios brevitatis studio silentio heic prætermittamus.

dus part. II. disp. theol. disp. LXVII. de multiplici papatus idolomania p. 1471.) Rotenburgi ad Nicrum sacrificulus quidam, vulgo & ex cognomine *Pfaff Isele* dictus, homo ingeniosus, qui cum Romam sive religionis sive alia de causa sese contulisset, factus est pontificis Romani indulgentiarius. Rediit itaque in patriam reliquiis instructus, penna ex archangeli Michaëlis ala, cujus virtutes, ut fuit disertus, mirifice commendavit, ut merces suas extruderet, quæstumque inde faceret maximum. Accidit autem, ut quodam sabbato vesperi diverteret Altingæ, qui est pagus non procul Tubinga dissitus, ubi cum genio indulgeret liberius, negligentius reliquias suas custodire cœpit, vino magis deditus, quam sacro. Factum est itaque, ut ex theca reliquiæ illæ sacræ surriperentur. Mane post quam surrexisset sacrificulus, requirens suas reliquias, quo merces suas exponere & populo ostentare posset, sublatas esse videt. Nihil igitur cunctatus nec dissimulans, quod hospitam esse conscium judicaret, recta in stabulum descendit, eque proximo præsepi pauxillum fœni arripuit, suæque inclusit thecæ. *Hæ meæ*, inquit, *sunt reliquiæ*; quod cum hospita vidisset, ridere reliquias istas cœpit. Atqui, inquit ille, *jam in templo, sacris modo interfis, eas osculaberis.* Quod cum se facturam pernegaret, indulgentiarius pactus est symbolum. Finita concione impostor pro more reliquiarum suarum virtutes divinas propemodum coram populo nimis credulo deprædicare cœpit: *esse scilicet fœnum illud, super quod Christus recens natus in præsepi Bethlehemitico recubuerit, tantasque habere virtutes inter reliquias, ut, qui eas exoscularetur, eodem anno a peste, quæ tum passim in illo ducatu grassabatur, esset immunis. Præterea etiam arcere omnes adulteros & adulteras, ut accedere non possint, nec illas exosculari.* Hospita impostrarum conscia, & quod de lucello aliquid decederet, diu cunctata, tandem de suntu maluit, quam de fama, quod de pudicitia esset alias suspecta, periclitari. Accessit itaque postremo loco, reliquias sui stabuli exosculans, cui sacerdos submissa voce, *en advenis?* dixit. Cum vero fama de reliquiarum istarum virtutibus percrebuisset, & homines miseri, qui eas exosculati fuerant, a peste immunes non essent, sed illa correpti misere perirent, ad ducem Wirtenbergicum Eberhardum rumor pervenit. Is nundinationum illarum impostruras intelligens theologis Tubingensibus in mandatis dedit, ut impudenti homini ad se accersito vanitatem exprobrarent, ejusque petulantiam contunderent, quod & factum est. Verum illæ artis suæ memor audacter respondit, *se neminem fefellisse nec mentitum esse.* Cum vero illi contra objicerent, certum esse, multos eo morbo obiisse, qui reliquias ipsius essent exosculati & venerati, rursus negavit subjiciens, *vitrum tantummodo, non ipsas reliquias exosculatos esse*, sicque joco & risu actionem seriam impostor eluit. Albertus Crantzius, qui floruit circa annum 1500. in Saxonia, scribit: *Reliquiarum Romanarum copia eas vilescere facit. Fabulis enim non inhærendum. Nemo gloriari debet de veterum auctoritate*, indocti enim erant, *non habebant, unde falsitatem coarguerent, sed ætate nostra crebrescentibus literarum monumentis inexcusabilis torpor est, in fabulis scientes prudentesque permanere.* Et quid multis? tam palpabiles fraudes & impostruras sacrificuli per reliquias exercent, ut eæ proverbio locum dederint: *Roma tria tecum non auferes: lapides, quia nimis grandes; pietatem, quia ibi nulla; reliquiæ, quia incertæ.*

§. CIV. Excipit Bellarminus cap. IV. *reliquias, quæ publice in templis venerandæ exponuntur, non esse supposititias, cum ecclesia semper diligenter caverit, ne fraudes fierent, & præcipue post decretum concilii Lateranensis, ut nullæ reliquiæ publice recipiantur sine auctoritate Romani pontificis; Augustinum dubitasse de reliquiis, quas quidam privati homines circumferebant, non de illis, quæ publice in templis conservantur, in variis locis esse partes eorumdem corporum, sed denominari*

nari a parte totum. Resp. hæc vero perizomata ex foliis ficus contexta strictiora sunt, quam ut turpitudinem imposturarum ac fraudum, quæ in reliquiis committuntur, tegere possint. 1.) Quæ enim pro reliquiis Christi, Mariæ & apostolorum publice venditantur, de illis per aliquot secula nullus primitivæ ecclesiæ scriptorum mentionem facit. In historia evangelica de illis rebus altum silentium, tempore apostolorum nihil de illis auditum. Quinquaginta circiter annos post Christi mortem Hierosolyma eversa atque expilata fuit, ubi interim reliquiæ illæ adservatæ fuerunt? 2.) Pontifici vero Romano mandes, si quid in ecclesia recte curatum velis, is scilicet semper diligenter curavit, ne fraudes fierent in reliquiis, in indulgentiis &c. 3.) Partes illæ corporum, quæ in diversis locis pro reliquiis unius sancti monstrantur, in tantum excreverunt numerum, ut unius corporis ossa illis non sufficiant, nec tantum partes corporum, sed integra sanctorum corpora in diversis locis monstrantur. *Trium magorum* corpora & Mediolani & Coloniæ ostenduntur. *Petri* corpus reconditum est integrum Romæ in Vaticano, ut auctor est Baronius tom. I. annal. ann. 69. dimidiatum habetur in alio loco Romæ in via Ostiensi, Onuphrius de sept. urbis ecclesiis cap. de Basilic. S. Pauli. Et aliquæ particulæ reliquiarum Petri sunt in loco tertio, videlicet Constantinopoli, ut ex Chrysostomo hoc loco memorat Bellarminus. Caput ejus adservatur in quarto loco, Romæ scilicet in Basilica Lateranensi, Onuphrius de sept. urbis eccles. Pars capitis in quinto loco, Romæ nimirum in ecclesia s. Praxedis, Onuphrius ibidem; in sexto loco, videlicet Pictavii in Gallia, mandibula cum barba, Nicolaus Gallasius de reliq. In septimo loco vel potius in pluribus locis dentes, alibi plures, alibi singuli, ut Romæ in ecclesiis SS. Vincentii & Anastasii, S. crucis, S. Salvatoris Lateranensis, S. Laurentii extra muros, S. Sebastian. S. Praxedis, ut recitat Onuphrius de sept. urbis eccl. Octavo loco erat cerebrum, nempe Genevæ, sed deprehensum fuit, pumicem pro cerebro fuisse populo ostentatum, Gallasius l.d. Ossa Petri multa ostenduntur Romæ in templo b. Mariæ populo, ut testatur liber inscriptus, *mirabilia Romæ*, excusus permissu superiorum, cum privilegio Sixti V. Item in templo S. Laurentii extra muros, Onuphrius de sept. urbis eccl. Pars lacerti adservatur Romæ in Basilica S. crucis, Onuphrius d. l. pars costæ & digitus manus, Romæ in ecclesia S. Sebastiani, Onuphrius d. l. digitus pedis Romæ in ecclesia S. Praxedis, Onuphrius d. l. articulus digiti gigantei in Anglia ad D. Parathalassiæ. Erasmus de peregr. relig. reliquiæ absque nomine in diversis ecclesiis Romæ &c. *S. Dionysii* corpus ostendunt monachi in monasterio S. Emerani Ratisbonæ una cum bulla pontificis adtestante verum corpus Ratisbonæ haberi. Sed ejusdem Dionysii caput apud S. Dionysium in Gallia monstratur. Et quis singulas impostoras enumerare posset? 4.) Ne ipsi quidem saniores pontificii diffitentur, circa illas etiam reliquias, quæ publice in templis adservantur, multas impostoras ac fraudes concurrere, id quod ipsa praxis ἀναντιῤῥήτως comprobat. 5.) *Si fragmentula crucis*, inquit Erasmus, *in acervum redigantur, vix una navis oneraria vehat.* Respondent quidem, quantumcunque inde abscindatur, nunquam tamen imminui; sed miraculi illius veritas nondum demonstrata. 6.) Nullum est altare in toto papatu, quorum tamen in tot regnis & provinciis sunt aliquot myriades, quod reliquiis careat, unde ergo illæ ortæ? & quis adserere ausit, esse omnes veras reliquias, quæ in illis altaribus adservantur?

§. CV. XI) A *multiplici superstitione, quæ in reliquiarum veneratione spectatur.* Christus in verbo ac sacramentis Dei gratiam, peccatorum remissionem, auxilium animæ & spiritualia beneficia quærenda esse docuit; superstitiosum igitur merito censeri debet, quod homines in vestibus, fasciis & ossibus sanctorum illam gratiam & virtutem quærunt. Pulcre Chrysostomus de s. Acatio: τιμὴ

1) *Ex superstitione in hoc cultu.*

τιμὴ μάρτυρος ἡ φυλακὴ τῆς πίστεως· εἰ θέλεις καὶ σὺ τιμᾶσαι τὸν μάρτυρα, τίμησον τὸν ὑπὸ μάρτυρος μαρτυρηθέντα. *Non reclamo*, inquit Lutherus, *divorum ossa sancta esse, sed hoc detestor, quod plerique omnes ex superstitione majori studio ad illa exornanda rapiuntur, quam ad proximi necessitatem sublevandam, quapropter ut abusus tollantur, & dilectionis opera proferantur, vellem terra ista sanctorum reliquias contectas esse.* Peraldus episcopus in summa virt. & vitior. tom. I. cap. de beatitudine scite sic concludit: *Si vestes, quæ tetigerunt Salvatorem, pro reliquiis habemus, cur verba, quæ ex ore ejus processerunt, pro reliquiis non habemus, cum scriptum sit, & mirabantur omnes de verbis gratiæ, quæ procedebant ex ore ejus?* Has veras & salutares reliquias merito magnificimus, his toto corde addicti sumus, relicto interim pontificiis superstitioso reliquiarum externarum cultu, qui idololatriæ fons est largissimus. Excipit Bellarminus, *cultum reliquiarum esse potius detestationem idololatriæ. Nam martyres mortui sunt, ut idololatriam destruerent, qui ergo martyris reliquias colit, indicat se gaudere de idololatriæ destructione.* Resp. sicut pharisæos *sepulcra prophetarum ædificantes* Christus adcusat Matth. XXIII. 27. quod re ipsa professi ac testati fuerint, se esse socios eorum, qui prophetas occiderint, cum nihil minus ipsi cogitarent: ita pontificios reliquias martyrum religiose colentes merito idololatriæ adcusamus, quamvis ipsi hunc cultum maximi faciant, quia omnis ἐθελοθρησκεία, omnis cultus religiosus extra & præter verbum proprio cordis arbitrio susceptus est idololatria, ut suo loco plenius confirmatum fuit.

m) *Ex absurdis & periculis, quæ cultum reliquiarum consequuntur.*

§. CVI. XII) Ex *absurdis & periculis, quæ cultum reliquiarum consequuntur.* 1.) Cum enim pleræque reliquiæ sint dubiæ & incertæ, an non gravissimum subest periculum, ne ossibus furis, latronis, imo canis ac vituli religiosus honor deferatur? 2.) Inter reliquias numerant coronam Christi spineam, scuticam, qua flagellatus est, lanceam, qua latus ejus in cruce perfossum, clavos, quibus cruci affixus est &c. iisque religiosum cultum dependunt. At hæc instrumenta corpori Christi læsionem & injuriam intulere, eccur igitur honorem religiosum illis deferre velimus? quo argumento illustrissimus dux Saxoniæ, Joannes Casimirus &c. Coloniæ anno 1610. utebatur, cum in æde D. Vrsulæ sacrificulus particulam coronæ spineæ exosculandam ipsi offerret. Stapletonus part. I. promt. cath. p. 292. *Veneratio personæ Christi etiam ad ipsam corrigiam calceamenti, & ad ipsum terræ pulverem, quem calcabat, sese extendebat Matth. III. Ps. CXXXII.* At si ex illis dictis veneratio reliquiarum probari potest, etiam ipsa terra, cui Christus in Palæstina inambulavit, religiose veneranda erit. 3.) Si instrumenta illa crudelitatis Judaicæ religioso cultu veneranda ob *sanctissimi corporis Christi contactum*, ut loquuntur, quidni etiam Judam, milites, crucifixores &c. veneramur, qui itidem corpus illud tetigere? 4.) Si quidvis, quod Christus adtigit, religioso cultu prosequendum, etiam asinus, super quo sedens Hierosolymam ingressus est, eodem modo venerandus erit. Hoc argumento utitur Claudius Hispanus, episcopus Taurinensis, qui referentibus Jona Aurelianensi libr. I. de cult. imag. & ex eo cent. Magdeburgensibus libr. IX. c. 5. f. 220. sic ratiocinatur: *Si omne lignum schemate crucis factum volunt adorare pro eo, quod Christus in cruce pependit, adorentur & præsepia, adorentur & asini, quia asello insidendo ad Hierusalem usque pervenit, adorentur agni, quia scriptum est, Ecce agnus Dei &c.* 5.) Denique, si sancti ratum & gratum habent illum cultum, qui ipsorum reliquiis defertur, consequens fuerit, eos post mortem admittere illud, quod, cum in vivis essent, recusarunt ac damnarunt. Confer Act. X. 26. XIV. 14.

n) *Ex saniorum pontificiorum confessione.*

§. CVII. XIII) Ex *saniorum pontificiorum confessione.* Erasmus in adnot. Matth. XXIII.

„Damnat b. l. Hieronymus mulierculorum quarundam superstitionem, quæ, quod olim in „phylacteriis faciebant pharisæi, id tum faciebant in parvis evangeliis & in crucis ligno, „aliisque rebus hujusmodi, quæ habent, inquit, zelum Dei, sed non secundum scientiam, culicem liquentes & camelum glutientes. Si vir sanctissimus hæc sentit de mulierculis, quarum infirmitati par erat nonnihil condonare, quid dicturus sit, si videat hodie passim ad quæstum ostentari lac Mariæ, quod honore propemodum exæquatur corpori Christi consecrato, prodigiolum oleum, fragmentula ligni crucis tam multa, ut si in acervum redigantur, vix una navis oneraria vehat, hic ostentari Francisci cucullam, illic intimam vestem Mariæ virginis, alibi pectinem Annæ, alibi caligam Josephi, alibi calceum Thomæ Cantuarienſis, alibi Christi præputium, quod cum sit res incerta, religiosius adorant, quam totum Christum. Neque vero hæc ita proferuntur tanquam fe„renda & plebeculæ donanda adfectibus, verum „huc fere summa religionis vocatur, avaritia „sacerdotum & monachorum quorumdam hypocrisi, quos alit populi stultitia. Atque in „hisce comœdiis primas agunt episcopi quidam „factitii, ne nusquam valere videantur, hæc „suis diplomatis adprobant, suis næniis ornant, tanta gravitate, ut quoties mihi legitur „istorum comprobatio, minus credam, quam „antea credebam. Quibus in rebus nisi gravis ineſſet pietatis jactura, Christus non tam „acriter in hoc hominum genus inveheretur, „cum alioquin lenis sit in peccatores.„ Idem in paraphr. super novum testamentum: "Si „quis Christi tunicam exhibeat, quo non terrarum provolaturi sumus, ut eam osculari li„ceat? Atqui ut totam Christi supellectilem „proferas, nihil erit, quod Christum expres„sius ac verius repræsentet, quam evangelicæ „literæ.„ Georgius Cassander in consult. art. XXI. p. 147. "Legimus ad loca martyrum re„liquiis insignia vota nuncupata & peregrina„tiones susceptas, quæ omnia tum utilia erant, „cum adhuc recens & certa memoria martyrum vigeret, & Deus, qui indubitatis mira„culis eos, qui mortui videbantur, sibi vive„re declararet, quibus fides, quam ipsi pro„fessi sunt, confirmabatur. Verum in hæc „paulatim abusus irrepsit; nam queritur Basi„lius, hanc consuetudinem suo tempore cor„ruptam fuisse, & temporibus Augustini & „Ambrosii mos ferendi epulas ad martyrum „memorias ab Ambrosio interdictus erat, ut „patet apud Augustinum. Posterioribus etiam „temporibus reliquiis & memoriis sanctorum „nimis indultum & tributum fuisse constat, „sic ut a bonis quoque viris pio zelo præditis „summa quasi religionis in hujusmodi conquirendis, auro & gemmis exornandis, & me„moriis seu templis sumtuosissimis ædificandis „posita putaretur, & ab improbis quoque falsa „fiducia in cultu inepto & superfluo reliquiarum collocaretur. Quare in concilio Cabi„lonensi can. XXXIV. reprehenduntur, qui „Romam aut Turonum sub prætextu adora„tionis peragrant, putantes frequentatione horum locorum se a peccatis purgari, & im„pune peccare. Accesserunt & alia mala, quod „avaritiæ causa ad simplicem populum illicien„dum falsæ reliquiæ supponebantur, & ficta „miracula prædicabantur, iisque miraculis po„puli superstitio alebatur, ut magis in admi„rationem miraculorum raperetur, quam ad „sanctorum imitationem vel vitæ emendatio„nem provocaretur. Nonnunquam autem astu „& illusione dæmonis hominum superstitione „abutentis per insomnia & visa novæ reliquiæ „revelabantur, & ejusdem operatione mira„cula edi videbantur. Hinc decretum illud „Lugdunensis concilii can. LXII. Prælati non „permittant populum vanis figmentis aut fal„sis documentis decipi, sicut occasione quæstus „fieri consuevit. Et in concilio Carthaginensi „V. can. XIV. Altaria, quæ per somnia & ina„nes revelationes constituuntur, omnino re„probari videntur. Item: permulti reperti „sunt, qui sanctorum reliquias seu falsas seu „veras quæstui habuerunt, ita ut passim a cir„cumforaneis & vilissimis hominibus instar sa„crorum undis circumferrentur, & multis men„daciis

„daciis imperito vulgo commendarentur.„ Ibidem inter abusus numerat, quod *jam olim sanctorum corpora super altaria collocarentur*, quod ab Ambrosio reprehendi dicit, & addit: „Hodie vero cum passim omnia reliquiis sanctorum plena esse videantur, verendum est, „ne si episcopi & principes in veris reliquiis „inquirendis ac dijudicandis, quam deberent, „operam adhiberent, ingentes & detestandæ „impostura patefierent, quemadmodum in „nonnullis locis factum est, & olim b. Martino accidit, qui cum locum quemdam suæ „diœcesis monumento cujusdam tanquam martyris celebrem adiisset, deprehendit, non „martyris, sed scelesti latronis monumentum „a populo cultum & frequentatum, quod everti „statim & exscindi jussit, quamvis illi quoque „probari non debeant, qui odio superstitionis „piorum hominum monumenta violarunt, & „ossa sive cineres, quibus etiam barbarissimi „homines pepercerant, summa cum ignominia abjecerunt & dispersserunt. Cum igitur „veræ & compertæ reliquiæ, præsertim in his „provinciis, perpaucæ sint, & multæ ex iis, „quæ ostentantur, non temere suspectæ haberi possint, atque illarum frequentatio & „veneratio non multum pietati, plurimum „vero superstitioni vel quæstui serviant, multo „consultius videtur, ut ab omni reliquiarum „ostentatione abstineatur, & populus ad veras „sanctorum reliquias colendas, id est, exempla pietatis & virtutum, quæ in scriptis, „vel ab ipsis, vel de ipsis exstant, imitanda „provocetur.„ Hæc Cassander. Vasquez lib. III. de adorat. disp. III. c. 8. n. 112. & 124. quærit, *an possit quis recta intentione ossa martyrum in pulverem redacta, etiam in vermes conversa colere & venerari?* ac inter cætera subjungit, *Henricum negasse, quod sancti adorandi sint in forma vermium.*

Argumenta pontificiorum pro cultu reliquiarum.

§. CVIII. Atque hæc pro confirmatione nostræ sententiæ dicta sufficiant. Restat, ut *pontificiorum argumenta*, quæ pro cultu reliquiarum stabiliendo formant, excutiamus. Ea vero trium sunt generum. Quædam, sed admodum pauca ex *scripturis*; quædam ex *conciliis, patribus & ecclesiastica historia;* quædam ex *ratione naturali* proferuntur. Bellarminus lib. II. de eccl. triumph. qui est de reliquiis sanctorum cap. 3. omnia *denario numero,* perfectionis fortassis causa complectitur. *Primum*, inquit, *argumentum sumi potest ab exemplis scripturarum*, ubi ex mendicitate sua hæc profert: 1.) Exod. XIII. *Moses discessurus cum populo ex Ægypto in Palæstinam, noluit ibi relinquere ossa s. Josephi jamdudum mortui, sed ea honorifice secum absportavit, & transtulit in terram promissionis.* Miror autem prætermissum a Bellarmino illud, quod pro confirmatione hujus argumenti ab aliis solet addi ex Sirac. XLIX. 15. *Ossa Josephi visitata sunt, & post mortem prophetarunt. Resp.* 1.) Vera causa impulsiva ac finalis illius μεταθέσεως ὀστέων non est erectio novi cultus, quasi Moses ossa Josephi in Palæstina voluerit hominibus exosculanda & religiose veneranda proponere, sed mandatum ac jussum ipsius Josephi, quod de transportandis ossibus suis ex Ægypto in terram Canaan paulo ante mortem Israëlitis dederat. Gen. L. 25. 2.) Causa illius mandati itidem non est nec esse potest, quod Josephus voluerit ossa sua religioso cultu honorari; *id enim arrogantiæ datum ipsi fuisset, ac si ipse post mortem gloriam illam quæsivisset*, ut in simili quæstione de invocatione sanctorum concludit Eccius in enchirid. cap. XV. sed quod prævidens in spiritu futuram populi Israëlitici calamitatem, eumdem hoc oraculo & ossium adservatione velut certo quodam promissæ liberationis signo externo, de complemento promissionis, videlicet de reductione in terram Canaan admonere voluit, inde epistola ad Hebr. fidei Josephi hoc mandatum tribuit XI. 22. *Fide Joseph moriens de profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandavit.* Rabanus ad allegoriam decurrens, *Joseph*, inquit, *incolatum terræ Ægypti*

1) *Exempla Scripturæ.*

1.) *Exod. XIII. ossa Josephi a Mose transportantur ex Ægypto.*

deteſtans terram repromiſſionis deſiderabat, ut quamdiu ſumus in hac peregrinatione, veram patriam terram viventium juſtis promiſſam deſideremus, & in eam transferri poſt mortem velimus. 3.) Actus ipſe translationis fuit publicum teſtimonium, impletam eſſe promiſſionem patribus factam de traditione terræ Canaan in poſſeſſionem ſempiternam. 4.) Ad oſſa illa Joſephi Iſraëlitæ variis in deſerto adflictionibus preſſi opis impetrandæ cauſa confugiſſe nuſpiam leguntur, neque eadem in Palæſtinam delata ad venerationem & cultum in ſublimi loco propoſuerunt, ſed in Sichem terræ omnium matri honorifica ſepultura demandarunt, Joſ. XXIV. 32. 5.) Quod in Siracide dicitur, *oſſa Joſephi poſt mortem prophetaſſe*, illud in Græco textu non habetur. 6.) Quod dicitur τὰ ὀστᾶ αὐτοῦ ἐπεσκέπη non eſt accipiendum *de viſitatione hominum* ad reliquias illas concurrentium, ſed *de viſitatione Domini*; diſerte enim additur, ἐπεσκέπη, ac reſpectus habetur ad prædictionem Joſephi Gen. L. 25. *Deus viſitabit vos, deportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto.* 7.) Quædam exemplaria legunt ἐπεσκέψησαν, ut ſignificetur, Iſraëlitas oſſa ſeu reliquias Joſephi diligenter adſervaſſe, ac ſi operimento aliquo munitæ fuiſſent, ſed de religioſa veneratione illis exhibita nihil quidquam additur. 8.) Vt ſilentio interim prætermittamus, librum eccleſiaſtici non eſſe in canone.

2.) *Deut. XXXIV. Deus ipſe corpus Moſis honoravit.*

§. CIX. 2.) *Deus ipſe corpus Moſis honoravit, dum illud propriis manibus ſepelivit*, Deut. XXXIV. *Reſp.* 1.) Philonis hæc eſt ſententia in lib. de vita Moſis circa finem, *pertinere ad gloriam Moſis*, quod a Domino ſepultus ſit in ſepulcro tam admirando, ut nullus hominum dignus fuerit unquam illud conſpicere. Philonem ſequuntur Epiphanius hæreſ. IX. ac Hieronymus adv. Vigilant. 2.) Ex ea vero inferri nequit, Deum voluiſſe, ut religioſo cultu Moſis ſepulcrum Iſraëlitæ venerarentur. Non enim ſequitur, Deus corpus Moſis honoravit, ergo religioſo honore & cultu ab hominibus illud honorari voluit. Ἀσυλλογίςως a genere ad ſpeciem, a non diſtributo ad diſtributum adfirmative proceditur. 3.) Invertimus proinde argumentum. Quo genere honoris Deus corpus Moſis honoravit, eodem etiam corpora & oſſa ſanctorum a nobis ſunt honoranda. Sed Deus honoravit corpus Moſis non ad religioſum cultum illud proponendo, ſed ſepeliendo & terræ mandando. Ergo eodem modo corpora & oſſa ſanctorum a nobis ſunt honoranda. 4.) Ex eo ipſo, quod Moſis ſepulcrum Deus voluerit eſſe occultum, colligi poteſt, ipſum noluiſſe religioſum honorem corpori Moſis deferri, ut latius oſtendimus ſuperius. Vide Theodoretum & Procopium in Deut. XXXIV. ubi eamdem cauſam occultati ſepulcri Moſis adferunt, videlicet ne Judæi corpus ejus utpote ducis ac legislatoris ſui divino honore colerent. 5.) De myſtica ſepulturæ Moſaicæ explicatione alibi agitur.

3.) *2. Reg. XIII. Oſſa Eliſæi mortuum quemdam hominem ad vitam revocant.*

§. CX. 3.) 2 Reg. XIII. *Oſſa Eliſæi cum tetigiſſent mortuum quemdam hominem, continuo illum ad vitam revocarunt. Non ergo Deus contemnit oſſa ſanctorum, ſed ea honorat & honorari cupit, dum per illa miraculum tam inſigne patravit. Reſp.* 1.) Ἀναχολουθία eſt manifeſta. Oſſa ſanctorum non ſunt contemnenda, ſed honoranda. Ergo religioſo illo cultu, qui in papatu viget, honoranda ſunt. 2.) Eliſæus paulo ante mortem vaticinatus fuerat de victoria Iſraëlitarum contra Syros v. 17. cum ergo poſt mortem Eliſæi eodem anno copiæ militares Moabitarum irruptionem facerent in terram Iſraël, Deus peculiari & extraordinario miraculo confirmaturus veritatem vaticinii ab Eliſæo editi, per contactum oſſium ipſius jam defuncti mortuum hominem ad vitam revocavit, unde Sir. XLVIII. 14. de ipſo dicitur: ἐν κοιμήσει προεφήτευσε τὸ σῶμα αὐτοῦ v. 15. *In vita ſua fecit prodigia, & in morte ſua opera mirabilia*; id eſt, Deus per Eliſæi jam tum mortui corpus miracula

cula edens veritatem prophetiæ illius comprobare voluit. 3.) Historia non dicit, quod ante illud miraculum religionis ergo ad sepulcrum Elisæi concursus fuerint instituti, quodque mortuum illum hominem data opera ad illud deportarint, ut contactu ossium prophetici in vitam revocaretur, sed inopinato casu mortuum illum in sepulcrum Elisæi projectum adserit, cum scilicet vellent hominem sepelire, ac supervenientibus latrunculis non haberent spatium effodiendi foveam; ne ergo cadaver insepultum hostium libidini expositum relinqueretur, aperuerunt sepulcrum Elisæi, quod erat in propinquo, inque illud וַיַּשְׁלִיכוּ, *repentino motu projecerunt* mortuum suum, qui ad fundum delapsus Elisæi ossa adtigit, ac divino miraculo revixit. Salmeronius tom. VI. operum tractat. XV. eum, qui tactu ossium Elisæi in vitam revocatus est, putat fuisse illum prophetam, qui jussit, se eo loco sepeliri. *Objiciunt* (inquit) *hæretici: Quorsum ista mortuorum ossa & cineres? quibus respondendum est, quorsum Helisæi prophetæ cadavere tacto ab alio corpore prophetæ, qui jussit se juxta illud sepeliri, ad vitam revocatum est?* sed confundit ἀπαιδεύτως duas diversas historias 1. Reg. XIII. 32. & 2. Reg. XIII. 32. 4.) Neque post editum illud miraculum Elisæi ossa e sepulcro eruta, in locum sublimem collocata, circumgestata, exosculanda, tangenda, spectanda hominibus proposita, serico exornata, candelis honorata, opis impetrandæ causa adorata &c. sed in loco suo relicta sunt usque ad resurrectionis universalis diem. 5.) Siracides cap. XLVIII. miracula Elisæi in vita & post mortem commemorans finem eorum statuit *confirmationem vaticiniorum Elisæi*, ut populus a peccatis per veram pœnitentiam ad Deum converteretur, nihil quidquam vero addit de religioso ossium ac reliquiarum cultu. Chemnitius part. IV. exam. cap. de reliq. p. 6.

a Josia rege adservari.

4.) 2. Reg. XXIII. *Ossa sancti prophetæ jubentur*

§. CXI. 4.) 2. Reg. XXIII. *Cum Josias delubra idolorum everteret, & omnem idololatriam delere vellet, tantum abest, ut reliquias sanctorum delendas esse existimaret, ut cum aliorum mortuorum ossa effodisset, & in cineres redegisset, ossa tamen sancti prophetæ ibidem reperta adservari jusserit. Resp.* 1.) Nemo nostrum dicit, veras sanctorum reliquias esse irreverenter tractandas, vel igni comburendas; sed si reliquiæ illæ pertinent ad membra corporis, honestæ sepulturæ, non religiosæ culturæ; sin ad habitus externos, & falsæ fuerint, non superstitiosæ admirationi, sed oblivioni & occultationi tradendas esse dicimus; sin veræ fuerint, eas adservandas admittimus, non ut superstitionis fomenta, sed ut piæ memoriæ monumenta. 2.) Invertimus argumentum: Josias ossa illius prophetæ non jussit effodi, ac ex loco idololatrarum sepulcris contaminato in locum digniorem transferri, multo minus ad religiosum cultum ostentari ac circumgestari, sed eadem in loco illo intacta & immota relinqui. Contrarium faciunt Romanenses, qui sanctorum ossa ex sepulcris suis eruta cultus causa alio transferunt. 3.) Israëlitæ non leguntur ad illas reliquias peregrinationes & cultus instituisse, aut opis impetrandæ causa, ut concilium Tridentinum loquitur, ad eas confugisse.

5.) *Esa. XI. Sepulcrum Messiæ erit gloriosum.*

§. CXII. 5.) *De sepulcro Domini legimus* Esa. XI. Erit sepulcrum ejus gloriosum; *quod non intelligi solum de sepulcro pro eo tempore, quo ibi Christus jacebat, sed etiam pro tempore futuro, ac proinde reliquias honorandas docet* Hieronymus in epist. ad Marcellam. *Resp.* 1.) In Hebræo est, & erit מְנֻחָתוֹ, *requies ejus gloria*, quo modo etiam LXX interpretes reddiderunt, quod multo latius patet, quam sepulcrum; quidquid enim mortem Christi ac laborem ejus in cruce secutum est, *fuit gloria*, id est, gloriosum. Glorioſa fuit ejus *mors* propter miracula eamdem consecuta, tremuit enim terra, petræ sunt diffissæ, monumenta aperta. Glorioſa fuit ejus *sepultura*, quia a Nicodemo & Josepho corpus aromatibus conditum & sin-

done obvolutum, in monumentum novum, in petra excisum, honorifice fuit depositum. Glorioſus fuit ejus ad *inferos deſcenſus*, glorioſa *reſurrectio*, glorioſa *adſcenſio* & ad *dextram Dei exaltatio*, glorioſum eſt ejus *regnum* in omnes gentes propagatum, Hebr. II. 9. Vid. Cyrillus & Procopius in comment. illius loci. 2.) Quidam referunt ad eccleſiam ex gentibus collectam, in qua Chriſtus habitat & *requieſcit*, Pſal. CXXXII. 14. illa eſt glorioſa non celebritate mundana & terreſtri, ſed claritate ſpirituali ac cœleſti, quæ interpretatio confirmatur ex eo, quod Paulus Rom. XV. 12. hunc verſiculum propheticum ad vocationem gentium ad eccleſiæ conſortium adcommodet. 3.) Hieronymus per *quietem* μετωνυμικῶς intelligens locum quietis ſive ſepulcrum, fatetur ita ſe reddidiſſe, ut ſenſum potius, quam vocem ſpectaverit, quam verſionem non omnino repudiamus, ſed addimus, 4.) quod gloria ſepulcri dominici non conſiſtat in ſuperſtitioſa faſcium ſepulcralium veneratione, vel in peregrinatione ad illud opinione cultus ſuſcepta, ſed in fideli mortis, ſepulturæ ac reſurrectionis dominicæ commemoratione, qua ſummum Chriſti amorem, ex quo propter nos & noſtram ſalutem paſſus, mortuus ac ſepultus eſt, grata mente prædicamus, & beneficia ipſius paſſione, morte, ſepultura & reſurrectione parta vera fide nobis adplicamus. 5.) Si gloria ſepulcri Dominici in externo & ſuperſtitioſo illo honore conſiſteret, apoſtoli ac viri apoſtolici eumdem minime prætermiſiſſent, nec Deus ſub Turcarum poteſtatem locum ſepulcri redigi paſſus fuiſſet. 6.) Interim mirabilem Dei providentiam ac potentiam in eo agnoſcimus, quod ſepulcrum Chriſti, in medio hoſtium ejus ſitum, ab ipſis Turcis excolitur, & gentes illæ immanitate barbaræ ac truculentæ ad illud accedunt, quodque cœnobium chriſtianorum ibidem permittunt, in quo Chriſti laudes in medio hoſtium ejus perſonant.

6.) *Matth. IX. Hæmorrhoiſſa tangit vel. a Chriſti.*

§. CXIII. 6.) *Si Chriſtus hic adeſſet, & nos veſtem ejus devote oſcularemur, continuo nos Lutherus & Calvinus idololatras dicerent, ac mulier hæmorrhouſa ſolam fimbriam Chriſti fideliter tetigit & ſanata eſt*, Matth. IX. Idem argumentum urgent Coſterus part. I. concion. p. 633. Stapletonus in promt. cath. part. I. p. 292. Janſenius in concord. evang. cap. 34. p. 219. Gregorius de Valent. contra Heerbrandum & reliqui omnes. *Reſp.* 1.) Hiſtoria evangelica non de religioſo fimbriæ oſculo, ſed de fideli ejus contactu mentionem facit, hactenus igitur in exemplo eſt diſſimilitudo. 2.) Hæmorrhouſa non ex *ſuperſtitione* veſtem tetigit, ut Danæus part. IV. chriſtian. iſag. lib. II. cap. 9. ſtatuit, ſed ex *vera fide*, ut ſcilicet virtutis illius, *quam ab ipſo exire audiverat*, particeps redderetur, quia ut Lucas VI. 19. teſtatur, *omnis turba quærebat eum tangere, eo quod virtus ab illo exibat, & ſanabat omnes.* 3.) Neque tamen in ipſam fimbriam veſtimenti, ſed in Chriſtum collocavit ſuam fiduciam. Athanaſius in lib. quod duæ naturæ in Chriſto: *Mulier illa, quæ Chriſti fimbriam tetigit, non in fimbria, ſed in ejus, qui toga veſtitus erat, & cujus erat fimbria, inviſibili potentia ſpem ſuam comperta eſt collocaſſe.* 4.) Nec fimbria ipſa in ſe ac per ſe vim illam ſanandi ἐνεργητικὴν habuit, ſed adſumta Chriſti caro fimbria veſtita & amicta; cum non ex fimbria, ſed παρὰ χριστῷ virtus illa dicatur exiiſſe Lucæ VI. 19. cumque Chriſtus ἐξ αὐτῷ καὶ ἀπ' αὐτῷ, *ex ſe ipſo* virtutem exiiſſe adſerat Marc. V. 30. Luc. VIII. 46. inde recte quis dixerit, *virtutem Domini* ſanaſſe ἐνεργητικῶς, *fidem mulieris* ὀργανικῶς, Matth. IX. 22. Marc. V. 34. Luc. VIII. 48. *fimbriam* ſeu contactum fimbriæ συμβολικῶς. 5.) Extraordinarium ac plane ſpeciale fuit, quod Chriſtus per fimbriæ contactum velut per *externum quoddam ſymbolum* virtutem ſanandi exſerere voluit, quemadmodum virga Moſis in miraculis edendis Deus olim uſus fuit, Exod. IV. 3. unde etiam contactus fide deſtitutus non obtinuit a Chriſto ſanitatem vel aliud beneficium, Marc. V, 31. Luc. VIII. 45. Perſonale autem factum non poteſt exhibere generale fiduciæ fundamentum. 6.) Sic ergo concludimus: Symbolum miraculoſæ

culosæ sanationis externum non debet religioso honore coli, alias peccassent Israëlitæ, quod virgæ Mosaicæ, & Elisæus, quod pallio Eliæ cultum illum minime detulissent. Jam vero fimbria Christi & ejus contactus fuit duntaxat externum miraculosæ sanationis symbolum. Cum enim mulier illa fide heroica peculiari Spiritus sancti instinctu & impulsu statueret, tantam esse Christi potentiam, ut per quodvis etiam minimum efficacissime agere & sanitatem conferre queat, ideo in confirmationem illius fidei Christus fimbria sua velut symbolo quodam ad miraculosam sanationem uti voluit; unde postmodum non dicit, *fimbria mea te salvam fecit*, sed *fides tua*, qua in me ac potentiam & bonitatem meam omnem cordis fiduciam collocasti. 7.) Id ipsum probat praxis apostolorum. Audiverant apostoli ac reliqui testes hujus miraculi, per contactum fimbriæ Christi hæmorrhoussam miraculose fuisse sanatam, num vero propterea fimbriam ipsam religioso cultu prosecuti fuere? minime vero, sed Christum miraculi auctorem unice celebrarunt, ac divinum honorem ei detulerunt. 8.) Sed nec eadem omnino ratio vestimenti, quo Christus velut symbolo ad hoc miraculum usus est, cum reliquiis sanctorum; illo enim Christus erat indutus ac vestitus, ideo ad demonstrationem divinæ suæ potentiæ eodem in miraculosa sanatione uti voluit. Sed de reliquiis sanctorum dici nequit, quod sint vestimenta Christi, ac si vel maxime ex vestimentis Christi quædam reliquiæ adhuc superessent, eæ tamen non amplius Christum amicirent, ut in diebus carnis factum; ergo si quis divinam aliquam virtutem adhuc hodie illis tribuere vellet, perinde foret, ac si quis virgæ Mosaicæ virtutem operandi miracula tribueret, Mose jam defuncto, & non amplius eadem ut organo ad θαυματεργίαν utente. 9.) Si a vestimento Christi ad reliquias sanctorum argumentari licet, poterimus etiam sanctis omnipotentiam tribuere propter beneficia, quæ a reliquiis ipsorum proficiscuntur, sicut Christo recte tribuimus omnipotentiam propter miraculosam illam sanationem hæmorrhoussæ per vestimenti contactum præstitam. 10.) Patres hanc historiam evangelicam diligenter explicant, sed nullus eorum ad reliquiarum cultum eam adcommodat. Athanasius serm. IV. contra Arianos pag. 244. ad vivificam carnis Christi virtutem probandam adplicat. *Ea*, inquit, *opera, quæ sunt propria Verbi, qualia sunt mortuos excitare, cæcis visum restituere, hæmorrhoussam sanare, ea omnia corporis ministerio peragebantur.* Cyrillus lib. IV. in Levit. per vestem intelligit *carnem Christi*, atque huc adplicat legem Lev. VI. 18. *Nemo tangat carnes sacrificii, nisi sit sanctificatus*; & concludit: *Non agamus cum nuda deitate, quæ est ignis consumens, sed fide manducemus carnem Christi, quæ in sacramento nobis datur.* Eodem modo adplicat Ambrosius: *Vestimentum Domini*, inquit, *est Christi caro, cujus adspectum nobis subduxit, reliquit autem certitudinem præsentiæ dicens: Comedite.* Chrysostomus hom. LI. in Matth. *Tangamus fimbriam vestimenti ejus, imo vero totum ipsum. Si enim volumus, non vestis solum, sed corpus ipsius propositum est nobis, non ut tangamus solummodo, sed ut comedamus & saturemur. Adeamus ergo Christum singuli ægrotantes magna cum fide. Nam si qui fimbriam vestimenti ejus tunc tetigerunt, recte omnes valuerunt, quanto magis corroborabimur, si totum in nobis habebimus.* Hæc adcommodatio vestium Christi ad verbum & sacramenta scripturis sacris est congrua, quia Christus in verbo & sacramentis suam gratiam & animæ nostræ medicinam nobis offert, illis sese quasi vestivit, in illis vult quæri & inveniri, Rom. X. 6. In baptismo habemus vestimentum salutis, quod non tantum adtingimus, sed etiam vera fide induimus, Esa. LXI. 10. in sacra cœna carnem ipsius, quam *personaliter* sibi univit ac induit, non tantum tangimus, sed manducamus ad vitam æternam, Joh. VI. 54. hæ sunt veræ & indubitatæ Christi reliquiæ, in quibus tuto ac certo salutem animæ nostræ quærimus. Confer Mehlfurerum decad. VI. vindic. evang. disp. IX. thes. 90.

§. CXIV.

§. CXIV. 7.) Act. V. 15. *Non sunt reprehensi populi, qui certatim ad umbram Petri *) eo modo, quo poterant, adtingendam concurrebant, sed potius fidei suæ præmium retulisse dicuntur, & tamen quæ reliquiæ viliores ipsa umbra excogitari possunt? Neque habiti sunt* Act. XIX. 12. *superstitiosi, qui Pauli sudaria & semicinctia deferebant ad ægrotos, sed potius religionem illorum miraculis confirmabat Deus.* Idem argumentum urgent Salmeronius tom. VI. tract. XV. Cotterus part. I. concil. pag. 636. *Resp.* 1.) Vmbra Petri & sudariis ac semicinctiis Pauli in miraculorum operatione Deum fuisse usum legimus, sed externis illis symbolis propterea divinum honorem ac religiosum cultum a piis exhibitum fuisse nuspiam legimus. Est ergo in argumento *fallacia consequentis.* 2.) Nec Petrus, nec Paulus permittere voluerunt, ut coram ipsis homines prociderent, ac majorem quam civilem reverentiam ipsis exhiberent, Act. X. 26. XIV. 14. quanto minus umbræ & semicinctiis suis religiosum cultum propterea deferri passi fuissent, quod in miraculorum operatione Deus libere his symbolis uteretur. 3.) Ab umbra Petri viventis & sudariis Pauli itidem viventis, docentis ac miracula virtute Christi operantis, ad incertas defunctorum sanctorum reliquias argumentum ducere, est *funiculum ex arena nectere.* Est ergo in argumento fallacia ἑτεροζητήσεως. 4.) Quod per umbram Petri ac sudaria Pauli factum legitur, fuit prorsus singulare, personale & extraordinarium, quo Deus doctrinam evangelii, quam prædicabant, confirmare, & hostes, ne violentas manus ipsis injicerent, cohibere voluit. Act. V. 12. *Per manus apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe.* v. 13. *Cæterorum autem nemo se audebat illis conjungere.* XIX. 11. *Virtutes non vulgares faciebat Deus per manum Pauli.* Ex eo vero generale aliquod religiosi cultus fundamentum peti nequit, cum nequaquam fine eo miracula per umbram Petri & semicinctia Pauli facta sint, ut homines ad illorum cultum invitarentur. Est igitur in argumento *fallacia finis.* 5.) Miraculorum donum fuit ecclesiæ apostolicæ ac primitivæ proprium; quod autem postremis hisce ecclesiæ temporibus a reliquiis sanctorum exspectanda vel expetenda sint miracula, de eo ex verbo Dei nulla adferri potest promissio. Confer tract. de eccles. §. 275. 6.) Si apostoli, dum viverent, non potuerunt pro suo arbitratu miracula edere, sed a liberrimo Dei beneplacito ipsis hac in re semper fuit unice pendendum, multo minus ordinaria ac perpetua quædam vis miracula operandi ipsorum reliquiis est adscribenda. Sed verum illud, Phil. II. 25. Ergo & hoc.

7.) *Act. V. Vmbra Petri, & Act. XIX. sudaria & semicinctia Pauli sanant ægrotos.*

§. CXV. Hisce scripturæ dictis & exemplis a Bellarmino adductis alii scriptores pontificii etiam hæc addunt: 1) Quod *Jacobus patriarcha non in Ægypto, sed in terra Canaan sepeliri voluerit,* 1.) *Gen. XLVII. Jacob voluit sepeliri in terra Canaan, non in Ægypto.* Cæterum, licet ægri isti, quorum meminit scriptor sacer *Act. V. 15.* umbræ apostoli Petri vim quandam sanandi ineisse falso sibi persuaserint, nihilo tamen minus servator optimus, paterna ductus indulgentia, eorum potius fidem, quam superstitionem, ex simplicitate quadam profectam, benigne respiciens, sanavit, prout patet ex adleg. *cap. act. comm. 6.* Qui plura hanc in rem legere voluerit, adeat Christoph. Avg. Hevmanni disput. *de superstitione veræ fidei innocuæ admixta, §. VII.* atque ejus *Erklärung des neuen Testaments, part. V. ad Act. V. 15. p. 211. seqq.* Idem dicendum de iis, qui sudaria & semicinctia apostoli Pauli ad ægrotantes attulerunt, iisdemque vim quandam sanandi ineisse, ex superstitiosa quadam simplicitate existimarunt. Vid. *Act. XIX. 12.*

Dicta scripturæ ab aliis pontificiis adducta.

(*) De umbra Petri morbosos sanante peculiarem disputationem scripsit Jo. Joachimvs Krakewizivs, quæ Rostochii MDCCIV. prodiit. De eodem argumento commentati quoque sunt duumviri doctissimi, Carolvs Godofr. Engelschallivs, aulæ Dresdensis quondam concionator, cujus dissertatio *de umbra Petri tomo I. analectorum, e societate caritatis,* Lipsiæ ann. *MDCCXXV.* evulgatorum exstat, ac Petr. Zornivs, cujus de eadem materia commentatio *miscellaneis Groninganis tom. II. p. 391. seqq.* inserta legitur.

peliri in terra Canaan.

luerit, Gen. XLVII. 29. ex quo colligunt, *translationem reliquiarum exemplo patriarcharum esse comprobatam. Resp.* non de translatione, sed religiosa veneratione reliquiarum potissimum hoc loco quæritur. Corpora vel ossa defunctorum ex uno loco in alium transferri non improbamus, si ex causa quadam rationabili, non autem ex superstitione illud fiat. Sic David *ossa Saulis & Jonathæ*, quæ cives Jabes Gilead in nemore Jabes sepelierant, in terram Benjamin translata patrio sepulcro intulit, 2. Sam. XXI. 14. sic adhuc hodie corpora magnatum, præsertim extra provinciæ & regni sui fines mortuorum, in sepulcrum patrium deferuntur ex causa quadam politica. Quæ vero causa fuerit, propter quam Jacob in Ægypto sepeliri noluerit, sed accepto a filiis juramento in terram Canaan corpus suum transferri jusserit, interpretes plurimum variant. Quidam adsignant causas falsas, quidam veras. Rabbi Salomon Jarchi in Gen. XLVII. negatur, *Jacobum ideo recusasse sepulturam in Ægypto, quod prophetico spiritu præviderit e pulvere Ægyptiaco nascituros pediculos*, Exod. VIII. 16. *a quibus corpus suum corrodi noluerit.* Deinde notum quoque fuisse Jacobo addit, quod *Israëlitæ extra terram Canaan sepulti non resurrecturi sint a mortuis, nisi per occultos quosdam meatus terræ ingenti cum cruciatu in terram usque promissam fuerint devoluti.* Denique Jacobum cavere voluisse, *ne Ægyptii ad idololatriam proni corpus suum insiar numinis colerent.* Eadem fere repetit liber, cui nomen *Tanchuma*, qui continet explicationem pentateuchi, in sectione וַיְחִי יַעֲקֹב: *Quare patres*, inquit, *tantopere cupiverunt in terra Canaan sepeliri? quia mortui & sepulti in terra Canaan primo resurgent in diebus Messiæ. Dixit Rabbi Hanania: Qui extra regionem Canaan moritur, & sepelitur, duas mortes sustinere cogitur, quarum una est animæ a corpore separatio, altera vero, quod extra Canaan sepultis facit Deus subterraneos meatus & pervias scrobes, per quas in terram usque Israëlis promissam & sanctam corpora illorum magno labore & cruciatu penetrant, quo superato Deus spiraculum vitæ illis inspirat, ut resurgere queant.* Sed hæc somnia confutatione non sunt digna. Bellarminus lib. I. de purgat. cap. 4. putat, patriarchas ideo optasse sepeliri in terra sancta, *ut fierent participes precum ac sacrificiorum, quæ ibi offerebantur.* Sed de hac hypothesi, an defuncti vivorum suffragiis juventur, dicemus postea. Veræ causæ, propter quas Jacob non in Ægypto, sed in terra Canaan sepeliri voluit, potissimum sunt quatuor: 1.) *Terræ illius promissio*, quam causam in simili mandato exprimit Josephus Gen. L. 24. Theodoretus quæst. CVII. in Genes. *Quare Jacob sepeliri mandavit corpus suum in Hebron? non quod de sepultura valde solicitus esset, ut quidam putarunt, sed ut familiam suam consolaretur, ac doceret, Dominum Deum traducturum illos omnes ex Ægypto, & daturum illis terram promissam.* Voluit igitur Jacobus animos suorum in prosperis ab Ægypti opibus ac vitiis avellere, ne paterentur se Ægypti dulcedine inescari, sed ad promissam terram perpetuo adspirarent; in adversis vero consolationem id promissione liberationis ipsis propositam instillare. 2.) *Ecclesiæ conjunctio.* Hanc causam exprimit ipse Jacobus v. 30. *dormiam cum patribus meis;* quibus fidei unitate conjunctus fuerat in vivis, illorum etiam sepulcris post mortem corpore jungi voluit, unde scriptura de eo notanter adserit, quod in morte *adpositus fuerit ad populum suum*, Gen. XLIX. 33. 3.) *Messiæ exspectatio.* Augustinus quæst. 161. in Genes. *Vbi sepelienda erant quæso corpora patriarcharum depositionem peccatorum significantia, nisi in ea terra, ubi ille crucifixus est, cujus sanguine est facta remissio peccatorum? mortibus enim patriarcharum peccata hominum figurata sunt. Dicunt autem ab eo loco, quod Abrahamium vocatur, ubi sunt illa corpora, abesse locum, ubi crucifixus est Dominus, fere tripinta miliaribus, ut etiam ipse numerus significari intelligatur, quia in baptismo adparuit ferme triginta annorum &c.* 4.) *Sperata cum Christo resu-*

resuscitatio. Lyranus existimat, Jacobum in spiritu prævidisse, Christum in terra Canaan non tantum nasciturum, passurum, moriturum ac resurrecturum, sed etiam multos ex mortuis una cum ipso resuscitandos, ac speransse, se in illorum numero futurum. Matth. XXVII. 52. Rupertus addit causam allegoricam: *Jacob exemplum vivis dedit mortuus, ut in spe patriæ cœlestis pignus amarent æternæ hæreditatis*, hoc est, Jacobus voluit sepulcrum suum posteris in terra Canaan habituris esse μνημεῖον fidei, pietatis, virtutis, ad cœlestem patriam, cujus typus erat Canaan, adspirantis & anhelantis.

2.) 1. *Reg. XIII. & Dan. VI. Irrationales creaturæ sanctorum corporibus pepercerunt.*

§. CXVI. II) *Irrationales creaturæ sanctorum corporibus pereisse leguntur, ut prophetæ inobedientis*, 1. Reg. XIII. 24. *Danielis*, cap. VI. 22. Hoc argumento utitur Costerus in enchirid. cap. 15. *Resp.* 1.) Nemo nostrum dicit, quod corpora sanctorum sint contumeliose ac inhoneste tractanda, vel in ea sæviendum, sed honorifice ea tractanda esse asserimus. 2.) At ex honore, qui corporibus sanctorum olim præstitus fuit, vel adhuc præstari debet, inferri nequit specialis ille honor, in religiosa veneratione reliquiarum consistens. 3.) Miraculo divino factum, ut leo prophetam occideret, non tamen corpus ejus devoraret, interim diserte dicitur, quod *illud confregerit* v. 26. 4.) Danieli adhuc vivo pepercerunt leones, nos hic quærimus de reliquiis defunctorum, est igitur argumentum a quæstione alienum.

3.) *Sir. XLVI. Ossa eorum pullulent de loco suo.*

III) Sirac. XLVI. 14 XLIX. 12. de sanctis dicitur, *ossa eorum pullulent de loco suo. Resp.* memoriam sanctorum Siracides reverenter ibidem celebrat, nequaquam vero addit, ossa eorum esse eruenda, ad cultum in sublimi locanda, religiose adoranda, sed relinquit ea in sepulcris, ac propter spem beatæ resurrectionis de illis dicit, *quod pullulent seu revirescant de loco suo*, quæ phrasis desumta est ex Esa. LXVI. 14. *Ossa vestra tanquam gramen germinabunt.* Invertimus igitur argumentum. Ossa sanctorum pullulabunt *de loco suo.* Ergo in sepulcris usque ad diem glorioſæ resurrectionis sunt relinquenda.

4.) *Act. VIII. Super Stephanum fecerunt planctum magnum.*

IV) *Super Stephanum fecerunt planctum magnum*, Act. VIII. 2. Hunc locum pro veneratione reliquiarum adducunt Jesuitæ Moguntinenses in disp. de reliquiis anno 1605. habita. *Resp.* at quis non videt, quantum interſit inter planctum in funere ex humanæ miseriæ consideratione, & cultum reliquiarum ex superstitione?

II) *Ex conciliis*, & III) *ex patribus.*

§. CXVII. *Secundum* argumentum petit Bellarminus ex *conciliis* ac *tertium* ex *patribus. Resp.* 1.) Scriptura sacra est cultuum Deo placentium unica norma ac regula, quæ ob id etiam *canonica* adpellatur. 2.) In primitiva & antiquissima ecclesia apostolicis temporibus vicina cultum ejusmodi reliquiarum, qualis in papatu hodie viget, usitatum fuisse nunquam demonstrari poterit. 3.) Conventus ecclesiastici in illis locis, ubi insignium martyrum reliquiæ humatæ erant, primitus instituti fuerunt, non ob religiosum ipsarum reliquiarum cultum, sed tum *ad memoriam eorum, qui ante certarunt*, tum *ad futurorum exercitationem ac præparationem*, ut loquitur ecclesia Smyrnensis in ep. de martyr. Polyc. apud Eusebium lib. IV. cap. 15. h. e. ut superstites exemplo martyrum ad fortiter suscipienda & constanter perferenda pro Christi nomine supplicia incitarentur. 4.) *Translationes* reliquiarum tempore Constantini magni in ecclesia primum frequentari cœptæ, non statim cum superstitioso illo cultu, qui pontificiis hodie usitatus est, conjunctæ fuerunt, sed susceptæ sunt propter commonefactionem de spe futuræ resurrectionis & glorificationis, itemque propter excitationem ad imitandas sanctorum virtutes, fidem, patientiam, constantiam &c. Chrysostomus serm. in Babylam. *Post sermonis facultatem ipsa certe sanctorum sepul-*

cra

era proximum locum obtinent ad animos hominum in ipsos sanctos intuentium ad virtutum earumdem æmulationem excitandos. 5.) Nicephorus lib. III. hist. cap. 19. de ossibus Ignatii martyris scribit, quod *longo post ipsius obitum tempore* Roma Antiochiam sint translata; fatetur igitur in antiquissima ecclesia translationem illam nondum fuisse receptam, multo igitur minus superstitiosam venerationem. 6.) Theodoretus dial. III. recte scribit: *Non ego dogmatum & decretorum regulam ea duco, quæ in ecclesia panegyrice ac declamatorie dicuntur.* 7.) Nec ea, quæ patres temporibus suis liberius indulserunt, regulam cultus constituere possunt. Augustinus in epist. CXIX. *Propter vitanda nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala se liberius quædam non improbare* scribit. Idem lib. II. de civ. Dei cap. 8. *Quidam terram sanctam Hierosolymis adlatam in cubiculo suo suspenderat, ne quid mali etiam ipse pateretur, cum maligni spiritus domum infestarent. Cumque domus ab illa infestatione purgata esset, cogitavit, quid de terra illa fieret, quam diutius in cubiculo suo reverentiæ causa habere nolebat. Accersivit episcopos proximos, petivit, ut terra illa alicubi infoderetur, atque ibi orationum locus fieret. Non restitimus, factum est.* 8.) Concilium Nicænum II. confirmavit εἰκονολατρείαν, quid mirum, quod etiam confirmaverit σκελετολατρείαν? derogatum autem illi fuit per concilium Francofurtense. 9.) Gangrense concilium non confirmat religiosum reliquiarum cultum, sed damnat eos, qui *memorias martyrum*, hoc est, loca, ubi sunt martyrum reliquiæ, *exsecrantur.* Sic enim habent verba canonis: *Si quis per superbiam tanquam perfectum se existimans, conventus, qui ad memorias martyrum fiunt, abominatur, & ministeria, quæ in eis fiunt, simul cum eorum memoriis exsecratur, anathema sit.* Vt enim ex præfatione illius concilii intelligitur, quidam privata conventicula in ædibus celebrabant, & loca sanctorum martyrum contemnebant, & eos, qui illic conveniunt, reprehendebant. 10.) Idem judicium esto de illis conciliorum decretis & patrum dictis, in quibus reliquiæ sanctorum dicuntur *honorandæ, non contemnendæ, non immundæ ducendæ, non in sterquilinium projiciendæ &c.* at ex his omnibus nondum inferri potest, quod religioso cultu honorandæ sint; proinde sunt a proposita quæstione aliena.

§. CXVIII. *Quartum* argumentum producit Bellarminus ex *miraculis ad reliquias factis, quæ non fierent, si Deo cultus reliquiarum non placeret. Quintum* petit ex *miraculis, quæ sæpe in ipsis mortuis corporibus cernuntur, per quæ Deus apertissime nos ad eorum venerationem quasi invitare videtur.* *Resp.* 1.) Miracula illa non sunt facta ad confirmandum cultum præter & extra verbum institutum, sed ad testificandam & confirmandam illam fidem Christi, pro cujus confessione martyres sanguinem suum fuderunt. 2.) 2. Reg. XIII. 21. commemoratur, quod mortuus in sepulcrum Elisæi projectus, cum ejus ossa tangeret, divino miraculo revixerit; neque tamen ibidem additur, quod ossa illa religioso cultu fuerint honorata. 3.) De miraculis illis Augustinus lib. XXII. de civ. Dei cap. 8. merito pronunciat, quod *non tanta ea commendet auctoritas, ut sine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis christianis fidelibus a fidelibus indicentur.* 4.) Ecquis enim fide prorsus indubitata amplectetur ea, quæ Nicephorus & alii recentiores de miraculis in reliquiis ac per reliquias editis referunt? De translatione reliquiarum Chrysostomi scribunt, *eas primo non potuisse moveri, Theodosium vero scripsisse epistolam ad Chrysostomum, quæ cum posita esset super ipsius pectus, motum fuisse tumulum, & corpus Chrysostomi ante annos 35. mortui, cum in throno episcopali collocatum fuisset, dixisse: Pax vobis.* De corpore s. Andreæ referunt, quod *liquor mirificus ex eo perpetuo fundatur.* De s. Agnete Bellarminus h. l. narrat, quod *cum ad corpus ejus visendum & venerandum Catharina Senensis accessisset, plu-*

IV) *Ex miraculis ad reliquias factis.*

V) *Ex miraculis in corporibus sanctorum.*

via cœlestis roris instar mannæ supra utramque divinitus descenderit, ac quod *suavissimus liquor instar balsami ex eo corpore manare cœperit, cum Politiani de eo aromatibus condiendo cogitarent.* Baronius ad annum 805. num. 5. memorat, *ursum ab imperatore Carolo in venatione fugatum ad lipsana sacræ virginis Morsellam in templo Salvatoris decurrisse, ac refugium sibi apud ea quæsivisse.* Similia miracula referuntur in historia Lombardica, discipulo de tempore & aliis hujus furfuris scriptoribus nugivendulis. (*)

VI) *Ex revelatione sanctorum corporum.*

§. CXIX. *Sextum* argumentum desumit ex *inventione & revelatione sanctorum corporum divinitus facta. Si enim cultus reliquiarum Deo non placeret, cur ipse servis suis corpora sanctorum, quæ latebant, ostenderet? Resp.* 1.) Deus ipse prohibuit, ne ex revelationibus instituerentur novi cultus in ecclesia. Deut. XIII, 1. *Si surrexerit in medio tui propheta vel somnians somnium, & dederit tibi signum vel portentum*, v. 2. *& venerit signum & portentum, quod locutus est tibi, dicens: Eamus post deos alienos, quos non nosti, & serviamus eis*; v. 3. *non obedies verbis prophetæ illius, vel somniantis somnium &c.* Esa. VIII, 19. *Cum dixerint ad vos: Quærite a pythonibus & a divinis, qui garriunt & loquuntur. Itane populus hic Deum suum requiret, pro vivis requirendo mortuos?* v. 20. *Ad legem & testimonium, si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Luc. XVI, 29. *Habent Mosen & prophetas, audiant illos.* Gal. I, 8. *Licet nos aut angelus de cælo evangelizet vobis præter id, quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* 2.) Ex his dictis desumta est regula Gersonis: *Suspecta est omnis revelatio, quam non probat lex cum evangelio.* 3.) In concilio Carthaginensi V. cap. 14. conqueruntur patres, *per*

(*) In hancce classem, præter multos alios, fortassis haud immerito a quibusdam referuntur scriptores nonnulli Jansenii partibus in Gallia addicti, qui miracula a diacono quodam Parisiensi, illustri genere nato, cui nomen erat Francisvs Paris, post mortem edita, magno studio collegerunt, eorumque veritatem testimoniis undique conquisitis comprobare annisi sunt. Mortuus est diaconus iste, vir supra omnem modum superstitiosus, qui fame variisque cruciatibus sponte sibi mortem conscivit, Parisiis anno *MDCCXXVII.* atque in cœmeterio St. *Medardi* sepultus. Mira sunt, quæ de prodigiis, ad ejus sepulcrum factis, in scriptis quibusdam gallico sermone editis copiose enarrantur, ab aliis tamen subinde refutantur. Præcipuus vero scriptor, qui eorum defensionem in se suscepit, fuit Montgeronivs, senator Parisiensis. Edidit is sermone gallico librum tribus voluminibus in 4. comprehensum, hacque insignitum inscriptione: *la vérité des miracles operés par l'intercession de Mr.* de Paris *& autres Apellans* par Mr. Carré de Montgeron. Tertia operis hujus editio, splendidissimis exornata imaginibus, quin & additamentis quibusdam adaucta, prodiit Coloniæ (seu potius Vltrajecti) anno *MDCCXLVII.* Equidem jam ante Montgeronium ipse cardinalis Noaillvs, archiepiscopus Parisiensis, miracula Parisii pro veris declarare haud dubitavit, quin & eorum veritatem explorari ac confirmari suscepit. Verum longe aliter hac de re judicavit, qui post obitum hujus archiepiscopi in ejus locum successit Vintimillivs, eoque rem perduxit, ut armata manu aditus ad sepulcrum Parisii, anno *MDCCXXXIII.* intercluderetur. Nimis longum atque ab instituti nostri ratione alienum foret, si omnes istos libellos, qui modo ad oppugnanda, modo ad defendenda Parisii miracula fuerunt conscripti magnoque numero editi, recensere hic vellemus. Sufficiat, generatim hoc adnotasse, ex miraculis Parisii novam fanaticorum gentem prodisse, quæ a corporum jactationibus *convulsionariorum* nomen fortita est, atque ex scriptis, quæ eorum occasione lucem adspexerunt publicam, cumprimis sequentia notatu digna esse: 1) *examen critique, physique & theologique de l'oeuvre des convulsions & des caractéres divins, qu'on croit voir dans les accidens des convulsions*, Paris. ann. MDCCXXXIII. 4. 2) des Voeux *lettres sur les miracles* ann. MDCCXXXV. 3) *critique generale du livre de Mr. de Montgeron.* Amstel. MDCCXL. 4) Moshemii *inquisitionem in veritatem miraculorum Francisci de Paris, seculi nostri thaumaturgum*, quæ voluminis III. *dissert. ad historiam ecclesiasticam Specklantium p. 318 seqq.* inserta legitur; 5) Jac. Vernetti, theologi Genevensis doctissimi, *commentar. de veritate religionis christianæ*, ex gallico idiomate a clariss. Heyde in germanicum conversum, *sect. XXII—XXIV. p. 841—891.* 6) cel. C. G. F. Walchii *compendium historiæ ecclesiast. recentissimæ, cap. V. sect. VII. §. XIV—XVI p. 301.* ubi & alia scripta huc spectantia indicantur. Jungi tamen omnino meretur Godofr. Lessii, theologi Goettingensis præstantissimi, *Beweis der Wahrheit der christl. Religion p. 480-549.*

per somnia & inanes quasi revelationes ubique constitui altaria tanquam memorias martyrum. Et decernunt, *evertenda esse altaria, ubi non certæ martyrum reliquiæ conditæ fidelissima origine probantur.* 4.) Ex inventione & revelatione sanctorum corporum non potest inferri religiosus eorum cultus; sed legitimus duntaxat eorumdem honor. Est igitur in argumento fallacia consequentis & finis. 5.) Ambrosii epistola, quæ in tomis Surii refertur *de revelatione corporum Gervasii & Protasii*, est supposititia, cum in operibus Ambrosii non habeatur. Adde, quod in illis ipsis epistolis, quæ in Ambrosii tom. III. habentur, multæ sint supposititicæ, fatente Baronio tom. III. annalium anno 388. num. 7. & ipsomet Bellarmino in lib. de scriptoribus eccl. in cap. de Ambrosio, ac lib. II. de bon. operib. in particul. cap. 15. Idem judicium esto *de epistola Luciani*, in qua significat, sibi divinitus revelata corpora sanctorum, Stephani, Nicodemi & aliorum, quæ exstat apud Lipomanum & Surium die 3. Augusti, ut apud Baronium anno 415. num. 6. Beda enim in lib. de sex ætatibus, Sigebertus & alii, anno Honorii septimo revelationem illam factam adserunt, Nicetas de martyrio & invent. s. Stephani eamdem inventionem ad tempora Constantini, sed Lucianus ad annum Honorii decimum eam refert. Augustini sermo XCI. in quo revelationis illius mentio sit, itidem suppositititius est, quod agnoscit ipse Baronius anno 382. num. 25. ubi scribit, *totum illud corpus sermonum esse suppositititium.* Certe phrasis eorum est inepta, impropria, lutulenta & a charactere Augustini plurimum discrepans. Et quid multis? ipsa epistola Luciani satis sese prodit, quod sit suppositicia, sic enim in ea loqui introducitur Gamaliel: *Qui mecum in parte monumenti orientali jacet, ipse est Dn. Stephanus, qui lapidatus est a Judæis foris portam, quæ est ad Aquilonem, qui dicitur ad Cedar, ubi jacuit projectus die ac nocte, ut sepultura non traderetur, secundum mandatum impiorum principum, ut a feris consumeretur. Ex Domini autem voluntate non tetigit eum ex his non fera bestia, non avis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Christi ministro festinavi habere mercedem in Domino & partem cum sancto viro fidei, misi per noctem quantos poteram religiosos christianos, & persuasi illis ire occulte, ut portarent corpus ejus meo vehiculo in villam meam, hoc est, Caphargamala viginti millia habens a civitate, & ibi posui eum in monumento meo novo &c.* Atqui Lucas Act. VIII. 2. nullam facit mentionem illius crudelitatis hostilis, quod noluerunt corpus Stephani sepulturæ tradi, nec miraculi illius, quod corpus sub dio projectum nulla fera adtingere voluerit, nec translationis illius, quod ex Hierosolyma in villam viginti millibus passuum ab urbe distantem, corpus Stephani fuerit devectum, sed simpliciter dicit: *Curaverunt Stephanum viri religiosi.* De Abibo filio suo Gamaliel dicit, *quod immaculatus ex utero matris suæ e mundo excesserit*, cum scriptura testetur, neminem ex utero matris immaculatum nasci, sed peccati contagium secum adferre. Johannes ad Lucianum sic locutus introducitur: *Si hæc sic se habent, ut dicis, & Dominus tibi revelavit temporibus nostris, oportet me colligere de possessione illa bovem illum maximum aratorem, qui & carro efferato aptus sit, & dimittere tibi possessionem cum omnibus cæteris.* At quis non videt fordidam illam phraseologiam indicio esse, quod in monachorum claustris hæc epistola sit consuta? Apud Theodorum lectorem sub Theodosio juniore Stephani integræ reliquiæ scribuntur Hierosolymis Constantinopolin translatæ, & apud Augustinum lib. XXI. de civ. Dei cap. 8. reliquiæ Stephani in aliquot locis Africæ dicuntur exstitisse; quæ cum epistola illa Luciani vix poterunt conciliari.

§. CXX. *Septimum* argumentum petit ex *translatione reliquiarum de uno loco in alium. Nec enim negari potest, quin ad honorem pertineant sacrorum ossium translationes. Resp.* 1.) Translatio reliquiarum non probat religiosum earum cultum, sed honorem legitimum ac debitum. Josephi ossa ex

VII) *Ex translatione reliquiarum.*

Ægypto in Palæstinam sunt translata, sed ad religiosam venerationem nequaquam fuere populo proposita, verum terræ ad sepulturam illata. 2.) De translatione reliquiarum propter cultum institutа, nullum exstat in divinis mandatum, nullum probatum exemplum, nulla promissio; est igitur ἐθελοθρησκεία ac superstitio. 3.) Nicephorus lib. III. histor. eccles. cap. 19. de Ignatio memorat, quod ossa ejus solidiora, *longo tempore post ejus martyrium* Roma Antiochiam sint delata; fatetur igitur se ignorare tempus, quo translationes illæ reliquiarum ex uno loco in alium cœperint. Illud certum est, quod in ecclesia primitiva apostolicæ vicina usu receptæ nondum fuerint.

VIII) *Ex repositione eatundem sub altaribus.*

§. CXXI. *Octavum* argumentum desumit ex eo, quod *reliquiæ sub altaribus reconduntur, quod ad ipsarum honorem pertinet. Resp.* 1.) Si reliquiæ sub altaribus sunt recondendæ, ergo non sunt ad religiosam venerationem circumgestandæ, ac populo christiano ad exosculandum opis impetrandæ causa proponendæ. 2.) Tempore Ambrosii nondum usitatum erat, reliquias martyrum *supra summum altare* collocari, sicut hodie in papatu fit; illum enim locum Christo ut hostiæ pro peccatis totius mundi oblatæ deberi existimabant, sed *sub altari*, ut qui *Christi redemti sint passione*, inquit Ambrosius lib. I. epist. LXXXV. ubi addit, *hunc ego locum prædestinaveram mihi, dignum est enim, ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit, sed cedo locum martyribus.* Et quia preces communes seu publicæ fiebant in administratione eucharistiæ, ideo Julianus apud Cyrillum dicit lib. VI. & X. *Christianos apud sepulcra martyrum invocasse Dominum.* 3.) Repositio reliquiarum sub altaribus tempore Constantini demum cœpit sine scripturæ mandato, & sine præcedentis antiquitatis exemplo, quæ initio quidem zelo pietatis suscepta est, propter spem resurrectionis & glorificationis illarum reliquiarum, quæ in vita fuerunt templa Dei & organa Spiritus sancti resuscitanda ad vitam æternam, & propter exhortationem ad imitationem fidei, patientiæ, & aliarum virtutum in martyribus. Vt enim tempore apostolorum ad significandam spem resurrectionis actio baptismi alicubi super mortuos sive *super sepulcra* administrabatur, 1. Cor. XV. 29. sic eucharistia administrari potuit super corpora martyrum, & oratio ad Deum fundi apud sepulcra martyrum in illa fide Christi, pro qua martyres mortui erant; sed progressu temporis huic translationi & repositioni reliquiarum sub altari superstitiones adhærescere cœperunt. 4.) Ridiculum est, quod Bellarminus ex Apoc. VI. probare conatur, consuetudinem illam reliquias sub altari reponendi apostolorum tempore cœpisse; quia enim in cœlo animæ martyrum *sub altari* ostenduntur, ex eo colligit, *corpora eorum in terris sub altaribus requiescere.* Quasi vero christiani tempore apostolorum habuerint templa, basilicas, altaria, baptisteria &c. Bellarminus lib. III. de Roman. pontif. cap. 13. *Apostoli non habuerunt tunc ulla templa, sed in privatis domibus loca quædam destinabant orationi, concioni, & sacris missarum celebrationibus.* Confer Polydorum Virgilium libro V. de rer. invent. cap. 6. At si non habuerunt templa, utique nec altaria. Origenes lib. VIII. contra Celsum tom. II. refert, ipsum christianis objecisse, *quod aris templisque careant*, & addit, *non videns nobis pro aris esse mentem suam cuique, ex qua sursum ferantur vere ac intelligibiliter suaveolentes suffitus, preces e pura conscientia &c.* Cæcilius apud Minutium exprobrat Octavio christiano, *an nullas aras, nulla templa christiani habeant?* cui Octavius sic respondet: *putatis nos occultare, quod colimus, si delubra & aras non habemus?* At si altaria tum temporis habuissent, ad objectum a gentilibus crimen per ocularem altarium suorum ostensionem facilime responderе potuissent. Plura in hanc rem ex veteribus adducta videri possunt apud Mornæum lib. II. de euchar. cap. 1. & Hospinianum lib. II. de templis cap. 6. cum quibus confer Meisnerum part. II. phil. sobriæ cap. 1. sect. 1. q. 19. Quod adtinet locum Apoc.

Apoc. VI. 9. in eo non intelligitur altare aliquod terrenum, *sed cæleſte ac myſticum*, ſedes ſcilicet æternæ beatitudinis, quæ in forma altaris ſplendidiſſimi oculis apoſtoli fuit objecta. Hoë tom. II. comment. in Apoc. pag. 422. 5.) Repoſitio reliquiarum ſub altari honorem quidem probat, ſed non religioſum, vel potius ſuperſtitioſum cultum.

IX) *Ex uſu cereorum & lampadum.*

§. CXXII. *Nonum* argumentum petit ex *uſu cereorum & lampadum, quibus honorantur ſacræ reliquiæ. Reſp.* 1.) Accenſio cereorum circa corpora defunctorum vel reliquias ſanctorum alium potuit habere finem, quam cultum religioſum. 2.) Originem vero duxit ex κακοζηλία gentilium rituum, non ex Dei mandato vel apoſtolicæ eccleſiæ exemplo, unde Polydorus ex Dionyſio oſtendit, oblationem cereorum fuiſſe partem cultus gentilitii. Confer Tertullianum in apol. cap. 35. Lactantium lib. VI. inſtit. cap. 62. Nazianzenum orat. II. in Julian. Beat. Rhenanum in lib. V. Tertullianum contr. Marcion. 3.) Concilium Elibertinum can. XXXIV. huic ſuperſtitioni, qua claro die ſole rutilante cereos ante martyrum tumulos mulierculæ accendebant, occurrere voluit, ſic ſtatuens: *Cereos per diem placuit in cæmeterio non accendi, inquietandi enim ſanctorum ſpiritus non ſunt. Qui hæc non obſervaverint, arceantur ab eccleſiæ communione.* 4.) Hieronymus Vigilantio illam cereorum accenſionem taxanti reſponſurus, cum negare non poſſet, ex gentilium ritu eam ortam eſſe, ſic excuſat: *Cereos non clara luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris; ſed ut noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci dormiamus in tenebris. Quod ſi aliqui per imperitiam & ſimplicitatem ſecularium hominum vel certe religioſarum fæminarum, de quibus vere poſſumus dicere, zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde petis? Neque enim Chriſtus indigebat unguento, neque martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honorem Chriſti hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur. Et quicunque accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam habent mercedem ſuam, dicente apoſtolo, Unusquisque in ſenſu ſuo abundet.* Sed quilibet videt, magnam differentiam eſſe inter unctionem mulieris ἐνταφιασμὸν ergo occulto Spiritus ſancti inſtinctu ſuſceptam, & inter accenſionem cereorum ex ſuperſtitione ortam; ac dicti apoſtolici ſenſum longe alium eſſe, quam quod opus quodlibet bona intentione factum ſuam habeat mercedem.

X) *Ex ratione ducta ab utili & honeſto.*

§. CXXIII. *Decimum* argumentum conſtat *ratione ducta ab utili & honeſto.* Ratio ducta *ab utili* eſt apud Chryſoſtomum in lib. de Babyla martyre: *Deus enim nihil fere utilius ad ſalutem nobis reliquit ſanctorum reliquiis, nihil enim efficacius repræſentat & infigit in animo memoriam ſanctorum, quam ſepulcrum eorum; ſtatim enim atque videmus ſepulcrum alicujus ſancti, recordamur illius & virtutum ejus, patientiæ, caritatis, caſtitatis, & ſimul cogitamus, quanta gloria fruatur in cælis.* Ratio ducta ab honeſto multiplex eſt. *Primo enim corpora ſanctorum fuerunt organa animarum ad omne opus bonum,* 2.) *fuerunt & ſunt inſtrumenta Dei ad miracula,* 3.) *ſunt pignora patronorum,* 4.) *ſunt exuviæ cariſſimorum,* 5.) *ſunt trophæa triumphantium,* 6.) *deſignata ſunt ad gloriam incredibilem. Reſp.* 1.) Hæc omnia nondum probant religioſum cultum reliquiarum; ſed debitum duntaxat honorem. 2.) Honor corporibus ſanctorum debitus non æſtimandus eſt ex noſtræ rationis prædicamentis, ſed ex divinæ ſcripturæ tabulis. 3.) Dictum Chryſoſtomi, *quod nihil utilius ad ſalutem nobis relictum ſit reliquiis ſanctorum*, pertinet ad regulam a Sixto Senenſi traditam lib. VI. bibl. adnot. CLII. *Concionatorum verba non ſemper eo rigore accipienda ſunt, quo primum ad aures auditorum perveniant, multa enim per hyperbolen crebro enunciant & inculcant, vel occaſione locorum, perſonarum, temporum adducti vel adfectionum impetu vel orationis curſu rapti,*

rapti, & hoc interdum Chrysostomo contingere concludit. 4.) Si *nihil efficacius* repræsentat & infigit in animo memoriam sanctorum, quam sepulcrum ipsorum, (quod ex eo etiam *μνημεῖον*, quasi dicas monitorium, est dictum) utique exuviæ sanctorum sepulcro inferendæ & ossa eorum in sepulcro relinquenda, non autem e sepulcris eruenda, & ad cultum in loco sublimi proponenda. 5.) Corpora sanctorum ut *pignora patronorum* religiose honoranda esse, scriptura non solum nuspiam dicit, sed etiam contradicit.

Quæritur 7.) Quid de peregrinationibus ad loca sancta statuendum?

§. CXXIV. Quæritur VII) *Quid de peregrinationibus ad sepulcrum Domini, sepulcra martyrum & aliorum sanctorum religionis causa institutis sentiendum sit?* Pontificii illis plurimum tribuunt. Concilium Tridentinum sess. XXV. peregrinationes illas *pias & religiosas* esse docet. Stapletonus in promt. cath. Dom. II. advent. *Sanctorum defunctorum monumenta, memorias, reliquias visitare, ad ea peregrinari, pium ac laudabile in ecclesia Christi semper existimatum est.* Et postea: *Veteres christiani ad loca sanctorum peregrinari, sanctorum monumenta pie ac religiose visitare soliti sunt, ut hoc genus pietatis, nec recens aliqua superstitio, nec inanis devotio, sed & antiquissimus & gravissimus Dei cultus merito censeri debeat.* Bellarminus lib. III. de cultu sanctorum cap. 8. utilitates istarum peregrinationum revocat ad tria capita: Primo *cedunt in honorem Dei & sanctorum non mediocrem. Est enim manifestum signum, Deum & sanctos a nobis magnifieri, cum laborem & pericula itinerum sponte suscipimus, ut sanctorum reliquias invisamus.* Secundo, *est opus pœnitentiæ & satisfactionis, quia laboriosum & pœnale.* Tertio *auget devotionem. Nam præsentia loci sancti vix dici potest, quantum incutiat horrorem, quantam excitet reverentiam. & licet ubique sint loca aliqua sancta, tamen sæpe alicubi sunt aliqua loca sanctiora, ad quæ utile est peregrinari, vel si non sunt sanctiora, sunt tamen alia ab his, quæ in nostra patria inveniuntur, & ipsa novitas juvat ad excitandam devotionem.* Olaus Magnus, archiepiscopus Vpsaliensis in Suecia lib. XVI. de Septentrion. gentibus cap. 10. refert, quod ex devotione vel voto volentibus peregre proficisci ad Hierusalem aut Compostellam vel almam urbem, seu alia loca, prout multi illustrissimi reges & fœminæ olim profecti sint, præsul vel sacerdos super eos & sacculum ac baculum modo sequenti stans benedicere solitus fuerit: *Domine Jesu Christe, conditor mundi & redemtor, qui b. apostolis tuis præcepisti, ut euntes in peregrinationem virgas tantum sumerent, te supplici devotione petimus, ut digneris hos sacculos & fustes seu baculos benedicere, quatenus hi, qui illos in signum peregrinationis & sui corporis sustentationem recepturi sunt, tuæ cælestis gratiæ recipiant plenitudinem, ut in eis munimen tuæ benedictionis percipere possint, ut quemadmodum virga Aaron in templo Domini florens a rebellium Judæorum numero ipsius stirpem distinxit: ita & hos signaculo s. Petri ornatos ab omnibus peccatis absolvas, quod in die judicii ab impiis separati in dextra sint parte collocandi, per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.* Peregrinationibus *satisfactiones publicas* peccatoribus impositas fuisse redemtas seu commutatas constat ex caus. 33. q. 1.

§. CXXV. Nos nec peregrinationes *politicas* propter salutem reipublicæ vel commodum œconomiæ suscepitas, nec *ecclesiasticas* divinitus mandatas, qualis fuit profectio Israëlitarum ad locum cultus divinitus electum, Deut. XVI. 16. nec *spirituales*, quæ in separatione a falsitate doctrinæ & improbitate vitæ consistunt, 2. Cor. VI. 7. Apoc. XIV. 4. nec *necessarias* in exsiliis tempore persecutionum patienter susceptis, nec *salutares & utiles* secessiones ad loca, in quibus purum religionis exercitium viget, ac vivos sanctos audire & quidpiam boni addiscere licet, improbamus, sed potius commendamus. *Pontificias* autem peregrinationes opinione singularis cultus, fa-

tisfa-

tisfactionis ac meriti ad sepulcra ac loca sanctorum susceptas toto pectore repudiamus, quia sunt 1) *superstitiosæ*, quod sic demonstramus: Quodcunque *præter & extra verbum* opinione singularis alicujus cultus susciptur, illud superstitiosum merito censetur. Ratio pendet ex *legis divinæ perfectione*, ex ἐθελοθρησκειῶν *prohibitione*, & ex *cultus divini ratione*, neque enim legis perfectio, nec electitiorum cultuum prohibitio, nec cultus Deo grati ratio permittit, ut ex proprio arbitrio præter & extra verbum bona intentione novus aliquis cultus vel publice instituatur, vel privatim suscipiatur, ut alibi latius demonstratur. Atqui peregrinationes pontificiæ præter & extra verbum opinione singularis alicujus cultus suscipiuntur. Ergo. Quod *opinione cultus* eas suscipiant, patet ex ipsis verbis Stapletoni & Bellarmini; quod hic cultus destituatur expresso Dei verbo ac mandato, patebit ex discussione eorum, quæ pro stabiliendis religiosis suis peregrinationibus ex scriptura pontificii adducunt. Excipit Bellarminus d. l. *Cultum voluntarium dici eum, qui sine ratione suscipitur, ut si quis voveat, se non iturum ad mensam, nisi bis laverit manus. At cultus, qui exhibetur Deo per actus virtutum, non dicitur voluntarius, licet non sit præceptus, ut patet* Num. XXXIX. *ubi Dominus jubet impleri vota rerum non præceptarum. Resp.* 1.) Est ambiguitas in vocabulo *voluntarii*, vel enim opponitur *coacto & invito*, vel *divinitus mandato ac præscripto*. Si in priore significatione accipiatur, nihil aliud notat, quam cultum spontaneum, qui ex libero spiritu & prompta voluntate proficiscitur, ut interim conformis sit regulæ in verbo præscriptæ. Talem cultum Deus omnino a fidelibus requirit ac gratum habet. Psalm. CX. 3. *Populus tuus spontaneus offeret tibi a victoria tua in decore sancto.* Exod. XXXV. 5. *Omnis voluntarius & prono animo offerat eas oblationes Domino.* 1. Paral. XXVIII. 9. *Servi Deo corde perfecto & animo voluntario.* Psal. CXIX. 108. *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* Eodem sensu accipitur Ezech. XLVI. 12. Amos IV. 5. 2. Cor. VIII. 3. Philem. v. 15. Si in posteriore significatione accipitur, significat cultum proprio arbitrio & ausu præter & extra verbum excogitatum. Talem cultum Deus reprobat ac damnat. 2.) Quidquid opinione cultus sine expresso Dei mandato suscipitur, illud *sine ratione* suscipitur, quia norma divini cultus est solum atque unice Dei verbum, non humana ratio per peccatum corrupta, unde legisperitus νενεχῶς, *rationabiliter* respondisse dicitur Marc. XII. 34. cum ex lege Dei de norma bonorum operum ac cultus divini respondisset, ac Paulus λογικὴν λατρείαν, *rationalem cultum*, a christianis requirens Rom. XII. 1. XIII. 9. ad legem unice nos revocat. 3.) De spontaneis oblationibus in ipsa lege divina exstant certæ ordinationes, quod fieri possint, quo modo & quo in loco fieri debeant, ut patet ex Lev. VII. 16. XXII. 18. Num. XV. 3. Deut. XII. 11. ergo illæ non fuerunt opera sine testimonio verbi divini.

1) *Sunt superstitiosæ.*

§. CXXVI. II) Sunt *supervacuæ, frustraneæ & otiosæ*, id quod sic demonstramus: 1.) Quidquid opinione cultus susceptum destituitur divino mandato, divino promisso ac probato exemplo, illud est supervacuum, frustraneum & otiosum. Esa. XXIX. 13. Matth. XV. 9. *Frustra colunt me docentes doctrinas, mandata hominum.* Esa. I. 12. *Quis hæc requisivit de manibus vestris?* Zach. VII. 5. *Cum jejunaretis & plangeretis in quinto & septimo mense per hos septuaginta annos, numquid jejunium jejunastis mihi? &c.* Jam vero peregrinationes pontificiæ opinione cultus suscipiuntur, atque interim destituuntur divino mandato, divino promisso & probato scripturæ exemplo. Prius notum est ex hypothesi pontificiorum. Posterius patebit ex sequentibus. Hic notamus unicum illud, quod Egesippus lib. IV. de excid. urbis cap. 23. & Josephus lib. II. de bell. Judaic. cap. 7. referant, sexto ab urbe Hebrona stadio cerni arborem maximam terebinthum, *quæ ab initio mundi conditi, usque ad illorum*

II) *Supervacuæ & otiosæ.*

scriptorum tempora duraverit. Sed nuspiam legitur, quod patriarchæ vel ad istam, adeo antiquam Deique hospitio nobilem terebinthum, vel ad alia divinæ patefactionis loca cultus ergo peregrinationes susceperint, aut eo proficiscentibus indulgentias peccatorum polliciti fuerint. 2.) Peregrinationes illæ suscipiuntur aut propter *ardentiorem in precibus attentionem*, aut propter *justitiæ consecutionem.* Atqui utrumque sine sumtuosis & laboriosis illis peregrinationibus obtineri potest. Prius patet ex eo, quod Salvator noster docet, in *cubiculo* preces efficaces & Deo gratas concipi posse, Matth. VI. 6. Ambrosius lib. VI. de sacram. cap. 3. tom. IV. opp. p. 445. *Potes ubique orare, & in cubiculo tuo semper orare. Habes ubique cubiculum tuum. Etsi inter gentes, inter Judæos positus sis, habes tamen tuum ubique secretum. Cubiculum tuum mens tua est. In populo licet positus, tamen in interiore homine arcanum secretumque tuum conservas.* Augustinus in enarr. Psal. XXXIII. conc. 3. *Cum intras in cor tuum, intras in cubiculum tuum.* Ac quamvis olim in vet. test. coram arca propitiatorii Israëlitæ orare jussi fuerint, tamen in nov. test. preces nostras quovis loco esse Deo gratas & ratas, modo *in spiritu & veritate* fiant, idem Salvator noster docet Joh. IV. 21. 23. cum quo consentit illud apostolicum 1. Tim. II. 8. *Volo viros orare in omni loco.* Posterius constat ex loco Paulino, Rom. X. 6. *Quæ ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis adscendet in cœlum? hoc est Christum ex alto deducere,* v. 7. *aut quis descendit in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere.* v. 8. *Sed quid dicit scriptura? prope te est verbum in ore tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus.* Docet apostolus ad justitiam, quæ coram Deo valet, consequendam non esse opus adscensu in cœlum, vel descensu in abyssum, cum eadem in doctrina evangelii, quæ omnibus hominibus ubique prædicatur, credentibus offeratur & adplicetur. 3.) Si Deus ubique dilectis filiis suis gratia & auxilio suo præsto est, ac Christus dilectis suis fratribus gratiosam præsentiam sine ullo alicujus loci respectu promisit, consequens est, peregrinationes impetrandæ divinæ gratiæ & gratiosæ præsentiæ causa susceptas esse supervacuas & non necessarias. Sed verum prius, Esa. XLIII. 2. Jerem. XXIII. 23. Matth. XVIII. 20. XXVIII. 20. Ergo & posterius.

§. CXXVII. III) Sunt multis modis *perniciosæ*: 1.) In *re familiari*, quæ peregrinationibus illis non necessariis & expensis inutilibus diminuitur, cum tamen nec pœnam nec culpam pecuniæ in peregrinationes illas impensæ profusione redimere possimus. Psalm. XLIX. 8. 1. Pet. I. 18. III) *Perniciosæ.*

II) In *re existimationis ac famæ.* Tales ἀπόδημοι præsertim fœminæ, temere sine urgente necessitate ac causa in diserimen castitatis sese conjiciunt, jam vero *qui periculum amat, peribit in eo*, Sirac. III. 27. Vincentius, qui floruit circa annum 1459. in sermon. de adsumt. beat. virgin. *Homines & mulieres peregrinando frangunt sibi collum, & efficiuntur pejores, quia aliquando vadunt castæ, & redeunt meretrices, ideo spiritualiter fiat peregrinatio, sicut dicit Paulus, spiritu vivimus & spiritu ambulemus.* Adde, quod tales ἀπόδημοι pontificis, cardinalium & episcoporum ludibrio sese exponant, si viderint illi, simplices homines fictarum indulgentiarum vel superstitiosæ devotionis gratia, tot itinerum devorare molestias, ac tot pecuniis pro thesauro carbones redimere. 3.) In *re valetudinis.* Longinquæ illæ peregrinationes non sine valetudinis dispendio, præsertim a fœminis & pueris suscipiuntur, ut experientiæ testimonio constat. 4.) In *re vitæ corporalis.* Qui peregrinationes ad sepulcrum Domini hodie suscipiunt, præsentissimo vitæ periculo a latrunculis Arabiæ metuendo sese exponunt. Sigebertus in chronico anno 1065. *Multi usque ad septem millia orandi voto Hierosolymam petentes ab Arabicis in parasceve in quodam castello obsessi sunt & tot occisi aut vulnerati, ut de septem & eo amplius millibus vix duo millia reversa sint.* Ludovicus Camerarius in adpendice

dice ad tractatum Johannis Maierii de differ. schismat. memorat, circa annum Christi 1214. instinctu clericorum congregata fuisse in Germania *ad viginti millia puerorum*, qui dicerent, *se terram sanctam recuperaturos juxta hoc: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti tibi laudem*; qui cum cruce insigniti ad mare pervenissent, a prædonibus partim in mare demersi, partim Saracenis venditi sunt. 5.) In *re salutis*. Qui indulgentiarum gratia vel Hierosolymam ad sepulcrum Domini, vel Romam ad cineres Petri & Pauli, vel ad alia sanctorum loca proficiscuntur, non adquiescunt in Christi satisfactione ac merito, sed derelicto illo salutis fonte, quærunt sibi *cisternas, quæ non continent aquas*, Jerem. II. 13. Obtingit ergo illis, quod Deus minatur Psalm. XVI. 4. *Qui alienum sequuntur, cordis angustias sentient.*

IV) *In Christi meritum contumelioſæ.*

§. CXXVIII. IV) *In Christi meritum contumelioſæ.* Peregrinationibus illis tribuitur a pontificiis vis satisfaciendi pro peccatis & promerendi gratiam Dei & spiritualia beneficia, ut constat. Id vero in Christi meritum injurium est ac contumeliosum, ipse enim *torcular calcavit solus*; Esa. LXIII. 3. ipse solus est *propitiatio pro peccatis totius mundi*; 1. Joh. II. 2. ipse *purgationem peccatorum nostrorum fecit per se ipsum*; Hebr. I. 3. nec est *in alio quoquam salus*, nec *aliud nomen datum hominibus, in quo oportet illos salvos fieri*. Act. IV. 12. Extra Christum & sanctissimum ipsius meritum quisquis gratiam Dei & peccatorum remissionem quærit, frustra eam quærit, quia in solo Christi merito beneficia illa spiritualia unice quærenda esse, verbum Dei docet. Qui fiduciam divinæ gratiæ & remissionis peccatorum in his peregrinationibus sine ulla promissione collocat, is peregrinum atque alienum fiduciæ fundamentum, adeoque alium Christum sibi format ac fabricat. Sic ergo concludimus: Peregrinationes illæ gratiam Dei & remissionem peccatorum adferre judicantur, aut ut meritum, aut ut medium. Prius dici nequit, quia meritum Christi est perfectissimum ac sufficientissimum, quod adsumento nostrorum meritorum nulla ratione indiget, neque ullibi in tota scriptura nostris operibus ac passionibus vis merendi aut satisfaciendi tribuitur. Quod si ergo ne quidem operibus divinitus mandatis ac præscriptis vis meritoria ac satisfactoria tribui potest, quanto minus cultibus electitiis præter & extra verbum proprio cordis arbitrio susceptis, de quibus nondum constat, quod Deo placeant, quia potius de quibus scriptura testatur, quod Deo displiceant, quomodo ergo possunt Deum placare illa opera, quæ ipsi non placent? Nec posterius, quia nullum aliud medium scriptura nominat, per quod oblatam in verbo evangelii promissionem de Dei gratia & peccatorum remissione adprehendamus, quam veram in Christum fidem.

V) *Verbo Dei & naturæ nov. test. contrariæ.*

§. CXXIX. V) *Verbo Dei & naturæ nov. test. contrariæ*, id quod multis demonstrari potest: 1.) Scriptura testatur cultum Dei extra & præter verbum non esse ad certum aliquem locum adligandum. In vet. quidem test. cultus Dei ad tabernaculum & postea ad templum Hierosolymitanum adstrictus fuit, sed peculiari Dei verbo, ordinatione ac mandato, Exod. XX. 24. XXIII. 17. XXXIV. 23. &c. cum vero præter & extra verbum Jeroboamus *vitulum aureum* in Bethel erigeret, & ad illum locum divini cultus formam adstringeret, 1. Reg. XII. 30. ratiocinatione procul dubio usus ea, quod Deus Jacobo patriarchæ in Luza sive Bethel adparuisset, Gen. XXVIII. 19. prophetæ illud ipsum graviter taxarunt, ac locum adpellatione illa indignum judicantes pro *Bethel* vocarunt *Bethaven*, Os. IV. 15. X. 5. 2.) Cum primis vero naturæ nov. test. repugnat, postquam figuræ & umbræ vet. test. sublatæ sunt, cultum Dei ad certum aliquem locum velle adligare, quasi Deus in certo quodam loco citius exaudiat, ac largius beneficia conferat, quam in alio. Joh. IV. 20. Samaritana ad Christum dicit: *Patres nostri*

ſtri adoraverunt in hoc monte, (puta Garizin, in quo Sanaballeta Chutæus permiſſu Alexandri Macedonis poſt victoriam Iſſiacam templum exſtruxerat, & ſummum pontificem ibidem conſtituerat generum ſuum Manaſſen. Joſephus lib. XI. antiq. cap. ult.) ſic ergo cultum Samaritanorum, quem ad templum ſuum Garizinum præter & extra verbum adligabant, defendit *exemplo patriarcharum*, qui in iſto monte adoraverant. Sed Chriſtus v. 23. ipſi reſpondet: *Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*, id eſt, in nov. teſt. cultus Dei non amplius ut in vet. erit certo cuidam loco adligatus. 3.) Matth. XXIV. 23. ait Chriſtus: *Si quis dixerit vobis: Ecce, hic eſt Chriſtus, ecce illic, nolite credere.* v. 26. *Si dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.* Luc. XVII. 21. de regno ſuo inquit: *Non dicent, ecce hic aut ecce illic.* Senſus eſt, quod Chriſtus cum regno gratiæ ac beneficiis ſpiritualibus non ſit ad certum aliquem locum adligatus, ſed per prædicationem evangelii hominibus ubique ea offerat ac credentibus adplicet. Jam vero peregrinationes pontificiæ cultum Dei, beneficia Chriſti & peccatorum remiſſionem adligant ad certum aliquem locum. Ergo illud verbo Dei & naturæ nov. teſt. adverſatur. 4.) Quæ beneficia a ſolo Chriſto petenda ac ſperanda eſſe ſcriptura docet, ea pontificii a ſanctis, ad quorum ſepulcra peregrinationes ſuſcipiunt, petenda ac ſperanda eſſe adſerunt. 1. Tim. II. 5. *Vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus.* Hebr. VII. 24. *Habemus ſacerdotem in cœlis, qui manet in æternum, ac ſempiternum habet ſacerdotium.* v. 25. *Vnde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Neve quis excipiat, Chriſtum & ſanctos in collatione ſpiritualium iſtorum beneficiorum, divinæ ſcilicet gratiæ & remiſſionis peccatorum, ſibi invicem ſubordinari, addatur excluſiva Chriſti Joh. XIV. 6. *Nemo venit ad patrem niſi per me.* Rom. V. 1, *Juſtificati ex fide pacem habemus erga Deum per Chriſtum*, v. 2. *per quem & acceſſum habemus, fide in gratiam.* Sicut fides, qua juſtificamur, in ſolum Chriſtum, non in ſanctos fertur; ita quoque per Chriſtum & non per ſanctos acceſſum habemus ad gratiam. 5.) Scriptura docet, votum non minus ac ſacrificium & juramentum eſſe actum religionis ſoli Deo debitum. At votivæ illæ peregrinationes, quas ſuperſtitioſi in papatu ſuſcipiunt, plerumque fiunt ex voto certo alicui ſancto nuncupato. 6.) Religioſa adoratio ſanctorum pugnat cum verbo Dei, ut ſuo loco plenius docebitur. Jam vero peregrinationes ad loca ſanctorum ſuſceptæ hunc finem ſibi propoſitum habent, ut ſancti in illis locis religioſe adorentur & invocentur. Ergo de peregrinationibus tanquam mediis idem judicandum, quod de ſanctorum invocatione tanquam ſine juxta ſcripturæ normam ſtatuitur. 7.) Scriptura docet, neminem debere temere ſuam vocationem deſerere, ſed in ea potius manere, ac proximo, cui vel naturæ vinculo, vel conjugali confortio obſtrictus eſt, pro virili inſervire: Pſal. LXXVII. 3. *Fac bonitatem & inhabita terram.* 1. Cor. VII. 17. 20. & 24. *Vnumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet.* 1. Tim. V. 4. *Filii debent ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις, hoc enim bonum & acceptum eſt coram Domino.* v. 8. *Si quis ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Sed peregrinationes pontificiæ parentes a liberis, maritos ab uxoribus, liberos a parentibus & uxores a maritis abſtrahunt, ac ſuperſtitioſum cultum divinæ vocationi præferunt. Erasmus in adnot. 1. Tim. V. p. 473. *Paulus dicit, ſi quis ſuorum curam non habet, infideli eſt deterior, ſcilicet qui hoc officii non præſtat ſuis, quibus naturæ vinculo jungitur, quod ethnici quoque inſtinctu naturæ præſtant. At hodie ſumma habetur pietas, ſi quis domi relictis liberis & uxore, aut etiam grandævis parentibus vel Hieroſolymas abeat, vel in monaſterium ſeſe abdat ſibi victurus aut fortaſſe etiam ventri.*

§. CXXX.

VI) *Ethnicorum ac Turcarum superstitioni cessiones.*

§. CXXX. VI) *Ethnicorum ac Turcarum superstitioni adfines. Ethnici* ad oracula sua religionis ergo profecti fuere. Lonicerus in chron. Turc. lib. II. cap. 14. de *Turcis* commemorat, quod *Mecham* ad sepulcrum Mahometi ob peccatorum remissionem impetrandam proficiscantur. Breidenbachius in historia peregrinat. suæ cap. 3. *Ex lege Mahometi singulos Turcas* ait *teneri ad visitandum quotannis ejus sepulcrum.* Visitare etiam solent *Sedithasi sepulcrum* in Caramania, quique horum sepulcra visitant, inde se peccatorum condonationem & æternam beatitudinem adepturos sperant.

VII) *Destituuntur primitivæ ecclesiæ suffragio.*

§. CXXXI. VII) *Destituuntur primitivæ ecclesiæ suffragio.* Antonius, referente Athanasio in ipsius vita, dixit: *Nobis nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet, in omni sede terrarum constituta sunt regna cælorum.* Gregorius Nyssenus, qui circa annum 380. (*) floruit, orationem scripsit de iis, qui adeunt Hierosolymam, quæ exstat in tract. Lutet. impress. anno 1551. apud Morell. & integra citatur ab auctoribus Magdeb. histor. eccl. cent. IV. cap. 10. col. 936. in ea contra consuetudinem peregrinandi profert hæc argumenta: 1.) quod destituatur divino mandato; "præclare, inquit, „se res habet, si ad regulam ipsam respicia„mus, idque si velit præceptorum ductus, ut „opus faciamus quasi mandatum Domini. Sin „præter Domini præcepta id adpareat introdu„ctum, haud scio quid sit, quod præcipiat velle „quid aliquem facere, qui se sibi legem boni „fecerit ipsum.„ 2.) Quod nullum habeant promissionem benedictionis aut gratiæ peculiaris. "Vbi ad regni cœlorum hæreditatem „consequendam adpellat Dominus benedictos, „profectionem in Hierosolyma inter recte fa„cta, quæ eo dirigant, non enumeravit, ubi „beatitudinem adnunciat, tale studium talem„que operam non est complexus. Quod autem „neque beatum efficit, neque ad regnum con„ducibile est, quid in eo studium & opera po„natur? Qui mentem habet, consideret. At„qui si id opus utilitatis quid habuisset, non „ita, non tam præclarum a perfectis studio „dignum visum fuisset.„ 3.) Quod conjunctæ sint cum periculis. "Sancta & gravis vi„tæ institutio eadem omnibus & viris & fœmi„nis proposita est &c. at tantam viam fœmina, „nisi, qui eam conservet, habeat, percurrere „nequit, tum quia propter naturalem imbe„cillitatem jumento vehenda esset, illincque „reducenda, tum quia in difficultatibus tuen„da ac servanda. Quidquid autem supponere „possimus, sive notum habet, qui ei præstet „obsequium, sive mercenarium, qui famule„tur, ex utraque parte quod fiat, reprehen„sionem non effugiet. Neque enim externo „se committens ac in eo adquiescens, neque „proprio continentiæ legem conservet. Cum „autem in locis illis orientalibus diversoria & „hospitia urbesque in multis licentiam & ad „malum indifferentiam habeant, qui fieri pote„rit, ut qui per fumum ambulet, non exaspe„retur oculis? ubi inquinatur auris, inquina„tur oculus, inquinatur & cor per oculos & „auditum nefanda excipiens, qui fieri poterit, „ut non adficiatur, qui adfecta loca transgre„ditur?„ 4.) Quod peregrinationes illæ sint inutiles. "Quid plus est habiturus, qui locos „illos adit? quasi vero etiamnum Dominus, „corporaliter in locis illis degat, ac non a no„bis abierit? aut veluti sanctus Spiritus apud „Hierosolymitanos abundet, ad nos autem „transire non possit? At quot ubique sunt al„taria, per quæ nomen Domini celebratur? „Deinde etiamsi in locis Hierosolymitanis plus „gratiæ divinæ inesset, illic viventium pecca„tum non tam frequens & consuetum esset, „jam vero nullum est immunditiæ genus, quod „ipsi non audeant, ac malitiæ, adulteria, fur„ta, idololatriæ, veneficia, invidiæ & cædes „ac tantum in primis malum illic tam frequens

(*) Guil. Cave eundem refert ad ann. 370. Vid. ejus *hist. litter. scriptor. ecclesiast. tom. I. p. 244.* edit. Lond.

„& adsiduum est, ut nusquam tanta sit ad tru„cidandum promtitudo, quanta illis locis in„habitat, ubi beluino more in sanguinem mu„tuo incurrunt. Vbi ergo hæc fiunt, quo ar„gumento intelligas, illis in locis ampliorem „gratiam esse.„ Postea respondet ad objectionem, quod ipsemet ad loca sancta profe„ctus fuerit, & tandem concludit: "Vos, qui „timetis Dominum, in quibus locis estis, eum „laudate. Τοπικὴ γὰρ μετάϛασις τὸν τῦ θεῦ „προσεγγυσμὸν ε κατεργάζεται, localis enim „mutatio, ut Deus propior sit, non efficit; „sed ubi fueris, ad te Deus veniet, siquidem „animæ tuæ diversorium tale inveniatur, ut „in te Dominus inhabitet, inambuletque. Sin „hominem interiorem perversis cogitationibus „plenum habeas, etiamsi in monte olivarum, „etiamsi in Golgotha fueris, etiamsi sub mo„numento resurrectionis, tantundem abes, ut „Christum in te ipso suscipias, quantum qui „ne initio quidem religionem professi sunt.

§. CXXXII. Excipit Bellarminus: I) *Forte illam orationem non esse Nysseni, cum non habeatur in ejus operibus, nec constet, quis eam in sermonem Latinum verterit, & forte etiam Græce non inveniatur. Resp.* arguit illud potius infidelitatem monachorum, qui multa ex monumentis patrum suffulerunt. Quot scripta Lipomanus, Canisius, Surius, Baronius patribus tribuunt, quæ tamen in ipsorum monumentis non inveniuntur? Exstat insuper hæc Nysseni oratio Græca, cujus mentionem facit Cujacius in observationibus. Guilielmus Morellius anno 1551. Græce & Latine eam edidit, antequam Bellarminus scribere incipe-ret. Sed filius Morellii, qui editionem Parisiensem Nysseni operum adornavit, ac nonnulla, quæ Gregorii non sunt, hinc inde conquisita genuinis ejus operibus insperfit, epistolam illam consulto omisit, instinctu & consilio Frontonis Ducæi Jesuitæ, qui cavere voluit, ne quid in perniciem papalium peregrinationum excuderetur. Postmodum vero eandem epistolam Græce & Latine ex sua interpretatione edidit Petrus Molinæus (*), cum notis & responsionibus ad objectiones Bellarmini & Richeomi Jesuitarum, ac solidis argumentis demonstravit, epistolam illam vere esse Nysseni. 1.) Quia scribendi character redolet phrasin Gregorii elegantem & doctam. 2.) Mens & verba cum aliis Gregorii dictis pulcre congruunt. 3.) Aloisius Lipomanus, Methonensis episcopus, de vitis sanctorum tom. II. epistolam hanc recitat, & Gregorio adscribit. 4.) Adstipulatur vetus codex manuscriptus bibliothecæ regiæ, in quo hæc epistola legitur. 5.) Gregorius ipse meminit profectionis suæ in Arabiam & Hierosolymam, epistola ad Olympium super Macrinæ sororis obitu scripta. Hisce argumentis Rivetus in critico sacro lib. III. cap. 24. p. 349. addit 6.) quod Baronius non eat inficias, legitimum hunc esse Nysseni partum tom. IV. ad annum 386. n. 39. Addo 7.) quod hæc epistola exstet in vetusto codice Græco manuscripto, quem in bibliotheca Joachimi Zehneri, viri doctissimi, anno 1612. Schleusingæ vidi. Aliam igitur exceptionem Bellarminus quærit, subjiciens II) *in ea oratione non reprehendi absolute peregrinationem in Jerusalem, sed tantum in certis personis, in monachis & monialibus.* Eodem χρησφυγέτῳ utitur Baronius dicto loco, sed & hanc larvam Molinæus ipsis ademit, & sane lectio epi-

(*) Petrvs Molinævs, quem supra laudavit Gerhardvs, non tantum hanc Gregorii *Nysseni* epistolam, cum notis seorsim edidit Hanov. *MDCVII.* 8. sed & integrum tractatum *de peregrinationibus* adjunxit, eundemque Romanensium sententiæ opposuit. Natus vero est adversarium eundemque Jesuitarum sodalitati adscriptum, Jacobvm nempe Gretservm, qui *notas in notas Petr. Molinæi* &c. itemque *examen tractatus Molinæi de peregrinat.* Ingolstadii *MDCVIII.* luci publicæ expositi. Cæterum, præter Molinæum, Jo. Henr. Heidegervs, theologus quondam Tigurinus, *diatrib. de peregrinationibus religiosis*, cum vindiciis adversus Bernh. Baldinger & Avgvst. Reding, nec non cum modo memorata *Nysseni epistola* hujusque apologia Tiguri *MDCLXX.* 8. evulgavit. Conferenda, quæ J. A. Fabricivs in *bibliogr. antiq. cap. XI. §. XXX. p. 581.* de peregrinationibus religiosis ac speciatim de *Nysseni epistola* toties laudata adnotavit.

epistolæ perspicue ostendit, argumenta Gregorii esse generalia ad omnes cujuscunque conditionis homines spectantia. Inde III) Bellarminus ad argumenta illa respondere conatur. *Primam rationem dicit hoc solum probare, quod peregrinatio non sit opus necessarium ad perfectionem & salutem. Resp.* imo vero & prima & secunda ratio generaliter concludunt, cum nullum mandatum, nullave promissio de peregrinationibus illis exstet, ideo non posse illas pietatis specie commendari. Secundam rationem a periculis desumtam dicit illud duntaxat probare, *quod peregrinatio non sit omnibus adcommodata, sed solum viris maturis. Resp.* quamvis plura ac majora fœminis peregrinationes illas suscipientibus impendeant pericula, non tamen propterea nulla impendent viris. Tertiam rationem dicit hoc solum probare, *quod nihil rerum essentialium & necessariarum ad religionem sit Hierosolymis, quod non possit alibi inveniri, interim tamen esse aliquid Hierosolymis, quo devotio juvari possit, quod alibi non invenitur, nimirum sepulcrum Domini & loca illa sancta, quæ toties Dominus calcavit. Resp.* imo vero Nyssenus diserte contrarium adstruit, in locis illis non inesse plus divinæ gratiæ, ac proinde spiritualiter ad Dominum proficiscendum esse, non pedibus corporeis, sed adfectu mentis.

§. CXXXIII. Hieronymus tom. I. epist. XIII. ad Paulinum p. 34. *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est. Illa expetenda est civitas, non quæ occidit prophetas & Christi sanguinem fudit,* Luc. XIII. *sed quam fluminis impetus lætificat,* Psal. XLV. *quæ in monte sita celari non potest,* Matth. V. *quam matrem sanctorum apostolus clamitat,* Gal. IV. *in qua se municipatum cum justis lætatur habere.* Hebr. XII. *Neque vero hoc dicens memetipsum inconstantiæ arguo, damnoque, quod facio, ut frustra videar, ad exemplum Abraham & meos & patriam reliquisse,* Gen. XII. (ipsemet enim in Palæstinam deserta Roma profectus erat) *sed non audeo Dei omnipotentiam angusto fine concludere, & coarctare parvo terræ loco, quem non capit cælum* 1. Reg. VIII. *Singuli quique credentium non locorum diversitatibus, sed fidei merito ponderantur.* Et *veri adoratores neque Hierosolymis, neque in monte Garizim adorant Patrem, quia Deus Spiritus est, & adoratores ejus in spiritu & veritate adorare oportet* Johan. IV. *Spiritus autem spirat, ubi vult,* Johan. III. & *Domini est terra & plenitudo ejus.* Psalm. XXIII. *Postquam siccato Judææ vellere universus orbis cœlesti rore perfusus est,* Judic. VI. *& multi de oriente & occidente venientes recubuerunt in sinu Abrahæ,* Matth. cap. VIII. *desiit notus esse tantum in Judæa Deus & in Israël magnum nomen ejus,* Psalm. LXXV. *sed in omnem terram exivit sonus apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Psalm. XIX. *Salvator ad discipulos loquens cum esset in templo. Surgite,* inquit, *abeamus hinc;* Johan. XIV. *& ad Judæos, relinquetur vobis domus vestra deserta.* Luc. XIII. *Si cælum & terra transibunt, utique transibunt omnia, quæ terrena sunt. Et crucis igitur & resurrectionis loca prosunt his, qui portant crucem suam, & cum Christo resurgunt quotidie, qui dignos se tanto exhibent habitaculo. Cæterum qui dicunt: Templum Domini, templum Domini,* Jer. VII. *audiant ab apostolo: Vos estis templum Domini, & Spiritus sanctus habitat in vobis* 2. Cor. VI. *Et de Hierosolymis & de Britannia æqualiter patet aula cælestis, regnum enim Dei inter vos est.* Luc. XVII. *Antonius & cuncta Ægypti & Mesopotamiæ, Ponti, Cappadociæ & Armeniæ examina monachorum, non videre Hierosolymam, & patet illis absque hac urbe paradisi janua. Beatus Hilarion, cum Palæstinus esset, & in Palæstina viveret, uno tantum die vidit Hierosolymam, ut nec contemnere loca sancta propter viciniam, nec rursus Deum loco claudere videretur. Ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini per annos circiter centum octoginta in loco resurrectionis simulacrum Jovis in crucis rupe statua ex marmore Veneris a gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem resurrectionis*

nis & crucis, si loca sancta per idola polluissent. Bethlehem nunc nostram & augustissimum orbis locum lucus inumbrat Thamus, id est, Adonidis & in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, Veneris amasius plangebatur. Quorsum, inquies, hæc tam longo repetita principio? videlicet ne quidquam fidei tuæ deesse putes, quia Hierosolymam non vidisti, nec nos idcirco meliores existimes, quod hujus loci habitaculo fruimur, sed sive hic, sive alibi, æqualem te pro operibus tuis apud Dominum habere mercedem. (Quid contra hunc συναθροισμὸν argumentorum adfert Bellarminus? Regerit, *ad monachum Paulinum ea duntaxat pertinere, cujus proposito magis conveniebat quies & stabilitas monasterii.* At quilibet videt, Hieronymi argumenta esse generalia, adde, quod Hieronymus de se ipso neget, quod non sit inde melior existimandus, quia loci illius habitaculo frueretur, cum tamen non esset monachus, sed presbyter; utique ergo non solum de monachis, sed etiam presbyteris & aliis dicta sua vult accipi.) Chrysostomus homil. XXXII. in epist. ad Rom. Romam maximopere celebrat propter Petri & Pauli corpora ibidem sepulta. *Quis*, inquit, *mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, adfigi sepulcro, videre pulverem corporis illius, stigmata Christi gestantis, pulverem, inquam, oris illius, per quod Christus locutus est, vellem videre sepulcrum, quo recondita sunt illa arma justitiæ, arma lucis &c.* Et homil. VIII. in epist. ad Ephes. *Vellem nunc etiam esse in illis locis, in quibus ista dicuntur esse vincula, cuperem videre catenas illas, quas verentur & horrent dæmones, venerantur vero angeli. Quod si liberum fuisset per curas ecclesiasticas, & corpus habuissem validum, nihil utique causatus fuissem, quo minus tanta suscepta peregrinatione catenas duntaxat illas & carcerem, ubi ligatus fuit, vidissem.* Hom. V. ad Antiochenos memorat, *quosdam solitos in Arabiam peregrinari, ut terram illam oscularentur, in qua Iob federat.* Idem tamen homil. I. in epist. ad Philem. peregrinationes istas ad peccatorum remissionem impetrandam susceptas dissuadet. *Via*, inquit, *solutionis seu remissionis peccatorum nec laboribus indiget, nec pecuniarum expensa, seu ulla alia aliqua re, sed simpliciter tantum bono proposito. Non opus est peregrinationem suscipere, nec ultra montana aut externa loca petere, aut pericula adire & sustinere.* Hom. III. ad Antiochenos dicit, *quod suscipere peregrinationes ad terras longe dissitas ad promerendum Deum nihil quidquam conferat.* Cyrillus Alexandrinus lib. XIII. in Levit. tom. I. col. 751. *Locum sanctorum in terris ego non requiro positum, sed in corde, locus enim dicitur sanctus rationabilis anima.* Augustinus serm. II. de verb. apostol. *Veni ad Christum, noli longa itinera meditari, ubi credis, ibi venis, ad illum enim, qui ubique est, amando venitur, non navigando, sed quoniam etiam in tali itinere abundant fluctus & tempestates tentationum, in crucifixum crede, ut fide tua possis lignum adscendere, non mergeris, sed ligno portaberis.* Claudius Scotus, Taurinensis ecclesiæ episcopus, circa annum Christi 815. adversus Theodomirum abbatem de peregrinationibus religionis causa Romam susceptis, referente Jona Aurelianensi libr. III. de cultu imaginum, qui exstat tom. V. orthodoxograph. pag. 1570. *Ego enim iter illud non adprobo, quia scio, quod nec omnibus prodest, nec omnibus proficit, nec omnibus officit.* p. 1573. *Te ipsum primum interrogare volo. Si pœnitentiam agere, Romam pergere nosti, cur tu tanto tempore tantas animas perdidisti, quas in monasterio retinuisti, & pœnitentiæ causa in monasterio recepisti, & non eas Romam misisti, sed potius tibi servire fecisti.* p. 1577. *Propter verba evangelica*: Tu es Petrus; *non intellecta imperitum hominum genus pro adquirenda vita æterna, postposita omni spirituali intelligentia, volunt pergere Romam.* (Bellarminus hunc Claudium cum Petrobrusianis & Wiclefitis dicto loco conjungit, & erroris eum adcusat, sed aliud est adcusare, aliud convincere. Scripsit ille Claudius utiles commentarios in Matthæum & aliquot veteris testiam. libros, ac fuit magni nominis episcopus. Sane Jonas,

Aure-

Aurelianenſis epiſcopus, tres libros adverſus eum ſcripſit pro defenſione imaginum & peregrinationum ad loca ſancta, ſed ipſe Bellarminus in libr. de ſcript. eccleſ. cent IX. monet *auctorem illum caute legendum*, cum erroribus ſcateat.) Bernhardus epiſt. CCCXIX. ad Lelbertum, abbatem ſ. Michaëlis, monacho cuidam peregrinationem Hieroſolymitanam diſſuaſit, addita hac ratione: *Non terrenam, ſed cœleſtem requirere Hieroſolymam monachorum propoſitum eſt, & hoc non pedibus proficiſcendo, ſed affectibus proficiendo.* Hildebertus, Turonenſis archiepiſcopus, Bernhardi *συγχρονος* in libr. epiſtol. ad quemdam comitem, qui voto ſe obſtrinxerat, quod Hieroſolymam religionis cauſa proficiſci vellet, ſcripſit in hæc verba: "In memoriam b. Jacobi, ſtrenuiſſime comes & prædicanda virtute ſublimis, iter, ut fertur, ſumſiſti. Quod nos quidem bonum non negamus, ſed quisquis adminiſtrationem ſuſcipit, adligatur obedientiæ. Qui enim ad majora vocatur & utiliora, ſi relinquit, delinquit. Vnde te, fili cariſſime, culpa inexcuſabilis exſpectat, qui neceſſariis non neceſſaria, diſpenſationi otium, debitis indebita præponis. Interlenta, quæ ſervis ſuis paterfamilias diſtribuit, circuire vagum orbem terrarum nullus doctor, nulla omnino ſcriptura commemorat. Hieronymi teſtimonio b. Hilarion, cum eſſet proximus civitati Hieruſalem, ſemel eam vidit, ne loca ſanctorum contemſiſſe videretur. Porro præter ſolitum mentis tuæ oculus caligavit, ſi non vides plenam periculoſis caſibus adſumtam tibi peregrinationem." Hiſce periculis in ſpecie expoſitis ſubjicit: "Fortaſſis autem dicis: Votum vovi Domino; transgreſſionis arguar, ſi irritum facio votum? Agnoſce, o princeps, quia tu quidem adligaſti te voto, ſed Dominus officio; tu viæ, ſed Dominus obedientiæ; viæ, qua ſanctorum memorias videas; obedientiæ, qua ſanctorum memoriis provideas. Adpende ergo, ſi tantus ſit fructus itineris, ut ſupplete poſſit intermiſſæ diſpendium obedientiæ." Tandem concludit: "Tu itaque pro voto ra-

"pacitatem atque exactiones tuorum compeſce, "quas pauperum clamor & orfanorum gemitus & lacrimæ comitantur viduarum. His "tibi, ſi neſcis, theſaurizatur ira Dei in die "iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ſua &c. Sicut "ergo præſenti pagina commoneris, utere tuorum conſilio amicorum, utere meo, domi "ſedens, pauperum ſubſidiis inſiſtens, loca "ſanctorum non deſiderans intueri, ſed tuum ſatagens; nec circumferri per memorias "lapidum, ſed circumferre memoriam virtutum."

§. CXXXIV. VIII) Denique *a pontifſciis ſanioribus non admodum probantur.* In Jure canonico c. *Gloria in fin.* 12. quæſt. 2. citatur dictum Hieronymi: *Non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe, laudandum eſt.* Henricus Tholoſanus monachus circa annum 1141. referente Genebrardo peregrinationes ad loca ſanctorum improbavit. Vincentius circa annum 1459. in ſermone de adſumt. b. Virginis: *Spiritualiter fit peregrinatio, ſicut dicit Paulus, ſpiritu vivimus, ſpiritu ambulamus. Hodie & quolibet die poteſtis ire in Nazareth ad cameram, ubi Filius Dei fuit incarnatus, & ſic de aliis locis.* Johannes Ibenhagen, ſacrificulus circa annum 1480. improbavit peregrinationes ad ſ. Jacobum, Mariam & alios divos. Polydorus Virgilius in interpret. orat. domin. pag. 567. *Non eſt, quod aliquo terrarum pergamus, Dei quærendi cauſa, qui ubique nobiſcum eſt, quod nonnulli minus ſentiunt, quos voluptatis, non item pietatis gratia ideo delectat peregrinatio, ut alii alio percurrant, quo alicujus divi imaginem viſant, nihil interim mentem ad Deum erigentes.* Eraſmus in colloq. in cap. *Peregrinatio religionis ergo.* p. 27. Arnoldus: *Vbi tamdiu peregrinatus es?* Cornelius: *Ab Hieroſolymis adſum tibi.* Arnold. *Eſtne illic, quod tu putes ſpectatu dignum?* Cornel. *Vt ingenue fatear tibi, nihil. Oſtenduntur quædam monumenta vetu-*

VIII) *A pontificiis ſanioribus non admodum probantur.*

vetuſtatis, quorum mihi nihil non videbatur commentitium & excogitatum ad adliciendos ſimplices & credulos, imo nec hoc arbitror illos ſcire, quo loco ſita olim fuerit Hieroſolyma. Arnold. *Quid igitur vidiſti?* Cornel. *Magnam ubique barbariem.* Arnold. *Nihilo ſanctior redis?* Cornel. *Imo multis partibus deterior.* Arnold. *Nummatior ergo?* Cornel. *Imo nudior Leberide.* Arnold. *An non pœnitet igitur tam longinquæ peregrinationis fruſtra ſuſceptæ?* Cornel. *Nec pudet, quia tam multos habeo ſtultitiæ meæ ſodales, nec pœnitet, quia fruſtra jam ſit pœnitere.* Vide ibidem plura in illam ſententiam.

Argumenta pro ſtabiliendis peregrinationibus.

§. CXXXV. Argumenta, quibus pontificii peregrinationes ſuas ſuffulciunt, ex ſtatu quæſtionis recte formato facilem habent explicationem. Bellarminus lib. III. de cultu ſanct. c. 8. tria argumentorum genera producit. 1) Ex

1.) *Ex ſcripturis.*

ſcriptura. Deut. XVI. *Deus inſtituit, ut omnes filii Iſraël ter in anno ad tabernaculum vel templum Domini peregrinarentur, quod præceptum ſtudioſe ſervabat Helcana & Anna, uxor ejus,* 1. Reg. I. *nec non Chriſtus ipſe cum ſua matre & S. Joſepho,* Luc. II. Joh. XII. *etiam gentiles veniebant adorare in Jeruſalem propria regione relicta,* Act. VIII. *eunuchus Æthiops ex longinqua regione veniebat adorare in Jeruſalem,* Act. XX. *Paulus ipſe feſtinabat in itinere, ut in Jeruſalem faceret pentecoſten.* Idem argumentum proferunt Grodicius conc. II. in Dom. I. poſt Epiph. Bartſcius tom. II. conc. p. 93. *Reſp.* maximum omnino diſcrimen eſt inter peregrinationes illas ſanctorum & pontificiorum. 1.) Illæ erant a Deo ipſo *mandatæ*, hæ vero proprio cordis arbitrio ſunt excogitatæ. Voluit Deus in tribus feſtis anniverſariis omnes maſculos viginti annis majores ad tabernaculum, & poſtea ad templum convenire, tum propter publicam veræ doctrinæ confeſſionem, ut ejus puritas & conſenſus conſervaretur; tum propter benevolentiæ inter ejusdem ſanguinis & religionis homines conciliationem, tum propter majoris reverentiæ in animis hominum erga divinum cultum excitationem; tum propter neceſſariam de rebus ad eccleſiam & rempublicam pertinentibus in publico & œcumenico illo concilio deliberationem; tum propter fidei exercitium & confirmationem: pollicitus enim erat Dominus, ſe fœminas & pueros domi relictos interea ab omni vi & tyrannide vicinorum hoſtium immunes præſtare velle, Exod. XXXIV. 24. ſed in peregrinationibus pontificiorum cauſæ illæ ceſſant. 2.) Illæ pertinent ad vet. teſt. in quo cultus divinus ad certum locum erat adſtrictus, & eccleſia anguſtis Judææ limitibus terminabatur, cui omnes ſalvandos adſociari oportebat: hæ vero in nov. teſt. inſtituuntur, in quo illud diſcrimen locorum penitus eſt ſublatum, Jer. III. 16. Joh. IV. 21. 1. Tim. II. 8. Quamvis vero novum teſtamentum jamdum fuerit inchoatum, cum eunuchus Æthiops ac Paulus Hieroſolymam proficiſcerentur, tamen ſynagoga Judaica nondum erat ſepulta; eunuchus in fide Chriſti nondum erat inſtructus, Paulus ex caritate *Judæis Judæus factus eſt*, 1. Cor. IX. 20. ac in tanta populi frequentia multos Chriſto lucrifacere voluit. 3.) Illæ propoſitum habuerunt *finem* ſalutarem, videlicet ut Deo debitum præſtaretur obſequium, & cultus divinus conſervaretur ac propagaretur, hæ vero fine ſuſcipiuntur ſuperſtitioſo, ſatisfaciendi ſcilicet pro peccatis & Dei gratiam promerendi, cum tamen nulla hac de re promiſſio exſtet.

§. CXXXVI. II) Ex *patribus*, qui jam olim & *ipſi ad loca ſancta peregrinati ſunt*, ut *Alexander*, apud Euſebium lib. VI. hiſt. cap. 9. *Helena*, apud eumdem lib. III. de vita Conſtantini. *Gaudentius*, *Hieronymus*, *Eudoxia*, *Theodoſii junioris uxor &c. & in aliis illud commendarunt*, ut *Chryſoſtomus* homil. LXVI. ad Antioch. *Hieronymus* epiſt. CLIV. ad Deſiderium. *Sulpitius* lib. II. ſacræ hiſtoriæ &c. *Reſp.* 1.) In civitate Dei non vivitur hominum exemplis, ſed ipſius Dei legibus. 2.) Finis diſtinguit actiones. Patres illi Hieroſolymam

2.) *Ex patribus.*

mam profecti sunt, non opinione cultus, nec fiducia cujusdam meriti & satisfactionis, sed historiæ & orationis causa, ut Christum, qui in illis locis natus, conversatus ac passus fuit, *in spiritu & veritate adorarent*. Sic de Alexandro scribit Eusebius, quod profectionem instituerit ad loca Hierosolymitana ἐυχῆς καὶ τῶν τύπων ἱστορίας ἕνεκεν. Nyssenus propter deliberationem de statu ecclesiæ & religionis cum episcopis Hierosolymitanis. *Necesse mihi fuit*, inquit, *pro sancto concilio habito emendandæ Arabicæ ecclesiæ gratia ad loca illa proficisci, ac cum esset Arabia locis Hierosolymitanis contermina, pollicitus eram, me una cum iis, qui sanctis Hierosolymitanis præsunt ecclesiis, disceptaturum, quod rerum illis esset status perturbatus, ac quodam, qui medius intercederet, egerent*. Pontificii partem cultus non postremam in peregrinationibus illis constituunt, ac fiduciam meriti & satisfactionis ex eis concipiunt. 3.) Illi ipsi patres, qui Hierosolymam profecti sunt, diserte testantur, gratiam Dei in illis locis non esse ampliorem, nec pietati vel fidei quidquam decedere, si vel maxime quis Hierosolymam non viderit, ut ex Hieronymo & Nysseno adparet. 4.) Inter ἀποδήμους religionis causa Hierosolymam profectos recenset Bellarminus *monachos Ægyptios* ex Cassiano lib. IV. de institut. renunc. cap. 31. & tamen paulo post §. *secundo dico &c.* adserit, *monachis, qui in claustris in silentio, precibus ac jejuniis exercentur, non convenire illas peregrinationes, quia illorum majus bonum impediretur minore bono peregrinationis*. Agnoscere igitur cogitur, exempla illa esse dissimilia. 5.) Magdeburgenses Centuriatores recte statuunt, tempore Constantini peregrinationes illas ad loca sancta frequentari primum cœpisse, cui adsertioni frustra a Bellarmino opponitur exemplum Alexandri unicum & singulare; aliud enim est loqui de *profectione*, aliud de *profectionis frequentatione*. Simeonis Metaphrastæ de *Alexio* testimonium exigui ponderis est, cum ipse Bellarminus lib. de script. eccl. & Baronius tom. X. annal. ad annum 859. a posterioribus quasdam historias additas esse fateantur, quin & diserte addant, *Metaphrasten ex proprio ingenio multa addidisse, ac vitas sanctorum descripsisse, non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potuerint*, hoc est, officiose mentitum fuisse.

§. CXXXVII. III) Ex *ratione*. *Peregrinationes tria bona adferunt*, primo *cedunt in honorem Dei & sanctorum non mediocrem, est enim manifestum signum, Deum & sanctos a nobis magnifieri, cum laborem & pericula itinerum sponte suscipimus, ut sanctorum reliquias invisamus*. *Resp.* quemadmodum pii veteres dicunt, quidquid de Christi persona præter & extra scripturam prædicatur, etiamsi honor videatur, injuriam esse: ita quoque recte dicimus, quidquid opinione cultus præter & extra verbum suscipiatur, etiamsi in honorem Dei & sanctorum cedere videatur, injuria est. Scriptura docet, cultum divinum in nov. test. non esse certis locis adstrictum, sed Deum omnibus illis in locis gratiose præsentem esse, in quibus vera fide a nobis invocatur, sicut de Bethel, in quo Deus sese manifestarat, Jacobus dicit, quod ibi sit *domus Dei & porta cœli*, Gen. XXVIII. 17. ac *facies Dei* vocatur ille locus, in quo per verbum Deus cum hominibus loquitur, & vicissim homines per preces cum ipso loquuntur, Gen. IV. 16. Psal. XLII. 3. Eadem scriptura docet, quomodo sancti a nobis honorandi sint, non religiosa invocatione, quæ soli Deo debetur, non superstitiosa ad ipsorum reliquias peregrinatione, quæ mandato, promisso & exemplo probato destituitur, sed *Dei in sanctis glorificatione*, qui tanta dona in ipsos contulit, ac salutaria opera in ecclesia per ipsorum ministerium perfecit, Gal. I. 23. 24. ac *virtutum*, quæ in eis nobis proponuntur, *imitatione*. Hebr. XIII. 7. Secundo, *peregrinationes illas suscipere est opus pœnitentiæ & satisfactionis, quia laboriosum & pœnale*. *Resp.* hoc falsa nititur hypothesi, quasi opera laboriosa sponte suscipi possint intentione ea, ut per illa pro peccatis satisfiat. Tertio, *auget devotionem*, 3.) *Ex ratione.*

quia præsentia loci sancti vix dici potest, quantum incutiat horrorem, quantam excitet reverentiam, & licet ubique sint aliqua loca sancta, tamen sæpe alibi sunt loca sanctiora, ad quæ utile est peregrinari, vel si non sunt sanctiora, sunt tamen alia ab his, quæ in nostra patria inveniuntur, & ipsa novitas juvat ad excitandam devotionem, sæpe etiam peculiari amore ferimur erga alicujus sancti memoriam, quæ procul abest a nobis, & eo accedere non parum juvat, licet domi habeamus memorias celebriores. *Resp.* distinguendum inter verum ac salutarem Dei timorem, & inter δεισιδαιμονίαν ac superstitionem; ad priorem nihil conferunt istæ peregrinationes, sed duntaxat ad posteriorem, quin imo Nyssenus probat, peregrinationes illas veræ pietatis ac timoris Domini esse exterminatrices. Quod ad sanctitatem locorum adtinet, de ea sic habendum. Ratione creationis universa terra coram Domino fuit sancta, Gen. I. 31. ratione gubernationis ac præsentiæ divinæ tota & omnis terra est *scabellum pedum Domini*, Esa. LXVI. 1. ac tota est *Domini cum omni sua plenitudine*; Psal. XXIV. 1. 1. Cor. X. 26. propter peccatum primorum parentum & fratricidium Caini tota fuit maledicta, ut nullus in ea detur locus per se aliis sanctior, Gen. III. 17. IV. 11. Quod autem certa quædam loca ac partes terræ dicuntur sanctæ, sicut Jerusalem dicitur *civitas sancta*, Matth. IV. 5. illud fit propter cultus divini exercitium & verbi prædicationem, sicut causa, propter quam Jerusalem dicitur civitas sancta, exponitur Jesa. XXXI. 9. quia in ea fuit *Jehovæ ignis ac focus*, hoc est, quia ignitiones & sacrificia ex Dei mandato ibi fuere obl. , sed quamprimum verbum Dei in aliquo loco non prædicatur, statim quoque sanctitas illius loci desinit, ut exemplo Bethelis superius comprobatum fuit.

Argumenta aliorum.

1.) *Gen XXI. Jacobus confert se in Bersabee.*

§. CXXXVIII. Atque hæc sunt, quæ pro stabiliendis peregrinationibus Bellarminus adducit. I) Pererius in comm. Genes. hoc urget, *quod Jacobus patriarcha contulerit se in Bersabee, ibidemque divinum oraculum consuluerit, ubi Abraham altare exstruxerat, ac Isaacus Dominum religiose coluerat, id ergo esse factum propter loci sanctitatem*, Gen. XXI. 33. XXVI. 23. XXVIII. 10. *Resp.* est fallacia finis. Deflexit ex itinere Jacobus, & ibi potissimum substitit, ut intuitu loci promissiones in eo divinitus editas altius memoriæ imprimeret, non quod peculiarem aliquam sanctitatem loco inesse putaret, ob quam preces & sacrificia essent Deo acceptiora, unde posterorum superstitionem, qui ea opinione atque intentione Bersabeam, Bethelem & Gilgalam frequentabant, Deus per prophetam taxat, Oseæ IV. 15. Amos V. 5. VIII. 14. II) Cosserus in enchir. cap. XIV. p. 481. hoc adfert, quod *sancti peculiari ratione & cura ea loca foveant, in quibus sacra illorum ossa adservantur.* Sed de illa regnorum, provinciarum & civitatum in curam ac tutelam sanctorum distributione præter, imo contra verbum facta, in quæstione de invocatione sanctorum latius dicetur, hic repetimus illud propheticum Jer. II. 28. *Secundum numerum civitatum tuarum erant dii tui Juda.* III) Stapletonus in promt. cathol. dom. II. adv. urget verba Salvatoris Matth. XI. 7. *Quid existis in desertum videre? quibus peregrinationem Judæorum ad Johannem videndum in desertum susceptam laudari existimat.* *Resp.* quæ vero hæc consequentia? Judæi ad Johannem viventem ac docentem in desertum egressi sunt; ergo ad reliquias sanctorum defunctorum opinione cultus ac meriti peregrinationes sunt suscipiendæ? Christus interrogat Judæos, cur ad Johannem exiverint in desertum, & quid in eo quæsiverint. Ergo laudat peregrinationem ad loca sanctorum susceptam? Num interrogare est laudare, & exire in desertum est peregrinari ad loca sanctorum defunctorum? Scopus Christi est, non peregrinationem Judæorum, sed constantiam Johannis baptistæ laudare.

2.) *Sancti peculiari cura ea loca fovere, in quibus sacra illorum ossa adservantur.*

3.) *Matth. XI. Quid existis videre?*

§. CXXXIX.

Quæritur 8.) An infantes ante perceptum baptiſmum mortui extra cœmeterium ſepeliendi?

§. CXXXIX. Quæritur VIII) *Rectene fiat, quod in quibusdam locis infantes ante ſuſceptum baptiſmum mortui extra cœmeterium, vel in peculiari cœmeterii angulo abſque chriſtianis ritibus & cantionibus ſepeliuntur? Reſp.* originem illud ducit ex papatu, in quo fide catholica tenendum docetur, *parvulos ſine baptiſmo decedentes abſolute eſſe damnatos, & non ſolum cœleſti, ſed etiam naturali beatitudine carituros*, Bellarminus lib. VI. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati cap. 1. *eſſe mortis æternæ reos*, Lindanus lib. IV. panopl. cap. 15. *eſſe condemnandos, ac ad ſiniſtram cum hircis fore ſtatuendos*, Maldonatus in Matth. XXV. 23. *ſtatim, ac moriuntur, mox in infernum deſcendere*, Canus in relect. de ſacram. part. II. §. *adferent &c. animas ipſorum una cum corporibus reſumtis in tenebras eſſe detrudendas.* Azorius lib. IX. moral. cap. 33. §. *tertio &c.* Sed huic ſanguinario & Rhadamantæo pontificiorum decreto in tract. de bapt. §. 238. & 239. oppoſuimus 1.) *regulam theologicam*, quod non privatio, ſed contemtus ſacramentorum ſit damnabilis; 2.) promiſſionem divinam, quod Deus etiam velit eſſe *ſeminis noſtri Deus*, Gen. XVII. 7. quod parvulos ſibi *adferri* jubeat, Marc. X. 14. quod *venientem ad ſe recipere velit*, Joh. VI. 37. Hanc promiſſionem pii parentes fide amplectuntur, ac per preces infantes ſuos adhuc utero concluſos Deo offerunt; 3.) *bonitatem divinam*, quod non ſit voluntas Patris cœleſtis, ut pereat unus de parvulis iſtis, Matth. XVIII. 14. 4.) *potentiam divinam*, quod extraordinaria actione in illis infantibus fidem ad ſalutem accendere poſſit, nec mediis in noſtrum commodum inſtitutis abſolute ſit adſtrictus, 5.) *univerſalitatem meriti* per Chriſtum præſliti, qui etiam propter infantes infans naſci voluit, 6.) *exempla infantum Iſraëliticorum* ante ſuſceptam circumciſionem mortuorum, neque tamen a ſalute ſimpliciter excluſorum. Confer Lutherum tom. II. Jen. Lat. p. 133. tom. VIII. Jen. Germ. p. 51. tom. XII. Witeb. p. 184. in Geneſ. XVII. p. 81. Bugenhagium in explicatione Pſalm. XXIX. quæ exſtat in decade IV. conſil. Bidenbachium conſil. III. epiſtolam conſolatoriam D. Mörlini, quæ exſtat decad. ead. conſil. IV. reſponſum Theodorici Schnepffii decad. ead. conſil. V. ſcriptum Salomonis Codomanni decad. ead. conſil. VII. informationem Joachimi Zehneri decad. ead. conſil. VII. judicium Michaëlis Cœlii decad. IX. conſil. VII. Ex hiſce igitur fundamentis pontificius mos infantes non baptizatos extra cœmeterium vel in peculiari cœmeterii angulo ſine chriſtianis ritibus ſepeliendi merito abrogatur, & conſlit. eccleſiaſt. Auguſti in articulis generalibus cap. XV. p. 335. ordinatione rectius hac in parte ſtatur.

CAPVT VIII.

DE CONSEQVENTIBVS MORTIS RESPECTV ANIMAE,

HOC EST, EIVS CONDITIONE ET STATV.

SECTIO I.

DE ANIMAE IMMORTALITATE.

Conſequentia mortis reſpectu animæ.

§. CXL. Diximus hactenus de ἑπομένοις *ſive conſequentibus mortis* ratione *corporis*, reſtat ut de ἑπομένοις mortis reſpectu *animæ*, hoc eſt, de *animæ poſt mortem conditione ac ſtatu* in poſterum agamus. *Pulvis in terram revertetur, ſicut quod fuit*, vel quemadmodum antea fuit, *& ſpiritus revertetur ad Deum, qui dedit illum*, ait rex ſapiens Eccleſ. XII. 7. eo ipſo nos docens, quod maximum ſit diſcrimen inter ſtatum corporis & animæ poſt diſſolutionem eorumdem in morte factam. In vita arctiſſimo vinculo invicem ſunt connexa, unde adfectiones ac paſſiones corporis redundant in animam, & viciſſim adfectiones ac paſſiones animæ redundant in corpus, ani-

ma nihil quidquam agit extra corpus, nec corpus quidquam agit extra animam; sed in morte anima a corpore separatur, ac redit ad Deum, cujus judicio sistitur, a quo vel sanctis angelis deferenda in cœlum, vel malis spiritibus detrudenda in infernum traditur, corpus revertitur in pulverem terræ, ex quo prima & antiquissima ejus origo prodiit, ac per putrefactionem ac cinerefactionem in pristina principia redigitur. Post illam dissolutionem ac separationem adfectiones ac passiones animæ non redundant amplius ad corpus, & vicissim adfectiones ac passiones corporis non redundant ad animam, nec anima agit per corporis instrumentum, sed separata vivit ac subsistit, nec dissolvitur aut fatiscit, sicut corpus in sua principia resolutum, sed extra corpus subsistens immortalem agit vitam, atque ab omni corporis commercio semota in certo τῷ adservatur, donec constituto universalis resurrectionis die corpus divina virtute excitatum eidem iterum conjungatur, ac postmodum homo justam judicis sententiam experiatur.

Animæ immortalitas confirmatur.

§. CXLI. Anima ergo, nobilissima hominis pars, in morte non interit, sed immortalis perseverat, id quod sequentibus comprobatum damus fundamentis: I) Ex *diserta Salvatoris nostri adsertione:* Matth. X. 28. *Animam occidere non possunt.* Quod sic vivit, ut occidi nequeat, illud est immortale. Occisionis negatio est ἀθανασίας καὶ ἀνωλεθρίας adsertio. Jam vero anima ita vivit, ut occidi nequeat. Ergo est immortalis. Augustinus tract. XLVII. in Joh. *Quomodo securus sum, quia non moritur anima? ipsum Dominum audi dantem servo securitatem: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent, quid faciant. Certe ergo immortalis est anima.* Non est, quod cum Smalcio contr. Frantzium p. 413. quispiam objiciat, in sequentibus statim addi: *Timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehenna*; ibi enim agitur de morte secunda, quæ non fit trucidando & annihilando, sed infernalibus pœnis cruciando. Tertullianus de resurr. carnis cap. 34. p. 330. *Recipimus animæ immortalitatem, ut perdita non in interitum tradatur, sed in supplicium, id est, in gehennam.* Augustinus lib. XIII. de civit. Dei cap. 12. *Mortem totius hominis sequitur illa, quam secundam mortem divinorum eloquiorum adpellat auctoritas, hanc Salvator significavit, ubi ait:* eum timete &c. *illa pœna ultima ac sempiterna recte mors animæ dicitur, quia non vivit ex Deo, nec vivere corpus dicendum est, in quo anima non vivendi causa est, sed dolendi &c.* Adde, quod anima non sit eo modo immortalis, quo Deus, ἀσιωδῶς scilicet & independenter; eo enim sensu *solus Deus* dicitur *habere immortalitatem*, 1. Tim. VI. 16. sed per creationis gratiam, quia sic a Deo condita est, ut non habeat in se internum corruptionis principium, sed sit natura incorporea, invisibilis & immortalis. Posset tamen Deus, si vellet, animam in nihilum redigere & penitus extinguere, sed quia immortalem eam esse voluit, ideo per & propter illam creatoris voluntatem immortalis perseverat. Immortale est, vel quod *absolute & simpliciter* nulla potestate, etiam divina aboleri nequit, hoc modo solus Deus est immortalis, vel quod *ita a Deo conditum, ut non intereat*, licet per absolutam Dei potentiam aboleri possit, hoc modo animæ hominum & angeli immortales sunt.

§. CXLII. II) Ex *animæ & corporis oppositione.* In quo anima & corpus ἀντιθετικῶς sibi invicem opponuntur, illud non potest de utroque ex æquo prædicari. Sed in mortalitate anima & corpus sibi invicem opponuntur, ita ut de corpore mortalitas adfirmetur, de anima vero negetur. Ergo mortalitas non potest de utroque ex æquo prædicari. *Adsumtum* probatur ex illo ipso Salvatoris dicto: *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt*; ubi manifestum est, occisionem de corpore prædicari adfirmate, de anima vero negate. Conjungimus locum Eccles. XII. 7. *Pulvis revertitur in terram,*

terram, quemadmodum antea fuit, sed spiritus redit ad Deum, qui dedit eum. Si spiritus, hoc est, anima eodem modo interitui esset obnoxia, quo corpus, utique non posset inter corporis & animæ flatum, quem utraque pars post mortem consequitur, oppositio institui. III) Ex *primæva animæ creatione.* Brutorum animæ ex eadem materia, qua ipsorum corpora, productæ fuerunt, unde corporibus intereuntibus etiam ipsæ intereunt. Gen. I. 20. *Dixit Deus, producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile volitet super terram.* v. 24. *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta & reptilia & bestias terræ secundum species suas.* Homini vero animam inspiravit. Gen. II. 7. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem;* (*) unde sic inferimus: Cujus origo a brutorum animabus diversa, ejus

(*) Quum verba scriptoris sacri, supra a GERHARDO recitata, quibus creationem hominis describit, maximi sint momenti, nobisque luculentum pro immaterialitate animæ suppeditent argumentum, necessarium esse ducimus, ut in genuinum eorum sensum paullo adcuratius hoc inquiramus. Leguntur ea *Gen. II. 7.* atque in fonte ebræo ita fluunt: ויצר יהוה אלהים את־האדם עפר מן האדמה ויפח באפיו נשמת חיים ויהי האדם לנפש חיה׳ *Et formavit Deus hominem pulverem ex terra, & inspiravit in nares ejus animam vitarum; & sic homo factus est in animam viventem.*

Hominem binis constare partibus, anima nimirum & corpore organico, nemo est, qui ignoret. Quod ad *corpus* attinet, non opus esse arbitramur, ut de ejusdem creatione longiorem hoc instituamus tractationem. Constat enim ex historia Mosaica, illud ex gleba terræ ab omnipotenti creatore fuisse formatum. Sunt equidem nonnulli, qui transpositionem particulæ מן admittendam esse arbitrantur, ut sensus sit: *ex pulvere terræ.* Sed recte alii monuerunt, etiam illum verborum ordinem, qui in textu ebræo exstat, omnino servari posse, ea quidem ratione, qua Deus primum hominem olim adlocutus est: עפר אתה, *pulvis es tu, & in pulverem reverteris, Genes. III. 19.* Indicare nimirum hisce verbis voluit, Adamum, qua corpus spectatum, pulverem esse, seu corpus terrestre habere, quemadmodum reliqua animantia, de quibus simpliciter dicitur: Producant aquæ, producat terra animam viventem. Creavit Deus cetos, fecit bestias terræ, fecit *e terra. Genes. I. 20, 21, 24, 25. II. 19.*

Longe aliter sese res habet cum altera hominis parte, anima nimirum rationali. Hujus enim naturam incorpoream fuisse ac πνευματικην, ex ejus creatione ac denominatione *Genes. II. 7.* satis intelligitur. Emphatice profecto nec sine præguanti ratione anima נשמת חיים, *spiritus vitarum* a scriptore sacro adpellatur. Equidem negare nolumus, vocem נשמה subinde de *respiratione, halitu, flatu, adflatu* usurpari; verum non πρωτως halitus & respiratio attenditur, sed *adjunctum* pro anima intelligente figurate ponitur, quia respiratio in homine quoddam quasi retinendæ animæ instrumentum est & argumentum, animam rationalem corpori inesse, prout recte adnotavit b. DEYLINGIUS *observat. sacrar. part. II. p. 41, 42.* Generatim adfirmare licet, in plerisque codicis sacri locis, ubi hæc vox de homine adhibetur, naturam hominis rationalem intelligi. Vid. *Esaj. LVII 16. Proverb. XX. 27.* Atque hunc ipsum significatum in nostro quoque oraculo omnino habere locum, totus contextus satis clare nos condocet. Non enim ut de aliorum animantium, ita & de hominis creatione verba facit scriptor divinus, ut scilicet & animæ & corporis creationem conjungat; sed primo corporis, deinde vero animæ productionem describit, atque hac ipsa ratione nos condocet, animam hominis esse aliquid a corpore plane diversum.

Nec est, quod forte quis objiciat, ex vocabulo נשמה, *immaterialitatem* adeoque & *immortalitatem* animæ humanæ vel eapropter adstrui haud posse, siquidem *Genes. VII. 22.* animæ quoque brutorum hocce nomine insigniantur. Si quis enim verba *loc. cit.* exstantia rite consideraverit, facile deprehendet, *versum 22. cap. VII. Genes.* non respondere toti commati præcedenti, sed ultimis duntaxat ejusdem verbis וכל אדם, adeoque vocabulum נשמה de hominibus tantum intelligendum esse.

Jam vero & hoc porro notandum, quod Deus homini inspirasse dicatur *spiraculum* non simpliciter *vitæ*, sed חיים *vitarum*, voce in multitudinis numero posita; ut exinde intelligatur, una cum vita corporis hominem donatum esse alia vita, a vita corporis plane distincta, *rationali* nimirum, diversis potentiis, seu facultatibus instructa. Atque hæc ipsa natura animæ humanæ exinde etiam uberius confirmatur, quia ejusdem *inspiratio*, seu *insufflatio* non fuit corporea seu materialis, quem admodum illa Christi ἐνεφύσησε *Joan. XX. 22.* vel aliorum homi-

ejus quoque non est idem cum brutorum animabus interitus. Jam vero animæ humanæ primæva origo a brutorum animabus est diversa, quia non ex materia elementari, sicut brutorum animæ, est facta, sed divinitus corpori ex terra formato inspirata. Ergo corpori tribuitur πλάσις ex terræ pulvere, animæ vero immediata Dei ἔμπνευσις. Hebræi notant in verbo וַיִּיצֶר poni duplex *jod*, cum regulariter deberet esse unum *jod* & duplex *zere*, ad innuendam duplicem hominis creationem, terrenam corporis & cœlestem animæ. Bernhardus sermone II de nativ. Dom. *Spiritus non communem, sed propriam habet conditionem, nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur.* Augustinus lib. II. de Genes. ad literam cap. 9. huc adcommodat dictum Esaiæ LVII. 16. *Animas ego feci.* Convenientius huc refertur locus Eccl. XII. 7. *Spiritus redit ad Deum, qui dedit eum;* hoc est, Deus ex terræ pulvere corpus hominis formavit, sed animam ei inspiravit, ideo pulvis sive corpus ex pulvere formatum in terram revertitur, sed spiritus redit ad Deum, qui dedit eum. Addendum autem huic argumento, quod homo *ad imaginem & similitudinem Dei fuerit creatus*, Gen. I. 27. ac proinde etiam ad immortalitatem, Sap. II. 23. quam enim Deus homini inspiravit animam, ea luce divinæ sapientiæ, justitiæ ac lætitiæ fuit collustrata, & ad vitam æternam condita.

§. CXLIII. IV) Ex *ipsa adpellatione.* Animam primo homini inspiratam Moses vocat נִשְׁמַת חַיִּים, *spiraculum vitarum*, ubi notant *numerum pluralem*, quo innuitur genuina hominis vita, temporalis & æterna, quam immortalis animæ beneficio homo obtinere debuit; sed quia vox חַיִּים est *plurale* tantum, ideo argumentum illud non est adeo firmum. Quidam argumentum petunt ex adpellatione *spiritus*. Vt enim angeli, quia sunt spiritus δῦλοι & immateriales, recte creduntur immortales: ita quoque anima humana, quia vocatur spiritus Eccl. III. 21. Act. VII. 58. Hebr. XII. 23. &c. ideo immortalis merito statuitur. Sed cum etiam brutorum animæ dicantur spiritus Gen. VI. 17. Eccl. III. 21. ideo ex sola & nuda illa denominatione argumentum apodicticum peti nequit, sed reliquis est conjungendum & addendum, quod anima sit talis spiritus, qui ad Deum redeat, qui in manus Dei commendari possit ac debeat &c. V) Ex *vitæ post hominis mortem continuatione.* Quicunque corpore in cinerem redacto adhuc vivunt, illorum anima vivit. *Ratio* est, quia non

hominum, sed a Deo profecta, adeoque prorsus divina. Jam vero, cum Deus sit spiritus, inspiratio quædam materialis de eo cogitari nequit. Proinde & id, quod ab ipso Deo αμέσως corpori humano fuit inspiratum, atque ab eo plane diversum, illud *incorporeæ* naturæ adeoque *spiritus* sit, necesse est. Hinc & anima humana *Prov. XX. 27.* dicitur נֵר יְהוָה, *lampas Dei*, quia ab ipso Deo *Genes. II. 7.* flatu suo accensa dicitur.

Supereſt, ut de ultimis hujus oraculi verbis pauca subjiciamus. Dicitur ibidem, hac ratione *factum esse hominem* לְנֶפֶשׁ חַיָּה, *in animam viventem.* Quum vox נֶפֶשׁ, quæ homini tribuitur, atque a Græcis per ψυχὴν, a Latinis vero per *spiritum* vel *animam* communiter efferri solet, ex usu Ebræorum exponi debeat, nec de homine tantum, sed de brutis quoque animantibus a Mose adhibeatur, ingenue fatemur, nullum exinde pro immaterialitate animæ humanæ deduci posse argumentum. Denotat plerumque in sanctioribus litteris principium immediatum materiale motuum & operationum mechanicarum in quovis animali, qualecunque illud sit; unde & subtiliores sanguinis partes in animantibus brutis, sive spiritus animales ac vitales, dicuntur נֶפֶשׁ, veluti *Lev. XVII. 11.* ubi *anima carnis* (animalis) ipso Deo interprete, in *sanguine* ejus esse adseritur. Nec tamen desunt exempla in codice sacro, ubi vox נֶפֶשׁ *figurate* pro ipsa mente, cogitationum sede, adhibetur, ut *Psalm. XXXV. 7.* alibique passim. Vid. DEVLINGIVM *loco* supra *excitato p. 43. seqq.*

Oraculo divino, quod hoc uberius exposuimus, aliud adjungere possemus ex *Genes. I. 26.* desumtum. Cum enim ibidem Moses primum hominem ad imaginem Dei conditum diversis verbis docet, eundem animæ simul insignare immortalitatem, recte observat EVSEBIVS, *libr. XI. præparat. evangel. cap. XXVII.* Verum cum hæc nota sub manibus jam excreverit, plura in rerum præsentia non addimus.

non sunt plures hominis partes, quam duæ, corpus & anima; utique ergo vel respectu corporis vel animæ vita ipsi tribuitur, de corpore post mortem ante resuscitationem & unionem cum anima dici nequit, quod vivat, ergo de anima hoc intelligendum. Jam subsumo. Sancti patriarchæ corporibus suis in cinerem redactis adhuc vivunt, Matth. XXII. 32. Marc. XII. 26. Luc. XX. 37. ubi Christus tali argumento utitur: Quos Deus eo loco habet, ut se eorum Deum esse pronunciet, illi vivunt, *quia Deus non est Deus mortuorum, sed viventium.* Atqui Deus sanctos patriarchas Abrahamum, Isaacum & Jacobum eo loco habet, ut se eorum Deum etiam post mortem pronunciet, Exod. III. 6. Ergo sancti illi patriarchæ Abrahamus, Isaacus & Jacobus etiam post mortem adhuc vivunt. Nondum autem vivunt ratione corporum suorum. Ergo respectu animarum. Quod autem de sanctis patriarchis dicitur, idem de reliquis piis statuendum, quia Deus etiam se ipsorum Deum esse adserit, ubi nota Christum hoc argumentum petiisse videri ex Habac. I. 12. *Quoniam tu es Deus noster ab initio, non moriemur*, scilicet in æternum.

§. CXL. V. Excipiunt Photiniani: I) *Salvatori de resurrectione corporum ibi agere propositum esse. Resp.* ex eo inferri nequit, quod non etiam animarum immortalitatem eadem opera stabiliat, quia ex animæ immortalitate ejusdem unionem cum corpore contra Sadducæos concludit, & valde emphaticum est, quod non in *futuro*, sed in *præsenti* loquitur apud Luc. XX. 38. *omnes ei vivunt.* Sadducæi non solum negabant resurrectionem corporum, sed etiam animarum immortalitatem, Act. XXIII. 8. utrumque igitur Christus contra eos ex Mose, cujus solius libros recipiebant, demonstrat. Hieronymus in comm. Matth. XXII. *Ad æternitatem animarum probandam de Mose ponit exemplum, ut cum probaverit, animas permanere post mortem, (neque enim poterat fieri, ut eorum esset Deus, qui nequaquam subsisterent,) consequenter introduceretur & corporum resurrectio, quæ cum animabus bona malave gesserunt.* II) *Non patres ipsos, sed animas eorum vivere Christus dicere debuisset. Resp.* ex subordinatis non sunt facienda opposita. Patres ideo atque inde dicuntur vivere, quia animæ eorum vivunt. Usitata est in scripturis *synecdoche*, qua toti tribuitur, quod est partis. Sic apostolus dicit: *cupio esse cum Christo*, Phil. I. 23. animæ scilicet ratione & respectu. Latro conversus eo ipso die erat futurus cum Christo, Luc. XXIII. 43. III) *Deus dicitur patriarcharum Deus, quia olim ipsis benefecerat. Resp.* sic Christo fuisset dicendum, non ego sum, sed *fui* Deus ipsorum. Quamvis vero Moses in Hebræo verbum *substantivum* non addat, Christus tamen dictum Mosaicum adlegans recte illud expressit, cum implicite in eo contineatur. IV) *Dicitur ipsorum Deus, quia benefacit posteritati. Resp.* scriptura utrumque conjungit, quod sit Deus patrum, & seminis sive posteritatis eorum, Gen. XVII. 7. utrisque ergo benefacit, non solum in vita, sed etiam post mortem, si scilicet in vera fide ad finem usque vitæ perseverent. V) *Christus* Rom. XIV. 9. *etiam mortuorum dominus adpellatur. Resp.* quidam distinguunt inter has phrases, *esse Deum mortuorum*, & *dominum mortuorum*; sed simplicius respondetur, Christum adcommodare responsum suum ad opinionem Sadducæorum, qui existimabant hominem anima & corpore exstingui, neque unquam ad vitam resurgere; in hoc sensu recte negat Christus, Deum esse Deum mortuorum, hoc est, eorum, qui nec animæ nec corporis respectu vivunt, qui plane in nihilum redacti. Apostolum vero adserere, quod Christus sit dominus viventium ac mortuorum, hoc est, eorum, qui non amplius in his terris quidem vivunt, interim tamen respectu animæ beatam in cœlo vitam agunt. Breviter, Deus est tantum Deus vivorum, hoc est, illi, quorum se Deum vocat cœlestis ille Dominus, vivunt, sed vivi illi sunt in duplici differentia, quidam vivunt in corpore & cum corpore, quidam vero extra corpus & a corpore soluti, omnes tamen vivunt. Ex illo igitur divino oraculo Salvator

noſter & animæ immortalitatem & corporum reſurrectionem recte omnino contra Sadducæos probavit. Idem agnoſcunt pii veteres: Origenes tractat. XXII. in Matth. circa finem: *Deus qui eſt, dicit: Ipſe ego ſum, qui ſum &c. Cum poſſet mille exempla proferre oſtendentia reſurrectionem futuram, hoc non fecit ex prophetis, ſed tantum ex lege, quoniam Sadducæi tantum Moſaicam legem legebant, ex qua volens eos placare, protulit inde exemplum. Si impoſſibile eſt, ut dicatur eorum Deus eſſe, qui non ſunt, & ſi hoc impoſſibile eſt, ergo eorum eſt Deus, qui ſunt, & qui vivunt, & ſentiunt beneficium ejus.* Hilarius in Pſalm. LI. *Omnis fidelis in Domino, licet mortuus ſit, Deo tamen vivit, ut dictum eſt: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob. Non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum.* Et poſtea: *Deus jus vivificandi ſibi non ademit, legem nobis decernendo moriendi &c. vivunt itaque quique ſancti fideles Deo. Nam cum ſe Deum eorum, qui mortui fuerant, id eſt, Abrahæ & Iſaac & Jacob dicat, & continuo teſtetur, non mortuorum ſe, ſed vivorum Deum eſſe, docet per id, eos, qui judicio humanæ opinionis mortui exiſtimantur, ſibi legem decernenti non mortuos eſſe.* Idem can. XXIII. in Matth. circa medium: *Sermo hic, ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac & Deus Jacob, ad Moſen ſanctis iſtis patriarchis jampridem quieſcentibus exſtiterat. Ergo quorum erat Deus, hi Deum habebant. Nihil autem poterant habere, ſi non erant. Quia in natura rei eſt, ut eſſe id neceſſe ſit, cujus eſt alterum. Atque ita Deum habere viventium eſt, cum Deus æternitas ſit, & non ſit eorum, quæ mortua ſunt, habere id, quod æternum eſt. Et quomodo eſſe illi futurique ſemper negabuntur, quorum ſe eſſe profiteatur æternitas?* Damaſcenus lib. IV. orth. fid. c. 28. Οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς νεκρῶν θεὸς τῶν ἀποθανόντων καὶ ἔκ ἔτι ἐσομένων, ἀλλὰ ζώντων, ὧν αἱ ψυχαὶ μὲν ἐν χειρὶ αὐτοῦ ζῶσι, τὰ δὲ σώματα πάλιν διὰ τῆς ἀναστάσεως ζήσεται. Lutherus in comm. Geneſ. II. p. 195. *In primo præcepto eſt doctrina fidei & reſurrectionis mortuorum. Ego creator omnipotens cæli & terræ ſum Deus tuus, hoc eſt, tu debes vivere ea vita, qua ego. Si cum bobus loqueretur, hæc in æternum viverent, nobis autem, nobis, inquam, hæc dicuntur, non illud, tu debes comedere paleam, triticum, gramen, ſed ſum Deus tuus &c.* Obſervari ὡς ἐν παροδῷ poteſt, quod Bellarminus lib. I. de purg. cap. 3. reſp. ad 2. monet, *apud Judæos olim fuiſſe uſitatiſſimum, habere pro eadem quæſtione illam de reſurrectione, & illam de animæ immortalitate, etſi revera diſtinctæ ſint. Nam apud Judæos, qui negabant unum, negabant alterum, ut Sadducæi, & qui unum fatebantur, etiam alterum fatebantur, ut Phariſæi, ut patet* Act. XXIII. *Nec immerito, nam cum anima rationalis ſit vera forma corporis, & proinde vera pars hominis, non eſt veriſimile, Deum voluiſſe animam perpetuo vivere ſine corpore. Hinc Dominus Matth. XXII. probaturus Sadducæis reſurrectionem, utitur illo teſtimonio ſcripturæ:* Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob; *& ſubjungit:* Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium; *ex quibus inferre intendit, ergo mortui reſurgunt. At hoc argumentum nihil concludit, niſi præſupponatur, quæſtionem de immortalitate animarum & de reſurrectione corporum accipi pro una & eadem, poſſet enim alioquin negari conſequentia. Nam Deus erit Deus viventium, etiamſi mortui non reſurgant, quandoquidem animi ipſi vivunt. Pari ratione apoſtolus cum ait* 1. Cor. XV. *Quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt, comedamus & bibamus, cras enim moriemur? niſi præſupponat animas eſſe mortales, ſi corpora non reſurgunt, nihil probat. Nam ſi animus eſt immortalis, etiamſi corpora non reſurgant, multum proderit jejunare & bene vivere, quia proderit ad gloriam animæ adquirendam.* AbenEzra in Lev. XVIII. 3. *ideo dicit:* Ego ero Dominus Deus veſter; *ut oſtendat ipſos victuros in utroque ſeculo.* Flacius in clav. ſcript. part. I. in verbo *reſurrectio.* Matth. XXII. & 1. Cor. XV. quæſtio de animæ immortalitate cum corporum reſurrectione conjungitur, atque una ex altera probatur.

Iſius

Istius conjunctionis duarum quæstionum, nempe immortalitatis animæ & resurrectionis corporis, seu contra mortalitatis animæ & corporis perpetui interitus aut abolitionis æternæ est ipsarum duarum hominis partium summa conjunctio. Non enim ita est condita a Deo anima, ut perpetuo sola vivere sine corpore debeat, sicut angeli; sed cum sit tantum altera pars hominis, necessario requirit etiam alterius reparationem, ut fieret homo integer, & qui totus peccavit, totus puniatur, vel contra, qui totus est Christo insertus, ac per eum justificatus & filius Dei factus, totus etiam in perpetuum vivat. Si igitur corpus nunquam debet per resurrectionem reparari, necessario etiam altera hominis pars, nempe anima erit manca & veluti nihil. Quod si illa vivit, & in perpetuum vivere, ac vel bene vel male habere debet, necessario & alteram ad se omnino pertinentem partem aliquando recipere debet, ut in perpetuum homo integer existat. Sic igitur ex immortalitate animæ etiam corporis immortalitas per resurrectionis instaurationem facta solide deducitur, & contra ex plena perpetuaque abolitione corporis etiam animæ tanquam mancæ & mutilæ partis (ut ita dicam) nullitas interitusque consequitur.

§. CXLV. VI) Ex *mortis descriptione.* Patriarcharum mors a Spiritu sancto sic describitur, quod *congregati fuerint ad populum suum*, Gen. XXV. 8. XXXV. 29. XLIX. 33. ex qua phrasi immortalitatem animæ evidenter colligi posse, ostendimus superius. De Abrahamo primo omnium hæc phrasis usurpatur, de quo dici nequit, quod corpus ejus majorum sepulcris sit illatum, ergo ratione corporis illa collectio ad populum facta intelligi nequit. Danieli moriturο dicitur Dan. XII. 13. *Vade ad finem, & requiesces & stabis* (resurges tempore divinitus statuto atque interim quoad animam constitueris) *in sorte tua*, hoc est, tibi adsignata, *in sorte* scilicet *sanctorum in lumine*, Act. XXVI. 18. Col. I. 12. Theodotion vertit *in ordine tuo.* Ergo Danielis anima non interiit in morte, sed in sorte sanctorum superstes permansit. Contra de Juda proditore Petrus dicit Act. I. 25. quod post mortem abierit *in locum suum*, hoc est, in locum tormentorum, justo scilicet Dei judicio sibi & omnibus incredulis paratum, Matth. XXV. 41. Vt enim parabolice Salomon Eccl. XI. 3. docet: *Si ceciderit arbor*, hoc est, si in morte anima hominis a corpore soluta emigraverit, *ad austrum vel ad aquilonem*, in loco gaudiorum vel cruciatuum, in luce vel in tenebris, in beatitudine vel damnatione, *in quemcunque locum inciderit, ibi erit ac manebit.* 2. Cor. V. 1. & 2. Pet. I. 14. mors vocatur *depositio tabernaculi*, jam vero quando tabernaculum deponitur, is, qui in tabernaculo habitavit, non statim interit, sed fortunarum suarum sedem alibi figit. 2. Cor. V. 4. in morte dicimur *exui*, corporis scilicet vestimento, jam vero qui vestibus exuitur, non statim esse desinit; v. 8. *ex corpore ad Dominum peregrinari* dicimur, jam vero qui peregrinatur, locum duntaxat mutat, non autem vitam amittit. Idem ergo de anima hominis in morte statuendum. VII) Ex *animarum post mortem statu & conditione.* De animabus *omnium hominum* in genere dicitur Eccl. XII. 5. quod *abeant in domum æternitatis suæ*, hoc est, ad locum, in quo manebunt in perpetuum, id quod de corporibus intelligi nequit, quippe quæ ex sepulcro excitabuntur; Luc. XII. 20. *quod* in morte eas Deus *repetat.* De animabus piorum in specie dicitur, quod *in manum Dei* velut præclarum aliquod depositum ac παρακαταθηκον commendentur, Psal. XXXI. 6. Luc. XXIII. 46. Act. VII. 58. unde Christus non in vita solum, sed etiam in morte earum *pastor & episcopus* nominatur, 1. Pet. II. 25. quod *ab angelis in sinum Abrahæ deportentur*, Luc. XVI. 22. quod *sint in manu Dei, & non tangat illas tormentum*, Sap. III. 1. quod *sint cum Christo*, Phil. I. 23. quod *sint præsentes apud Dominum*, 2. Cor. V. 8. quod *sint cum Christo in paradiso*, statim ut e corporibus fuerint solutæ, Luc. XXIII. 43. (Smalcius disput. VII. posit. contra Frantz. p. 410. textum sic divel-

lit, ut legendum esse statuat, *Ego dico tibi hodie, mecum eris in paradiso.* Sed hanc ne-fariam separationem conjungendorum refuta-bimus inferius) quod *redeant ad Deum* (in cœlestem beatitudinem, sic enim a quibusdam specialiter de piorum animabus hoc dictum accipitur, quamvis etiam generaliter sensu antea exposito accipi possit) Eccl. XII. 7. quod *sint ante thronum Dei, & serviant ei die ac nocte*, Apoc. VII. 15. quod *expetant a Deo vindictam sanguinis*, Apoc. VI. 10. id quod peculiariter de animabus martyrum interfecto-rum propter verbum Dei accipiendum, v. 9. Contra vero de animabus damnatorum dici-tur, quod detrudantur statim a morte *in in-fernum*, *in locum tormentorum*, ibidemque crucientur, Luc. XVI. 23. 24. 25. 28. quam di-versam imo adversam prorsus ac contrariam animarum piarum ac impiarum post mortem conditionem emphaticis verbis describit Abigail in colloquio cum Davide 1. Sam. XXV. 29. *Anima Domini mei erit illigata seu involuta in fasciculo viventium, sed anima inimicorum tuorum funda rotabitur.* Illud enim non tan-tum de conservatione vitæ adversus violentiam hostium, sed etiam de remuneratione pietatis & clementiæ post hanc vitam accipiendum esse, ex aliis scripturæ dictis colligi potest. Ex qui-bus omnibus sic concludimus: Quidquid sta-tim post mortem præmia vel pœnas accipit, illud post mortem superstes manet, sed anima hominis statim post mortem præmia vel pœ-nas accipit. Ergo. VIII) Ex *Mosis adpari-tione.* In transfiguratione Christi Matth. XVII. 3. Marc. IX. 4. Luc. IX. 30. comparet, ac cum Christo loquitur non solum Elias, qui vivus curru igneo in cœlum erat evectus, quem Tertullianus de resurr. carnis cap. 8. vocat æternitatis candidatum, sed etiam Moses, qui ante aliquot secula erat mortuus, & corpus ejus terræ illatum Deut. XXXIV. 5. & 6. ergo ipsius anima non interiit simul cum corpore, sed ad cœlestem beatitudinem evecta gaudio fruitur sempiterno. Idem de animabus reli-quorum piorum statuendum. IX) Ex *carnis resurrectione.* Credimus in symbolo *carnis resurrectionem.* At quomodo resurget corpus sine anima, quove modo erit anima, si non erit?

An immorta-litas animæ ex lumine na-turæ cogno-sci possit.

§. CXLVI. Hæc sunt potiora argumenta, quæ pro animæ ἀθα-νασίᾳ καὶ ἀφθαρσίᾳ ex scriptu-ris adferuntur. Quidam statuunt eamdem ex *lumine naturæ* effica-citer demonstrari posse, (*) quam ad rem has potissi-

(*) Argumenta pro immortalitate animæ a *ratione* pe-tita in diversas classes dispesci possunt, prouti mo-do ad veritatis efficacem demonstrationem, modo ad veritatis similitudinem propius accedunt, modo vi sua interna, modo ex hypothesibus tantum probant, quæ unicuique systemati, quod proprium fere qui-vis habet philosophus, propriæ sunt, & pleræque adhuc sub lite versantur, nunquam forte decidenda.

Agmen quidem merito ducunt illa argumenta, quæ ex ipsa *animæ natura*, ex principio *indestruc-tibilitatis*, quod ipsi inest, ex *simplicitate* ejus sive immaterialitate immortalitatem animæ vindicant. Neque enim nos istam animæ *immaterialitatem* in-ter hypotheses referimus, de quibus nondum conve-nerint eruditi, sed satis probatam putamus, ut le-gitime superstrui ipsi possit argumentatio, immortali-tatem animæ inde eliciens. Sed cum non omnia inde deduci possint, quæ ad plenam probationem requiruntur, cum nihil amplius ex hac animæ sim-plicitate sequatur, quam non resolvi eam posse na-turali causarum cursu in partes, adeoque naturali-ter post mortem mansuram; nec illud etiam sequa-tur, animam post mortem adhuc cogitaturam, nec denique de eo nos certos ista argumentatio faciat, animam a vi omnipotente nunquam destructum iri: alia omnino argumenta cum hoc conjungenda atque in subsidium vocanda sunt. Progredi itaque debet argumentatio, atque ex vi animæ sui motrice, ex nisu ejus interno ad ulteriorem evolutionem, ex consecutione perceptionum & statuum probare, ani-mam etiam post mortem cogitaturam & consci-entiam sui retenturam: quod si evicerimus, non mul-tum laboris faceret etiam illud demonstrare, ani-mam nunquam a vi omnipotente destructum iri. Quodsi enim jam probatum sit, animam sua natura indestructibilem nisum æternum ad ulteriorem evo-lutionem exferere; ipsi jam videbimus, indignum Dei sapientia, indignum ejus bonitate fore, si finem semel propositum quasi desereret, & quæ immorta-litati se destinasse, satis luculenter demonstravit, ipse jam destrueret. Hoc ordine connexa argumenta

meta-

potissimum rationes proferunt: 1.) Anima rationalis est substantia *per se subsistens* & spiritualis, ut patet ex operatione, quia actus cognoscendi nonnulli spirituales sunt in nobis, hoc est, neque ex materia constantes, neque a materia subjectove dependentes, sed inorganici in immaterialibus, universalibus & æternis cognoscendis. Ergo etiam est immortalis. Hoc argumentum late deducunt Conimbricenses in tract. de anim. separat. disp. I. artic. 3. col. 568. 2.) Anima humana est essentia simplex, invisibilis, immaterialis, Deo simillima, independens a materia. 3.) Est essentia sese primo movens. 4.) Desiderat naturæ adpetitu æterna, quod desiderium frustra illi ingenitum esse, non est verisimile. 5.) Contemplatur æternas essentias, cum tamen nihil adsurgere possit ad contemplationem ejus, a quo toto genere essendi discrepat. 6.) In abstractione a rebus sensibilibus magis magisque perficitur, ergo quando a corpore separabitur, perfectissima evadet. 7.) Non est ex elementis orta, quia habet notitias naturaliter insitas, quas nulla materia elementaris imbibere potest. 8.) Habet insitum discrimen honestorum & turpium, ex quo colligit hanc justitiæ regulam, quod bonis debeat esse bene, malis male. Jam vero in hac vita boni sæpius non accipiunt sua præmia, nec mali promeritas pœnas; ergo restat vita alia, ad quam immortalis anima adspirat, alias discrimen illud frustra esset menti insitum. 9.) Hominibus male sibi propter scelera conscîis metum injicit, ergo de secuturo post mortem statu naturaliter est solicita, & suæ immortalitatis sibi probe conscia, nisi enim anima post mortem superstes esset, nihil causæ haberent homines male sibi conscii, cur de futuris pœnis formidarent. 10.) Ecstasin quandam, hoc est, intentam partis rationalis ad res sublimes absque ullo sensuum usu adplicationem naturaliter quandoque patitur, ergo etiam naturaliter per se subsistere potest, quia unumquodque sicut ab altero in operando per se non pendet, ita nec in essendo. Zabarella lib. de accret. & nutrit. cap. XV. pag. 811. 11.) Denique urgent consensum saniorum philosophorum, qui animæ immortalitatem arguit esse ex numero eorum, quæ sunt προλήψεις, anticipatæ quædam notiones ab omnibus concessæ. Tertullianus de resurr. carn. cap. 3. *Quædam & natura nota sunt, ut immortalitas animæ penes plures.* Phocylidis versiculus e Sibyllarum oraculis descriptus de immortalitate animæ sic loquitur: ψυχαὶ

metaphysica & *moralia* vim probandi a se invicem mutuam accipiunt, quæ multum ponderis vi adjicit, quam propriam singula habent.

At fuere tamen, qui unicuique horum argumentorum etiam extra nexum istum tantum tribuebant, ut vel ex singulis immortalitatem animæ probare susciperent. Fuere magni nominis philosophi, qui ex sola vi animæ sui motrice istam eliciebant, uti Plato ille antiqui ævi, & post hunc nostri seculi Plato ille, Moses Mendelsonivs, Judæus Berolinensis, Baumgartenivs alique: fuere, qui ex *consecutione statuum*, qui ex *perfectibilitate animæ*, qui ex *ideis*, quas vocant, *innatis*, istam deducebant: fuere, qui novo argumento propter *impossibilitatem transitus ab esse ad non esse* immortalem animam demonstrabant, quod Malebranchivs jam subintendit, paulo aliter b. Canzivs noster flectit, & recens felici cum successu adgressus est Mendelsonivs. Alii contra, missis argumentis proprie *metaphysicis*, quæ hypothesibus niti judicabant nunquam rigide demonstrandis, ad alia confugiebant, & modo ex *amore*, modo ex *immutabilitate*, modo ex *justitia Dei* probabiliorem animæ immortalitatem reddere contendebant: neque nos dubitaverimus ista etiam argumenta in primam classem referre, illud præsertim a *justitia Dei* desumtum, quod nova prorsus luce collustratum celeberr. Kæstnervs in prælectione: *Ob die Physik Begriffe von der göttlichen Gerechtigkeit gebe.* Goetting, MDCCLXXIII. 4. nuper proposuit.

Eo minus vero dubitamus, alia quædam argumenta, quæ in subsidium plerumque vocantur, in istorum classem rejicere, quæ *probabilitatem* tantum inferunt, non certitudinem, & ad numerum magis complendum, sive ad hiatus demonstrationis explendos, quam ad veritatem probandam produci videntur. Talia sunt, quæ de insito discrimine honestorum & turpium, de metu futuri, de æterno animæ immortalitatem adpetentis desiderio, & de consensu gentium in hac doctrina in medium adferuntur, ab adversario etiam non nimis subtili facile eludenda, nec tamen, modo cum reliquis conjungantur, omni vi probandi destituta.

γὰρ μίμνουσιν ἀκήριοι ἐν χθιμένοισιν. Item: ψυχὴ δ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ζῇ διὰ παντός. Lactantius lib. VII. inſtit. cap. 13. etiam hosce ſibyllinos adducit:

Ἀιὲν ἀγήρως ἔσα μένει δ' εἰς πάμπαν ἀτείρης,
ἀθανατος δὲ μένει, καὶ ζωῆς δεσπότις ἐϛι
πρωτογόνος γὰρ τῦτο θεῦ διέταξε πρόνοια.

Ovidius canit:

Morte carent animæ. — — —

Confer Platonem in Gorgia, Phædone, (*) Epinomide, ac lib. X. πολιτειῶν, Ciceronem lib. I. Tuſculan. & in Catone majore, ſive de ſenectute, Thomam lib. II. contra gentes cap. 79. Antoninum Florentinum part. I. ſumm. tit. 1. cap. 5. §. 2. Pererium lib. VI. phyſic. cap. 20. Valeſium in phyſ. cap. 50. Scaligerum exerc. 307. ſect. 20. Andream Ceſalpinum lib. II. quæſt. peripatet. q. 8. Lemnium lib. I. de occult. nat. mirac. cap. 14. Camerarium lib. I. ſubciſiv. oper. c. 97. & alios complures. (**) Ludovicus Vives lib. II. de anim. cap. de imm. anim. *Quocunque nos convertimus, ſurſum, deorſum, circumcirca omnia docent, teſtantur, clamant, immortalem eſſe animam.*

(*) In hocce dialogo, quæ Phædonis *Elienſis* nomen inſcriptum gerit, multa quidem de animæ immortalitate differit Plato, eandemque variis rationibus adſtruere conatur, ita tamen, ut ſimul fateatur, certam veritatis hujus demonſtrationem in mortali hacce vita adferri vix poſſe. Caeterum non ethnici tantum, ſed & veteres chriſtiani, veluti Tertvllianvs, Origenes, Evsebivs, hunce Platonis librum paſſim in ſcriptis ſuis laudarunt. Vid. quae de eo adnotarunt Jo. Alb Fabricivs in *biblioth. Græcæ libr. III. cap. I. §. IV. p. 8. ſeqq.* & Jac. Bryckervs in *hiſtoria critica philoſophiæ.*

(**) Ingens profecto eorum eſt numerus, qui in pertractando argumento hocce graviſſimo, tum antiquiori, tum recentiori hoc ævo ſtudium ſuum operamque collocarunt. Sufficiat ex iis heic adnotaſſe Joachimvm Hildebrandvm, theologum quondam Helmſtadienſem, cujus exſtat *immortalitas animæ rationalis ex ſolo naturæ lumine apodicticis & topicis rationibus liquido oſtenſa* &c. Cellis *MDCLXXX.* 4. Jo. Eberhard. Schwelingivm, JCtum quondam Bremenſem, qui *mentem immortalem* edidit; Vincent. Placcivm, in *demonſtratione ſolida immortalitatis animæ humanæ ex ſolo lumine naturæ facta*, lingua germanica ſcripta; Jo. Nicol. Hardtschmidivm, qui edidit *immortalitatem animæ humanæ ex philoſophorum veterum & recentium argumentis examinatam & demonſtratam*, Argentorat. *MDCXCIX.* 4. Hectorem Gotfrid. Masivm, in differt. de *immortalitate animæ*, ſcripta ann. *MDCLXXXII.* & ad calcem germanici de eodem argumento tractatus excuſa ann. MDCCVII. atque iterum edita inter diſſertationes Maſii junctim typis expreſſas; Ernestvm Christian. Schrodervm, theologum quondam Vitemberg. in binis diſputationibus, ſub tit. *apodixis immortalitatis animæ ex ratione vindicata*, Witteb. MDCCXX. 4. Ludov. Philipp. Thummigivm, in *demonſtratione animæ rationalis ex intima ejus natura deducta*, Halæ MDCCXXI. 4. Jo. Joach. Langivm in V. differtat. *de immortalitate animæ ex naturæ lumine demonſtrata*, Halæ MDCCXXII. 4. Jo. Gvstav. Reinbeckivm, in libello germanico, cui tit. *philoſophiſche Gedanken über die vernünftige Seele und derſelben Unſterblichkeit* &c. Berol. MDCCXL. 8. itemque ex noſtris, illuſtrem Bilfingervm in *dilucidat. philoſoph. de Deo, anima humana, mundo* &c. *ſect. III. cap. V. §. CCCLVII ſeqq.* atque b. Isr Gottl. Canzivm, in quatuor diſſertat. *de immortalitate animæ*, quæ heic Tubingæ MDCCXL. lucem adſpexerunt publicam. Adjungimus iisdem theologum Reformatum eundemque præſtantiſſimum, Jo. nempe Alphonsvm Tvrretinvm, cujus diſputatio *de animarum immortalitate & vita futura*, in academia Genevenſi olim habita, *dilucidationum philoſ. theol. vol. I. p. 255. ſeqq.* inſerta, lectu diguiſſima eſt.

Nec prætermittenda heic ſunt ſcripta theologorum Anglorum, de hoc ipſo argumento in lucem publicam edita. Huc pertinent Jo. Jackson *diſcourſes defending the immortality of the Soul*, Lond. *MDCXI.* 8. nec non Kenelmi Digbæi, Equitis, *demonſtratio immortalitatis animæ rationalis, ſive tractatus duo philoſophici, in quorum priori, natura & operationes corporum, in poſteriori vero natura animæ rationalis ad evincendam ejus immortalitatem explicantur.* Hunce librum, anglice primum ann. *MDXLVI.* & *MDCLI.* fol. editum, poſtea vero in latinum ſermonem converſum prodiiſſe conſtat. Huc porro referimus Sethi Wardi *philoſophical eſſay concerning the being and attributes of God, immortality of the Soul* &c. Oxon. *MDCLII.* 8. itemque Waltrer Charlton *the immortality of the human Soul demonſtrated by the light of Nature*, Lond. *MDCLVII.* 4. inprimis vero Gvil. Sherlockii tract. *de immorta-li-*

mam. Natura & necessitas causarum, proportio & similitudo, vita & congruentia, dignitas hominis, Dei bonitas, utilitas nostra ex illius beneficentia.

§. CXLVII. Contra vero Scotus lib. IV. sent. dist. 43. q. 2. Cajetanus in c. IX. ad Romanos & in c. III. Eccles. & qui eos hac in quæstione sequitur Scaliger exerc. CCCVII. sect. 33. statuunt, non posse naturali lumine animæ immortalitatem firmiter & apodictice demonstrari, (*) quibus hoc nomine graviter succensent Conimbricenses loco dicto, sed præter meritum. Distinguimus enim primo inter *rationes præcedentes & sequentes.* Thomas part. I. q. 32. art. 1. *Ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio, primo ad probandam sufficienter aliquam radicem, secundo quæ radici jam positæ ostendit congruere consequentes effectus.* Hoc posteriori modo immortalitas animæ ex lumine naturali demonstrari potest, postquam ex scripturis sacris immota consequentia eadem prius fuerit demonstrata. Deinde inter *rationes cogentes & verisimiles.* Argumenta, quæ ex lumine naturæ proferuntur, quamdam verisimilitudinis persuasionem de animæ immortalitate inducere possunt, sed firmum, immotum ac ἀμετάπτοτον fidei fundamentum nequaquam exhibent. *Quis enim novit,* inquit sapiens Eccles. III. 21. ex naturalibus scilicet principiis ac rationibus, *an spiritus hominis descendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum?* Philippus Melanchthon in explicat. evang. hom. de die paschat. fol. 519. edit. Hannov. anno 1594. *Philosophia aliquid auguratur, & habet conjecturam aliquam de immortalitate quantulamcunque & qualemcunque.* Petrus Martyr class III. locor. c. 15. n. 16. *Animam esse immortalem, naturæ lumini perquam obscurum est, quia nobiles philosophi non pauci longe diversum fuere opinati. Quin & ipsi Aristoteli a Tertulliano & Nazianzeno adscribitur, quod animam hominis mortalem esse censuerit. Et Alexander Aphrodisæus peripatetikus non obscurus hoc sensit &c.* Patet etiam illud ipsum ex loco Ciceronis lib.

talitate animæ, futuro judicio & vita æterna, qui ex anglico germanice *MDCCIV.* & gallice ann. *MDCCVIII.* prodiit, atque Jo. Tillotsonii *serm. tom. III. num. 120. 121. 122. 123. of the immortality of the Soul, as discover'd by nature and by Revelation, upon 2. Tim. I. 10.*

Reliqua scripta ad hoc argumentum spectantia, atque a Gallis, Italis, Belgis aliisque in lucem publicam edita, ut heic commemoremus, instituti nostri brevitas haud permittit. Evolvat, qui ea nosse voluerit, Jo. Alb. Fabricii *delectum argumentorum & syllabum scriptorum de veritate relig. christian. cap. XVIII. p. 437. seqq.* Addi tamen, præter alia, meretur libellus eximius, quem Moses Mendelsonius, supra jam nobis laudatus, nostra ætate edidit, hac insignitum inscriptione: *Phædon; oder über die Unsterblichkeit der Seele, in drey Gesprächen.* In eo enim non tantum argumenta Platonis pro immortalitate animæ mirum in modum exornavit, iisdemque novum pondus conciliavit, sed & alia in medium attulit, eaque ex interiori philosophiæ penu desumta.

(*) Præter scriptores supra a Gerhardo excitatos, fuerunt & alii, qui doctrinam de immortalitate animæ probabilibus duntaxat argumentis ex rationis lumine adstrui posse, existimarunt. Eminent inter istos Jo. Adam. Osiander, cancellarius quondam Tubingensis, in *colleg. system. part. II. p. 246. seqq.* nec non in *colleg. theol. in præcipuas controv. p. 216, 217.* itemque in *observ. ad Grot. p. 67.* Jo. Wolffg. Jægervs, in *theologia naturali p. 453.* Jo. Adam. Scherzervs in *system. theol. p. 115 & 619.* nec non *breviar. Hülsemann. enucleato & aucto p. 1071. 1073.* Christian. Thomasivs, JCtus quondam Halensis, in *jurisprud. div. p. m. 158.* Jo. Christoph. Pfaffivs in dissert. *de statu & ubi animarum separatarum p. 4, 6.* Andr. Adam. Hochstettervs in *collegio Pufendorff. p. 60.* edit. secundæ, & in *dissertat. de relig. natur. §. ult.* Jo. Eberh. Röslervs, philos. moral. quondam professor in universitate Tubingensi, isque præstantissimus, in *adnot. ad præfat.* Pvfendorfii libris *de officio hominis & civis* præmissam *p. 7.* itemque b. Jo. Adam. Osiander, philosophiæ olim in hac academia professor, in dissert. sua inaugurali *de immortalitate animæ rationalis ex lumine rationis probabili, ann. MDCCXXXII.* heic loci edita. Fuerunt tamen alii, qui immortalitatem animæ rationalis argumentis philosophicis iisque apodicticis demonstrari posse adfirmarunt, ex quibus Joach. Hildebrandvm, Georg. Mierivm, Vincentivm Placcivm, Pavlvm Vottivm, & Ignativm Derrennis heic commemorasse sufficiat.

lib I. Tuscul. qq. non longe a principio. Ibi enim Atticus sic loquens introducitur: *Delectat me illa sententia, posse animos, cum e corporibus excesserint, in cælum quasi domicilium suum pervenire, idque primum ita esse, deinde etiamsi non sit, mihi persuaderi velim.* Respondet Marcus: *Quid tibi ergo opera nostra usus est? num eloquentia Platonem superare possumus? evolve diligenter ejus librum, qui est de animo, amplius quod desideres, nihil erit.* Subjicit Atticus: *Feci me hercule, & quidem sæpius, sed nescio, quo modo, dum lego, adsentior, cum posui librum, & mecum ipse de immortalitate animorum cœpi cogitare, adsensio omnis illa elabitur.* Eadem dubitatio proponitur in Catone apud Ciceronem in dial. de senectute. Philosophorum ergo de animæ immortalitate sententiæ multis dubitationibus sunt obnoxiæ, nec dissimiles ventorum & fluctuum procellis, quibus navis χειμαζομένη in mari concutitur, atque hinc inde circumagitatur.

Dicta patrum de animæ immortalitate.

§. CXLVIII. Ex *patribus* pro adstruenda animæ immortalitate multa adduci possunt, cum unanimi piæ & eruditæ antiquitatis consensu hoc dogma propugnetur. Clemens lib. III. recognitionum testatur, Petrum hac argumentatione usum fuisse: *Si Deus justus est, anima immortalis est.* Irenæus lib. II. cap. 62. pag. 163. "Pleniſſime Dominus docuit, non solum perseverare animas, non „de corpore in corpus transgredientes, sed „& characterem corporis, in quo etiam adaptantur, custodire eumdem, & meminisse „eas operum, quæ egerunt hic, & a quibus „cessaverunt, in enarratione, quæ scribitur de „divite & Lazaro.„ Lib. V. cap. 10. p. 324. „Incorruptibiles sunt animæ quantum ad comparationem mortalium corporum. Insufflavit enim in faciem hominis Deus flatum vitæ, & factus est in animam viventem, flatus autem vitæ incorporalis est. Caro est, „quæ moritur & solvitur, sed non anima neque spiritus. Mori enim est vitalem amittere habilitatem, & sine spiramine in postea rum & inanimalem & immobilem fieri & „deperire in illa, ex quibus & initium substantiæ habuit. Hoc autem neque animæ evenit, „flatus est enim vitæ, neque spiritui, incompositus est enim & simplex spiritus, qui resolvi non potest, & ipse vita est eorum, qui „percipiunt illum.„ Auctor quæst. ad Antiochum, quæ Athanasio tribuuntur q. 17. "Verbum Christi clarissime nos docet, quod corpus nostrum mortale, & quod immortalis sit „anima nostra. Inquit enim Christus: Ne metuatis ab illis, qui corpus occidunt, animam „vero non possunt occidere.„ Chrysostomus homil. IV. de provid. *eos, qui de animæ immortalitate dubitant, dubitare etiam posse* dicit, *an in meridie dies sit.* Ambrosius lib. de bono mortis cap. IX. tom. IV. pag. 239. "Non „mori animam cum corpore manifestum est, „quia non est de corpore. Non esse autem „eam de corpore, scriptura multis modis edocet. Nam & Adam a Domino Deo nostro „accepit spiritum vitæ, & factus est homo in „animam viventem. Et David ait: Convertere anima in requiem tuam, quia Dominus „benefecit tibi. Et in quo benefecerit audi, „quia liberavit, inquit, pedes meos a lapsu. „Vides gratulari eum mortis hujus remedio, „quia finis factus est erroris, quia culpa non „natura deficit.„ Denique quasi exutus & liber dicit: "Placebo Domino in regione viventium, „illa enim est vivorum regio. Denique illam „animarum requiem dicit terram esse viventium, quo peccata non penetrant, ubi virtutum vivit gloria.„ Et postea: "Anima, „quæ peccat, moritur, non utique aliqua sui „dissolutione, sed merito moritur Deo, quia „vivit in peccato. Nam quomodo substantia „ejus interire potest, cum utique anima sit, „quæ vitam infudit? & cui anima infunditur, „vita infunditur, a quo anima discedit, vita „discedit, anima ergo vita est. Quomodo „enim potest mortem recipere, cum sit contraria? sicut enim nix calorem non recipit, „nam statim solvitur, & lux non recipit tenebras, nam statim discutit, infuso enim lumine

„lumine tenebrarum horror aufertur, ſicut ad„moto igne nivium rigor deſinit, ita & ani„ma, quæ vitam creat, mortem non recipit, „nec moritur.„ Cap. 10. "Habes ergo ratio„nem, ſed hæc humana, illud divinum, quod „ait Dominus: Poteſtatem habeo ponendi ani„mam meam, & poteſtatem habeo iterum „ſumendi eam. Vides igitur, quia non mo„ritur cum corpore, quæ & ponitur & reſu„mitur, & in manus Dei Patris commendatur. „Sed ne forte dicas ſpeciale eſſe, quod Chri„ſti eſt, audi dicentem: Quid ſcis, an nocte „hac tua anima repoſcatur? numquid dixit, „moriatur in te anima tua? non, ſed repo„ſcatur a te. Quæ data eſt, repoſcitur, vel „repetitur a te. Repetitur enim anima, non „interimitur. Quod repetitur, manet; quod „interimitur, non manet &c.„ Lactantius lib. VII. inſtit. cap. 9. 10. & 11. multis argumentis immortalitatem animarum probat. "Si „(inquit) Deus eſt & incorporalis & inviſibi„lis & æternus, ergo non idcirco animam in„terire credibile eſt, quia non videtur, poſt„quam receſſit a corpore, conſtat enim eſſe „aliquid ſentiens ac vigens, quod non veniat „ſub adſpectum. Ex eo quoque animæ im„mortalitas cognoſcitur, quia nullum ſit aliud „animal, quod habeat notitiam aliquam Dei, „religioque ſit pene ſola, quæ hominem a bru„tis diſcernat, quæ cum in hominem ſolum „cadat, profecto teſtatur, id adfectare nos, „id deſiderare, id colere, quid nobis fami„liare, quid proximum ſit futurum &c. Vir„tus quoque ſoli homini data magno argu„mento eſt, immortales eſſe animas, quod „nec erit ſecundum naturam, ſi anima exſtin„guitur, huic enim præſenti vitæ nocet.„ Cap. 13. dicit, *illos, qui animarum immortalitatem negaverunt, habuiſſe incolumes oculos, ſed cor cæcum.* Gregorius Nyſſenus in lib. de reſur. & anim. itidem multis argumentis animæ immortalitatem confirmat. Auguſtinus in Pſalm LXXXVIII. *De animi immortalitate multi etiam philoſophi gentium multa diſputaverunt, & immortalem eſſe animam humanam, pluribus & multiplicibus libris conſcriptum memoriæ reliquerunt.* Lib. I. de orig. anim. ad Hieronymum cap. 2. inter ea, quæ de anima firmiſſime ſe tenere adſerit, numerat *ejusdem immortalitatem. Anima hominis*, inquit, *immortalis eſt ſecundum quemdam modum ſuum, non enim omnino ſicut Deus. Nam de animæ mortibus ſacra ſcriptura multa commemorat, ſed quod ita moritur alienata a vita Dei, ut tamen id natura ſua vivere non omnino deſiſtat, ita mortalis ex aliqua cauſa invenitur, ut etiam immortalis non ſine ratione dicatur.* Epiſt. III. ad Voluſ. *Quis nunc extremus idiota vel quæ abjecta mulierecula non credit animæ immortalitatem?* Sidonius in epitaph. Claud. Mamert. *Mens & gloria non queunt humari.* Gregorius in dialog. *Tres vitales ſpiritus creavit omnipotens Deus, unum qui carne regitur, alium qui carne tegitur, ſed non cum carne moritur, tertium qui carne tegitur & cum carne moritur. Primus angelorum, ſecundus hominum, tertius brutorum.* Sed in re manifeſta pluribus opus non eſt.

§. CXLIX. Immortalitatem animæ negant, (*) 1) *Epicuræi*, quorum impias cogitationes ac voces μιμητικῶς Scriptura exprimit: Eſa. XXII. 13. 1. Cor. XV. 32. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*, Sap. II. 2. *Fortuito nati ſumus, & poſthac*

Antitheſis eorum, qui negant animæ immortalitatem.

(*) Cumprimis huc pertinent *Materialiſtæ*, ſubſtantiæ cogitantis immaterialitatem negantes, qui tamen non unius ejusdemque ſunt generis. Nonnulli enim non alium in finem id faciunt, quam ut exiſtentiam ſupremi numinis vel plane inficientur, vel cum Benedicto de Spinoza corporeum ſibi Deum effingant. In hocce luto hæſerunt Thom. Hobbesius, Jo. Tolandus, Jo. Christ. Edelmannus, Will. Cowardus, medicus Londinenſis, nec non complures alii. Non deſuerunt tamen, qui ex imprudentia, vel ſtudio partium in iſtum de mortalitate animæ errorem delapſi ſunt, quibus Henr. Dodwellus haud immerito accenſeri poteſt, qui ſingularem epiſcopis ἐξοχὴν tribuendo, immortalitatem animæ ſola *epiſcoporum legitimorum benedictione baptiſmali* impetrari poſſe adſerere haud dubitavit.

hac erimus, quasi nunquam fuissemus. v. 3. *Quia corpus nostrum erit cinis exstinctus, & spiritus diffundetur tanquam mollis aër.* v. 21. *Hæc cogitaverunt & erraverunt, excæcavit enim illos malitia eorum.* v. 22. *Et non cognoverunt mysteria Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, neque judicaverunt honorem animarum immaculatarum.* v. 23. *Quod Deus creavit hominem ἐπ' ἀφθαρσίᾳ* &c. Augustinus lib. VI. confess. cap. ult. *Si animus mortalis est, Epicurus in animo meo palmam habet.* Conf. Plutarchus lib. IV. de placit. philos. c. 7. Galenus lib. de phil. hist. c. 17. ubi Epicuro hanc opinionem tribuunt. (*) Vtinam vero ea cum Epicuro fuisset exstincta! sed res ipsa testatur, non esse de nihilo querelam Brentii homil. XXXV. in Luc. II. *Etsi* (inquit) *inter nos nulla sit publica professio, quod anima simul cum corpore intereat, & quod non sit resurrectio mortuorum, tamen impurissima & profanissima illa vita, quam maxima pars hominum sectatur, perspicue indicat, quod non sentiant esse vitam post hanc &c.* II) *Sadducæi*, de quibus Act. XXIII. 8. *dicunt, non esse resurrectionem, nec angelum, nec spiritum.* Quidam per *spiritum* intelligunt angelum; existimant igitur verba illa μηδὲ ἄγγελον tanquam glossema in textum irrepsisse, vel certe posterius esse ἐξηγητικὸν prioris, sicut v. 9. εἰ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ ἢ ἄγγελος, cui expositioni favere putant, quod additur, *Pharisæi credunt τὰ ἀμφότερα*, scilicet & carnis resurrectionem futuram & angelos esse. Sed præstat literali sensui inhærere, quod Sadducæi negaverint non solum angelos, sed etiam animas, hoc est, quod statuerint, animam hominis nihil aliud esse quam naturale temperamentum elementorum, quod cum corpore intereat, non essentiam spiritualem, quæ a corpore separata post mortem existat. Josephus lib. XVIII. antiquit. Judaic. c. 2. *Sadducæorum opinio cum corpore simul exstinguit & animas.* Lib. II. de bell. Judaic. c. 7. *Sadducæi generaliter animarum vel supplicia denegant vel honores.* vid. Tertullianus lib. de resur. carn. III) *Arabes* quidam, (**) de quibus Eusebius lib. VI. hist. eccles. c. 37. *Exorti sunt & alii quidam tum temporis* (tertio post Christum seculo) *in Arabia dogmatis a veritate alieni introductores, qui animas in hoc præsenti tempore una cum corporibus mori ac corrumpi, & in futura resurrectione simul cum illis vitæ denuo restituendas dixerunt. Convocata igitur etiam hanc ob causam haud mediocri synodo rursus vocatus Origenes, de quæstione hac ita publice disputavit, ut mentes eorum, qui antea seducti fuerant, ab errore averterentur.* Quem locum ex Eusebio totidem verbis adducit Augustinus lib. de hæres. ad Quodvuld. c. 83. idem habetur in jure canonico c. *Quidam.* 24. q. 3. IV) Adfine est huic errori, quod de *Origene* Hieronymus in epist. ad Avitum commemorat, cum sensisse, *animas, postquam salu-*

(*) Præter Epicvrvm, fuerunt complures alii veterum philosophorum, qui animam hominis ex materia constare existimarunt, ejusque negarunt immortalitatem. Non fert instituti nostri brevitas, ut eos data opera hoc enarremus. Evolvat, qui eos nosse voluerit, Salgivm in disput. *de philosophumenis veterum ac recentiorum de anima & ejus immortalitate*, quæ Halæ *MDCCXIV.* prodiit lectuque dignissima est; Devlingivm in dissertat. *de errore pseudophilos. quod anima hominis sit materialis* &c. MDCCXX. edita; itemque *l'histoire de la philosophie payenne, tom. I. cap. XIII. p. 267. seqq.* & Bælivm in *dict. hist. & crit. tom. II. f. m. 903.* & *tom. III. f. m. 632.* ut Vossivm, Frannervm, Hvetivm aliosque taceamus.

(**) Hæretici isti, de quibus Gerhardvs hæc loquitur, dicuntur *Arabici*, nec non *Arabii*, a patria Arabia deserta, ubi, quamvis incerto auctore, nati sunt. Equidem Evsebivs *loco* supra *recitato* tradit, hæresin hanc statim Origenis opera exstinctam esse, negant vero hoc alii, contenduntque, sectam hanc usque ad Constantis, qui Heraclii nepos fuit, ætatem perduravisse, erroremque horum hæreticorum per Syriam Persidemque latissime disseminatum, cum monophysitarum hæresi tandem conjunctum novæ veluti facie in scenam prodiisse, prout ex Lambertо Danæo observat Jo. Georg. Walchivs in *hist. eccles. nov. testam. p. 1213.* Scripsit quoque Jo. Franc. Bvddevs programma *de hæresi Arabicorum*, quod ejusdem *miscell. sacr. tom. I. p. 538.* insertum legitur.

salutem consecutæ fuerint, amplius non futuras animas. Sicut enim, inquit, venit Dominus atque Salvator quærere & salvum facere, quod perierat, ut perditum esse desistat: sic anima, quæ perierat, & ob cujus salutem venit Dominus, cum salva facta fuerit, anima esse cessabit. V) Damascenus lib. de hæres. p. 585. mentionem facit quorundam hæreticorum, quos vocat *Tnetopsychitas, qui hominum animos pecudum animis similes induxerint, atque eos una cum corporibus interire dixerint.* VI) Multi ex *philosophis gentilibus* animæ immortalitatem negarunt. Augustinus in lib. de spir. & anim. c. 48. *Anima non moritur cum corpore, ut Aratus adserit, neque postmodum interit, sicut Zenon dixit, quia substantialiter vivit.* Plinius lib. VII. nat. hist. cap. 55. de anima brutorum, de quibus tam multa scripsit, optime meritus, de humana pessime, cujus immortalitatem acerba mordacitate infectatur. Galenus in libro, *quod animi mores temperamentum corporis sequantur*, Platonem exagitat, quod animæ immortalitatem defendat. Justinus in præneſ. ad gent. Gregorius Nyssenus in lib. de anim. Nazianzenus cont. Eunom. Plutarchus in lib. de placit. philos. c. 1. Cajetanus lib. III. de anim. cap. 2. Pomponatius in lib. de immortal. anim. & alii complures Aristoteli tribuunt, quod animam hominis mortalem esse statuerit, (*) sed Eugubinus lib. III. de perenn. philos. cap. 21. & Conimbricenses de anim. separ. disp. I. art. 2. ab hac macula eum liberare conantur. Lib. III. de anim. cap. 5. ait: νῦς χωριςός ἐςι μόνον καὶ τῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀίδιον. Scotus lib. IV. sent. dist. 43. q. 2. art. 2. Niphus in opusc. de immort. anim. cap. 1. putant, *Aristotelem in hac quæstione omnino dubium fuisse, ac modo in hanc, modo in illam sententiam inclinasse.* Lucretius lib. III. triginta amplius argumentis animæ mortalitatem probare nititur. VII) De Johanne XXIII. concilium Basileense sess. XI. sub finem tom. IV. concil. edit. Venet. p. 294. sic loquitur: *Sæpe & sæpius coram diversis prælatis & aliis honestis ac probis viris pertinaciter diabolo suadente dixit, adseruit, dogmatizavit, vitam æternam non esse, neque aliam post hanc, quinimo dixit & pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore exstingui & mori instar brutorum animalium &c.* (***) Paulus III. pontifex moriturus dixisse fertur, *se jam experturum veritatem trium quæstionum, de quibus in tota vita dubitasset*: 1.) *an animæ sint immortales?* 2.) *an infernus sit?* 3.) *an sit Deus?* Petrus Pomponatius Mantuanus Bononiæ publice de animæ mortalitate ejusque interitu docuit. (***) Georgius Sabinus literis commendatitiis Philippi instructus ad Bembi cardinalis colloquium & mensam admissus est, a quo inter alia de tribus potissimum quæsivit Bembus: 1.) *quodnam*

(*) Eandem sententiam Aristoteli ex recentioribus theologis tribuit Walchius, quem modo laudavimus, in exercitatione *de atheismo Aristotelis, cap. III. sect. IV. p. 314. parergorum academicorum.* Add, ejusdem *philosophisches Lexicon*, voce *Seelen Unsterblichkeit p. m. 1324. seqq.* itemque Jo. Alb. Fabricium in *delectu argument. de ver. rel. christ. cap. VIII. §. 3. p. 307.* & Jac. Bruckerum in *hist. crit. philos. tom. I. p. m. 832. seqq.* ut alios taceamus.

(**) Leguntur hæc verba, quæ supra recitavit Gerhardus, in codice quodam manuscripto Vratislaviensi, ex quo ea recitavit Jac. L'Enfant in *histoire du concile de Constance tom. I. p. 200. not. 1.*

(***) Pomponatius, cujus supra meminit Gerhardus, vixit circa finem seculi decimi quinti, & initium decimi sexti, ac Patavii philosophiam magna celebritate olim docuit. Nonnulli eundem atheis adnumerant, idque præcipue ob negatam animæ humanæ immortalitatem. Alii tamen aliter de eo judicarunt, interque alia observarunt, Pomponatium non absolute ac simpliciter animam mortalem censuisse, sed duntaxat, si ratio nuda consuleretur, sæpiusque professum esse, se animæ immortalitatem firmiter credere, quoniam scriptura sacra eandem adstruat, hoc tantum se negare, quod hæc sententia secundum principia philosophiæ Aristotelicæ demonstrari queat. Ex instituto eundem ab Atheismi crimine liberavit Petr. Bælivs in *dict. hist. & crit.* voce *Pomponatius*, quem heic secutus est Jo. Gottlieb Olearius in peculiari dissert. *de Pomponatio*, Jenæ an. MDCCIX. habita. Conferenda, quæ b. Buddeus in *thesibus de atheismo & superstit. p. 110. seqq.* de eodem adnotavit.

esset annuum stipendium Philippi? 2.) *Quot auditores haberet?* 3.) *Quidnam sentiret Philippus de animæ immortalitate, mortuorum resurrectione & vita æterna?* Cumque ad tertium ζήτημα respondisset Sabinus, *exstare multas ejus paginas & præsertim librum locorum communium, in quibus videre sit certam ejus fidei de his articulis πληροφοριαν*; respondit Bembus: *Ego Philippum haberem virum prudentiorem, si hæc non crederet.* Osw. Gotwaldus in meditat. practic. præsent. in cœna. In concilio Lateranensi anno 1512. peculiari decreto animæ immortalitas adserenda erat, ex quo intelligitur, multos in regno papali de ea dubitasse. Marcus Antonius Zimara in problematibus probl. L. quærit, propter *quam causam clerici ac monachi in papatu mortem præ aliis ægre ferant ac perhorrescant?* ac respondet, *utrum quia natura sunt frigidi cordis & melancholici, an quia prorsus funditusque se interire statuunt, quandoquidem nec in propria nec in posterum natura constituunt, ubi ex vita migraverint?* quo ipso innuere voluit, resurrectionem carnis & animæ immortalitatem a multis eorum in dubium vocari. VIII) De *Anabaptistis* sic scribit Feuardentius in adnotat. ad Irenæum cap. 63. *Anabaptistæ anno Domini 1568. theses Cracoviæ impressas per Poloniam divulgarunt, quarum decima est: Negamus aliquam animam post mortem manere. Sed illud dicimus excogitatum ab antichristo ad stabiliendam suam culinam per fictum purgatorium & invocationem sanctorum. Quorum quoque unus minister Domonowski publica cum patribus societatis Poloniæ habita disputatione anno 1589. mense Octobri publice adseruit, animam cum corpore interire; alter, Budnæus nomine, hac de re interrogatus quid sentiret, respondit, rem esse dubiam, & jub judice adhuc litem pendere. Hæc de Polonia sua refert Andreas Jurgievicius, vir æque diligens ac eruditus, in libello, cui nomen dedit: Bellum quinti Evangelii cap.* 10. Hactenus Feuardentius. IX) De *Libertinis* scribit Calvinus in lib. contra Libertinos edito, quod auctore quodam Quintino Piccardo doceant, *animas hominum non esse immortales.* X) *Servetus* animæ mortalitatem una cum aliis errorum portentis introduxit, teste Beza in epistola ad Dudithium pag. 190. XI) *Photiniani* de animarum immortalitate obscure & lubrice loquuntur, cujus consilii sui rationem exponunt in actis manuscriptis colloquii Racovienſis: *Caute* (inquiunt) *hac de re agendum est, quemadmodum & ipse Christus & apostoli sese ad captum populi accommodarunt, ut parabola de Lazaro & divite docet, non erat tunc tempus conturbandi Judæos, ut & nunc non est. Sic & interdum possunt quædam dici, quæ hanc sententiam hominibus indicent, donec tandem maturescat ætas, & homines hisce loquendi modis adsuescant.* Videntur autem sentire, *animam hominis una cum corpore exstingui, vocari vero immortalem, quia piorum animæ cum corporibus iterum resuscitandæ sunt ad vitam, de impiis statuunt, eos vel nunquam resuscitandos, vel post resuscitationem ac judicium statim in nihilum redigendos.* Quod revera ita sentiant, facile adparet ex ipsorum hypothesibus. Statuunt enim, quod *mors hominis sit ejusdem annihilatio*, sive in nihilum redactio, quodque resurrectio & resurgere nihil aliud sit, *quam ex non existente iterum existere*, ut vidimus superius. Negant, animas hominum post mortem præmia vel pœnas accipere, qua de re concilium Racovienſe sic loquitur: *Animadvertendum est, Christum & apostolos coactos fuisse quodammodo hominum opinionibus, quæ tunc plerumque vigebant, se accommodare, quemadmodum saltis aperte docet parabola divitis & Lazari. Nam aliquem in inferno fuisse & ibi torqueri, in sinu Abrahæ decumbere, sunt plane fictitia & similia illis, quæ poëtæ de Ixione, Sisypho, Tantalo scribunt; hac etiam prudentia hodie apud vulgus christianorum in hac materia utendum illis, qui gloriæ Dei consultum cupiunt. Non me latet,* inquit, *te etiam negare immortalitatem animarum nisi christianorum in resurrectione.* Id quidem ipse negat pag. 56. & pag. 77. sed ex illa hypothesi, quod mori sit *penitus exstingui*,

ſſingui, & reſurgere *ex non ente iterum exiſtere*, efficaciter infertur, unde etiam pag. 79. locum Eccleſiaſtæ: *Spiritus redit ad Deum, qui dedit eum*, quem pro animæ immortalitate adſtruenda Puccius produxerat, miſere enervat. Smalcius contra diſp. VII. Frantz. pag. 409. falſo ſibi ſuisque adſeclis adfingi conqueritur, quod ſtatuant *hominem mori quoad animam*, ibidem tamen addit: *an Spiritus ille, qui ad Deum redit, & a corpore ſeparatus eſt, ſenſu aliquo præditus ſit &c. valde dubitamus, imo aliter rem ſe habere credimus.* Pag. 410. *credimus, animas vel ſpiritus poſt mortem redire ad Deum, qui eas dedit, & ita ſuo modo* (nota) *ſuperſtites eſſe.* Ibidem refellit argumenta, quæ pro adſtruenda animæ immortalitate Frantzius ex Luca XXIII. 43. Phil. I. 23. Apoc. VI. 9. &c. adduxerat, ac pag. 413. ſubjungit, *locum Eccleſ. XII. 7. ſolum fere eſſe, qui aperte confirmet, hominis animam poſt mortem ſuperſtitem eſſe*; ſed illum ipſum Socinus in peregrinum ſenſum detorquere conatur, quoduam igitur in ſcripturis præſidium vel fundamentum hujus ſententiæ manebit reliquum? XII) *B. Luthero* noſtro objiciunt Jeſuitæ, quod animarum immortalitatem negaverit, propterea quod tom. VII. Witteberg. in adſert. articulorum per bullam papalem damnatorum p. 127. ſic ſcribat: *Es iſt neulich zu Rom, fürwar meiſterlich beſchloſſen der heilige Artikel, daſs die Seele des Menſchen unſterblich ſey, denn es war vergeſſen in dem gemeinen Glauben, da wir alle ſagen, Ich glaube ein ewiges Leben. Item, es iſt auch beſchloſſen durch Hülfe Ariſtotelis, daſs die Seele ſey eine weſentliche Form des Leibes, und derſelben ſeiner Artikel viel mehr, die aufs allerziemlichſte wohl anſtehen der bäpſtlichen Kirchen, auf daſs ſie Menſchenträume und Teufelslehren behalten, dieweil ſie Chriſti Lehre und den Glauben mit Füſſen tritt.* Eundem locum nobis objicit Mart. Borrichius Calvinianus. Piſtorius in hodeg. cap. 12. p. 536. *Lutherus animam hominis dicit interire cum corpore & eſſe mortalem. Reſp.* 1.) Lutherus ſexcentis in locis ſuam de animæ immortalitate doctrinam proponit, quam his verbis abnegare noluit. 2.) Gretſerus & alii ex Jeſuitis Luthero ψυχοπαννυχίαν tribuunt, ut inferius adparebit; ergo non negavit animæ immortalitatem, aliud enim eſt *dormire*, aliud non *exiſtere*. 3.) Contextus manifeſte oſtendit, Lutherum non negare animæ immortalitatem, ſed illudere pontifici, qui novos fidei articulos in ſuis conciliis promittat, & cum ad rem ventum, proferat vel eos, qui jam ante in ſcripturis & ſymbolis fidei ſatis firmati, qualis eſt de immortalitate, quam non ita pridem definierat concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. VIII. vel eos, qui ex ſcholis philoſophorum petiti, & ad ſalutis doctrinam nihil quidquam pertineant, qualis eſt de eſſentiali forma corporis, vel etiam falſos, antichriſtianos & impios, quales ſunt de purgatorio, de transſubſtantiatione, de ſacrificio miſſæ, de poteſtate papæ, de ciborum delectu &c. quos ex apoſtolo vocat doctrinas dæmoniorum. Hanc eſſe genuinam Lutheri mentem adparet ex eo, quod articulo de immortalitate animæ a papa ſtabilito εἰρωνικῶς ſubjicit: *oblitus ſcilicet erat Spiritus ſanctus hujus articuli in ſymbolo, in quo omnes confitemur vitam æternam.* Eodem ſenſu accipienda ſunt verba Lutheri in adſert. omnium articul. art. XXVII. tom. II. Jen. Lat. f. 307. *Permitto tamen, quod papa condat articulos fidei ſibi & ſuis fidelibus, quales ſunt, panem & vinum transſubſtantiari in ſacramento, eſſentiam Dei nec generare nec generari, animam eſſe formam ſubſtantialem corporis humani, ſe eſſe imperatorem mundi, & regem cæli & Deum terrenum, animam eſſe immortalem.* Simili plane impudentia Piſtorius in ſuis mille viginti falſis omnibus Lutheranis hanc adfricat hæreſin, quod *cum Sadducæis non credant animarum immortalitatem*, propterea, quod ſanctos cum Chriſto in cœlis viventes adpellent *mortuos*. Atqui 1.) ſequimur hac in parte ductum ſcripturæ, Rom. XIV. 8. 1. Theſſ. IV. 14. Apoc. XIV. 13. & ſymboli apoſtolici, in quo Chriſtus dicitur judex vivorum & mortuorum. 2.) Sanctos illos vocamus mortuos,

non sensu Photiniano, quod non amplius sint & vivant, sed orthodoxo, videlicet tum διακριτικῶς, ut discernantur a sanctis in his terris adhuc viventibus, tum χετικῶς, respectu vitæ animalis, a qua ad cœlestem & spiritualem sunt translati.

Argumenta contra animæ immortalitatem, 1.) ex scripturis.

1) *Job. XIV. 10. Homo cum mortuus fuerit, ubi est?*

§. CL. Contra animæ immortalitatem pro ψυχοφθορσία adstruenda proferuntur 1.) quædam *scripturæ dicta*, 2.) *rationes*. Dicta scripturæ potiora hæc sunt: 1) Job. XIV. 7. *Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum vireſcit & surculi ejus pullulant.* v. 10. *Homo vero cum mortuus fuerit & infirmitate correptus, ubi quæso est?* v. 11. *Quomodo si recedant aquæ de mari & fluvius vacuefactus areſcat.* v. 12. *Sic homo, cum dormierit, non resurget.* v. 14. *Putasne mortuis homo rursum vivet? Resp.* 1.) Si hæc omnia absolute ac simpliciter accipiantur, non solum animæ immortalitas, sed etiam mortuorum resurrectio negabitur. 2.) Jam vero constat ex cap. XIX. 25. Jobum de resurrectione mortuorum egregiam confessionem edidisse. 3.) Quidam ergo respondent, Jobum magnitudine doloris oppressum ad præsens duntaxat malum & statum respicere, non cogitare nunc mortuorum resurrectionem, neque eo animum adtollere vi mali urgente, quamvis eam non neget, ut ostendit ejus spes in Dominum, quam passim profitetur, Job. XIII. 15. *Etiamsi me occiderit Dominus, in eum sperabo.* v. 16. *Ipse erit mihi in salutem.* At hæc spes certa esse non posset, nisi resurrectionem putaret. 4.) Ruffinus in expos. symb. p. 387. Lyranus in comm. & alii hunc esse eorum verborum sensum putant, quod non sit deteriori conditione homo futurus, quam sit arbor, quæ excisa aut pene emortua renascitur ac repullulat, adeoque quod in apodosi similitudinis additur: *Et homo morietur?* legunt cum interrogatione; ac illud: *ubi quæso est?* exponunt *ubinam tandem, an vero nusquam erit* (cum admiratione) *nec ultra comparebit?* Imo vero odore divini Spiritus instaurabitur, ut arbor aquarum odore & adflatu. "Non sibi videtur (inquit Ruffinus) in his „verbis cum pudore quodam homines arguere „ac dicere: Itane stultum est hominum ge„nus, ut cum videant excisæ arboris truncum „rursum pullulare de terra, & lignum emor„tuum iterum vitam recipere, ipsis ne lignis „quidem aliquid simile de semetipsis nec ar„boribus opinetur? Vt autem scias, quod „velut interrogantis modo legendum sit, quod „dixit, mortalis autem cum ceciderit, non „resurget, de consequentibus probat. Sub„jungit namque statim, si enim mortuus fuerit „homo, vivet. Et paulo post dicit: Exspe„ctabo, usque quo iterum fiam. Et iterum „dicit: Qui resuscitaturus est super terram „pellem meam, quæ nunc hæc haurit.„ 5.) Quidam respondent, Jobum loqui de conditione hominis post mortem juxta *naturam*, quod scilicet non possit revocari in vitam naturaliter, jam vero resurrectio non est opus naturæ, sed Dei per Christum. 6.) Quidam statuunt, Jobum hæc non ex sua, sed ex sociorum sententia loqui, ac sententiam eorum confutare, qui bona tantum & mala hujus vitæ spectarent, de futura nihil cogitantes, quos Jobus hoc nomine arguat, quod hoc pacto homo sit miserrimus omnium, utpote cui & vita sit calamitosa & interitus æternus ac irreparabilis. 7.) Simplicissime & ad textum accommodatissime respondetur, Jobum hic agere de revocatione ac reditu hominis in *hanc vitam*, ut ostendit tum *protasis similitudinis*, quia arbor præcisa adhuc pullulat ac revireſcit ad hanc vitam, sed homo semel mortuus non nisi extraordinario & peculiari divino miraculo in hanc vitam revocatur; tum *collatio similis loci*: cap. VII. 7. *memento, quod sicut ventus vita mea, & quod non revertetur oculus meus, ut videat bonum*: hoc est, quod non sim rediturus in hanc vitam, ut rursum felicitate aut bono ullo in ea perfruar. v. 9. *Vt deficit nubes & abiit, sic descendens ad sepulcrum, non adscendet.* v. 10. *Non revertetur ultra ad domum suam, nec agnoscet eum ultra*

ultra locus, in quo scilicet antea fuerat, dum viveret; tum expressa *limitatio* addita: v. 14. *Cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto, donec veniat immutatio mea.* v. 15. *Vocabis me,* (in die scilicet novissimo, quando mortui audient vocem filii hominis Joh. V. 29.) *& ego respondebo tibi,* (audiam vocem tuam & prodibo vivus ex sepulcro) *operi manuum tuarum favebis.* 8.) Tantum vero abest, ut Jobus resurrectionem mortuorum in hisce verbis neget, ut eam potius stabiliat. Non enim absolute ac simpliciter dicit: *homo cum dormierit, non resurget;* sed addit, *donec præterierint,* vel non fuerint, *cur non evigilabit?* Mercerus quidem hæc accipit tanquam simplicem negationem, ut sit sensus, *quamdiu erunt,* seu *donec non erunt cæli,* quod nunquam fiet, hoc est, nunquam homo juxta naturam reparandus. Sed ipsa Jobi confessio & alia scripturæ dicta Esa. LXV. 18. LXVI. 24. Luc. XXI. 33. &c. ostendunt, rectius hæc accipi velut quamdam limitationem ac temporis determinationem, quo post cœptam cœli ac terræ destructionem homo sit ex somno mortis divina virtute resuscitandus. Epiphanius in ancor. *Dicit Job, homo ubi dormierit, non amplius resurget, neque agnoscet locum suum. Etenim revera quotidie non fit resurrectio, sed in unam decreta est diem. Verum ostendens quod novit, in quale tempus præfinitum respiciat, statim solvit quæstionem: Donec cælum & terra auferatur, sunt corpora in terra. Cum vero venerit, qui vertit cælum veluti librum, & concutet terram, tunc resurgent, qui sunt in terra.* 9.) Quam ex arbore dissimilitudinem Jobus adtulit ad infirmandam hominis in hanc vitam revocationem, eamdem velut similitudinem Spiritus sanctus alibi adplicat ad probandam mortuorum resurrectionem, Joh. XII. 24. 1. Cor. XV. 36. Quemadmodum arbores sub hyemem prope emortuæ, & herbæ ac germina, quæ in frigore brumali nobis plane interisse videntur, verno tempore repullulant ac grana putrefacta in terra post aliquod tempus revirescunt: Sic *ossa nostra* in resurrectione instar graminis *germinabunt,* Esa. LXVI. 14. Qui in arboribus, herbis & granis frumenti juxta ordinarium naturæ cursum illud quotannis facit, cur non idem in corpore hominis supra naturam facere posset?

§. CLI. II) Psal. CXV. 17. *Non mortui laudabunt te, neque quisquam eorum, qui descendunt in silentium;* cum quo congruit illud Psal. VI, 6. *Non est in morte, qui memor sit tui.* Psal. XXX. 10. *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut adnunciabit veritatem tuam?* *Resp.* 1.) Loquitur psaltes de illis laudum divinarum præconiis, quæ in hac vita in ecclesiæ militantis consortio Deo a piis voce corporea offeruntur, loquitur de prædicatione ac propagatione veræ doctrinæ & celebratione beneficiorum ac laudum divinarum, quæ aliis hominibus in hac vita servit, eosque exemplo ad imitationem adlicit, sicut statim additur Psal. CXV. 18. *Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino ex hoc nunc & usque in seculum,* hoc est, in omnem æternitatem. Quamvis enim piorum animæ a corporibus solutæ cum Deo in cœlesti beatitudine ac gloria vivant, & cum spiritibus cœlestibus suo modo Deum laudent, tamen celebratio illa divini nominis non amplius auditur ab hominibus in carne adhuc viventibus, ut per eam ad fidem in Dei misericordiam concipiendam & gratias Deo agendas excitari possint, quem fructum hominum in terris adhuc superstitum laudationes & gratiarum actiones in ecclesia obtinent. Confer Sirac. XVII. 25. *A mortuo tanquam non existente perit confessio.* v. 26. *Vivens & sanus corde laudabit Dominum.* Augustinus in enarr. Psal. XXXIX. *Si non statim surrexero, corruptumque fuerit meum corpus, numquid confitebitur tibi pulvis, id est, turba impiorum, quam mea resurrectione justificabo, aut adnunciabit ad salutem cæterorum veritatem tuam?* 2.) Quidam accipiunt de illis, qui morte secunda sive æterna intereunt, ac ‹ŠNŠ exponunt pro *inferno*, ut sit sensus: Nisi me spiritu consolationis erexeris atque auxilio tuo præsto

II) *Psalm. CXV. 17. Non mortui laudabunt te.*

præſto fueris, facile in deſperationis & conſequenter in damnationis barathrum prolabi poſſum. Baſilius in Pſalm. CXIII. *Mortuos hic non eos dicit, qui ſimpliciter vita functi, ſed qui in impietate mortui ſunt, illi namque ad infernum deſcendunt.* Sed prior expoſitio eſt textui convenientior. 3.) Quod pſaltes nequaquam abſolute & ſimpliciter neget, mortuos Dominum laudare, patet tum ex hoc ipſo loco, quia addit, *nos, qui vivimus, benedicimus Domino ex hoc nunc & usque in ſeculum*, tum ex aliis pſalmorum dictis: Pſal. CXVI. 7. *Revertere anima mea in requiem, quia Dominus benefecit tibi.* v. 9. *Ambulabo coram Domino in regione viventium.* Pſ. CXVIII. 17. *Non moriar, ſed vivam, & recenſebo opera Domini.*

III) *Eccl. III. 19. Eventus filiorum hominum & eventus jumentorum unus eſt.*

§. CLII. III) Eccl. III. 19. *Eventus filiorum hominum & eventus jumentorum unus eſt, ſicut moritur iſtud, ſic moritur ille, & ſpiritus unus omnibus, præſtantia hominis præ animali nulla, quia omnia vanitas.* v. 20. *Omnia pergunt ad locum unum, omnia fuerunt ex pulvere, & omnia revertuntur in pulverem.* v. 21. *Quis ſcit, an ſpiritus filiorum hominum adſcendat ſurſum, & ſpiritus jumenti deſcendat ſubtus terram?* (*) *Reſp.* 1.) Gregorius lib. IV. dialog. cap. 4. exiſtimat, verba illa μιμητικῶς in perſona impiorum proferri, (**) velut illa, quæ habentur Sap. II. 1. & ſeqq. qua in parte ſequitur Gregorium Neo Cæſarienſem, qui ad Salomonem voluptatibus ſecure adhuc indulgentem hoc adcommodat, hoc ſenſu: *Cum me darem voluptatibus, ſenſi animum meum quodammodo brutescere, atque iis cogitationibus agitari, quod eſſet unus exitus hominum ac jumentorum, ac quod poſt hanc vitam nulla ſuperſit alia.* 2.) Simplicius reſpondetur, Salomonem conferre hominem cum beſtiis quoad *moriendi neceſſitatem*, non autem quoad ſtatum & conditionem poſt mortem. 3.) Quod per prolepſin additur: *Quis novit, an ſpiritus hominis adſcendat ſurſum, & ſpiritus jumentorum deorſum?* non eſt latius extendendum, quam comparationis tertium permittit. Loquitur Salomon de notitia naturali & experimentali, quam conſequitur homo ex conſideratione eventuum, qui hominibus & beſtiis ex æquo eveniunt; quod enim externos illos eventus in oculos incurrentes adtinet, illorum reſpectu homo a beſtiis non videtur differre. (***) Vt enim beſtia cadit, dolet, ægrotat, alget, ſitit, moritur &c. ita eadem homini obveniunt. 4.) Sed ex revelatione verbi per ſpiritualem noti-

(*) Nonnullos loci hujus difficultas, quæ cuivis legenti facile incurrit in oculos, eo adegit, ut διανευσιαν totius libri, in quo hæc verba leguntur, in dubium vocare haud dubitaverint. Fecit hoc recentiori ætate Jo. Clericvs, qui eundem homini cuidam Sadducæorum ſectæ addicto tribuendum eſſe cenſuit, refutatus eapropter a Witsio, Maio atque Carpzovio. Ex antiquiſſimis ſcriptoribus Theodorvm *Mopsveſtenum*, ſeculo V. clarum, divinam libri hujus auctoritatem, pariter negaſſe, in *notis* ad Gerhardi *tom. II. locor. theol. cap. VII. §. CXLVII. p. 115.* obſervavimus, hancque ſententiam confutavimus.

(**) Obſtat tamen huic expoſitioni, quod Salomon in *commate 18.* diſertis verbis dicit אמרתי אני בלבי *dixi ego in corde meo*, h. e. *poſt inſtitutam diligentem hac de re meditationem judicavi.* Accedit, quod Salomon perverſo illi hominum profanorum judicio nullam ſubjunxit reprehenſionem vel confutationem.

(***) Alloquitur proinde Salomon in verbis ſupra recitatis homines brutorum inſtar viventes, innuitque, ſi ad id duntaxat, quod *extrinſecus* adparet, oculisque noſtris primo intuitu ſe objicit, reſpiciamus, eandem eſſe ſortem, eadem phænomena homini pio cum impio, vel brutis. Conferantur, quæ hanc in rem adnotarunt Martin. Geiervs in *comment. ad h. l.* Valent. Ernest. Loeschervs in *decimis evangeliis, part. I. p. m. 183.* itemque in *prænotionibus theolog. prænot. IX. §. VI. p. 171.* Salom. Devlingivs, *obſerv. ſacr. part. II. obſ. III. §. XXIX. p. 51. ſeqq.* cumprimis vero Dan. Maichelivs in *oratione de differentiis inter mortem hominis & brutorum*, Tubing. *MDCCXLIII.* ac denique Theodor. Christoph. Lilienthal in *der guten Sache der göttlichen Offenbahrung, part. IV. cap. IX. §. 12. p. 671. ſeqq.* Vt complures alios jam haud memoremus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841202-p0176-0

notitiam cognoscimus, in morte hominis & brutorum maximum esse discrimen, cum anima hominis sit immortalis, & corpus ejus ex pulvere terræ suo tempore suscitandum, quorum neutrum bestiis competit. Hanc spiritualem de immortalitate animæ notitiam Salomonem non negare nec homini adimere, patet ex Eccl. XII. 7. *Spiritus redit ad Deum, qui dedit eum.* 5.) Hieronymus in comm. h. l. solutionem quærit in phrasi מִי יוֹדֵעַ: *Non inter pecudes* (inquit) *& hominem secundum animæ dignitatem nihil interesse contendit, sed adjiciendo* quis, *difficultatem rei voluit demonstrare. Pronomen enim* quis *in scripturis sanctis non pro impossibili, sed pro difficili semper accipitur. Inter homines igitur & bestias hæc sola est differentia, quod spiritus hominis adscendit in cælum, & spiritus jumenti descendit in terram, & cum carne dissolvitur, si tamen hujus rei vir aliquis ecclesiasticus & disciplinis cælestibus eruditus, & quasi dubiæ rei assertor certus sit.* Postea adnectit mysticam explicationem: *Quis scit, utrum sanctus, qui hominis adpellatione dignus est, adscendat in cælum? & utrum peccator, qui jumentum vocatur, descendat in terram? Fieri enim potest utrumque pro incerto vitæ hujus & lubrico statu, ut & justus concidat, & peccator resurgat, & nonnunquam evenit, ut rationabilior & eruditus in scripturis, hoc est, homo non circumspecte, & ut scientia sua dignum est, vivat, & deducatur ad inferos, & simplicior quisque atque rusticior, qui jumentum hominis comparatione dicatur, melius vivat, & martyrio coronetur, & paradisi fit colonus.* Sed hoc a literæ simplicitate nimis procul discedit. 6.) Idem postea confugit ad limbum: *Non hæc dicuntur*, inquit, *quasi putet Salomon, animam hominis ita dissolvi, ut animam pecoris, nec quasi ad eundem locum proficiscantur, sed quod ante Christi adventum omnes deferebantur ad inferos &c. Et quamvis non idem est dissolvi & conservari, attamen parum interest dissolvi, ut anima peccatoris, & in tenebris detineri.* At paulo post ostendemus, hypothesin de limbo adversari scripturis.

§. CLIII. 2.) *Rationes*, quæ contra animæ immortalitatem formantur, solvit Lactantius lib. VII. inst. cap. 12. Potiores hæ sunt: 1) *Anima educitur ex potentia materiæ, ac per generationem propagatur. Ergo in morte etiam interit. Resp.* proprie loquendo anima non generatur, sed propagatur, generatio enim est totius compositi. Non autem sequitur, anima propagatur, ergo etiam corrumpitur, quia animæ natura non est æstimanda ex propagatione, sed ex propria ejus essentia, quæ hæc est, quod sit spiritus incorporeus, invisibilis & immortalis, talis enim quælibet res est, qualem eam Deus in creatione esse voluit, & quale esse ei dedit. Si per eductionem e potentia materiæ hoc intelligitur, quod anima ex semine corporeo qua tali oriatur, negamus animam ex potentia materiæ educi. Sin vero hoc modo phrasis illa explicetur, quod homo vi benedictionis divinæ sibi simile secundum speciem generet, ac proinde animam propaget, *concedimus animam e potentia materiæ educi*, hoc est, non immediate a Deo creari, sed a parentibus in sobolem divino beneficio & ordinatione propagari; sed ex eo inferri nequit, animam non posse extra corpus subsistere, quia utrumque, videlicet tum propagatio animæ, tum ejus extra corpus subsistentia in solidum & unice pendet a Dei ordinatione ac voluntate. Irenæus lib. II. adv. hæres. cap. 64. pag. 164. "Si qui hoc in loco „dicant, non posse animas eas, quæ paulo „ante esse cœperunt, in multum temporis per„severare, sed oportere eas aut innascibiles „esse, ut sint immortales, vel si generationis „(in generatione hominis) initium acceperint, „cum ipso corpore mori, discant, quoniam „sine initio & sine fine vere & semper idem „eodem modo se habent, solus est Deus, qui „est omnium Dominus, quæ autem sunt ab „illo, omnia quæcunque sunt facta & fiunt, „ini-

2.) *Ex rationibus.*

1) *Ab animæ productione.*

„initium quidem ſuum accipiunt generationis, „& per hoc inferiora ſunt ab eo, qui ea fe„cit, quoniam non ſunt ingenita, perſeve„rant autem & extenduntur in longitudinem „ſecundum voluntatem factoris Dei, ita ut ſic „initio fierent, & poſtea ut ſint, eis donat.„ Lactantius d. l. "Non quia cum corpore ani„ma naſcitur, cum corpore etiam intereat, „neceſſe eſt, non enim eſt par utriusque ra„tio. Solidum enim & comprehenſibile cor„pus eſt, & oculis & manu videtur & tangi„tur, anima vero tenuis & viſum tactumque „fugiens. Corpus e terra fictum atque ſoli„datum eſt, anima in ſe nihil concreti, nihil „terreni ponderis habet &c. Quamvis ergo „inter ſe conjuncta ac ſociata naſcantur, & „alterum, quod eſt de terrena concretione „formatum, quaſi vaſculum ſit alterius, quod „eſt a cœleſti ſubtilitate deductum, cum vis „aliqua utrumque diſcreverit, quæ diſcretio „mors vocatur, tum utrumque in naturam „ſuam redit, quod ex terra fuit, in terram „ſolvitur, quod ex cœleſti ſpiritu, id conſtat „ac viget ſemper, quoniam divinus „ſpiritus ſempiternus eſt.„ II) *Ani-*

II) *Ab animæ operatione.*

ma rationalis habere nequit operationem a corpore omnino independentem, qui enim contemplatur, eum una cum phantaſmate contemplari oportet. Ariſtoteles libr. III. de anim. text. 39. *Ergo etiam non poterit habere exiſtentiam extra corpus. Reſp.* negamus antecedens, ſi generaliter accipiatur, ut ſtatum animæ a corpore ſeparatæ etiam includat. Teſtatur enim ſcriptura, animas a corpore ſeparatas non deſtitui ſuis operationibus, ut paulo poſt adparebit. Adde, quod quidam ex ipſis philoſophis ſtatuant, intellectum eſſe inorganicum, nec indigere ad propriam ſuam operationem corporeis phantaſmatis. Species intelligibiles, quæ ad intellectionem requiruntur, eodem modo in anima ſeparata eſſe poſſunt, quo ſunt in angelis, quos conſtat eſſe ſpiri-

III) *Ab animæ paſſione.*

tus incorporeos. III) *Quod pati poteſt naturaliter, etiam poteſt corrumpi, quia paſſio eſt inchoata quædam corruptio, ſed anima, vivente homine, triſtitiam & dolorem patitur. Ergo. Reſp.* triſtitia in anima non oritur ex violenta primarum qualitatum impreſſione, quæ naturalis corruptionis eſt cauſa, ſed ex rerum naturæ hominis adverſantium cogitatione. Dolendi actus arguit arctiſſimam animæ cum corpore unionem, quæ efficit, ut ſit principium materialium operationum in ipſo corpore, nequaquam vero infert, quod in ſe ac ſua natura ſit materialis & corruptibilis. Lactantius d. l. reſpondet, „propterea virtutem & ſapientiam eſſe neceſ„ſariam, ut mœror fortitudine repellatur, & „voluptas abſtinentia ſuperetur. Nam ſi ca„reat virtute, ſi voluptatibus dedita molliatur, „morti fiet obnoxia, quoniam & virtus im„mortalitatis eſt fabricatrix, & voluptas mor„tis, mors autem non funditus peremit ac „delet, ſed æternis adficit cruciatibus, nam in„terire prorſus anima non poteſt.„

IV) *Quia creſcit ſenſus in pueris, & in juvenibus viget, & in ſenibus diminuitur, inde adparet, animam eſſe mortalem. Reſp.* illud

IV) *Ab animæ alteratione.*

incrementum ac decrementum non adtingit ipſam animæ eſſentiam, ſed duntaxat operationem, quæ pro diverſitate organorum, ſpirituum ſcilicet ac humorum variatur. Lactantius d. l. "non eſt idem mens & anima. Aliud „eſt enim, quo vivimus, aliud quo cogitamus. „Nam dormientium mens, non anima ſopi„tur, & in furioſis mens exſtinguitur, anima „manet, & ideo non exanimes ſed dementes „vocantur. Mens ergo, id eſt, intelligentia „vel augetur vel minuitur pro ætate. Anima „in ſuo ſtatu ſemper eſt, & ex quo tempore „ſpirandi accepit facultatem, eadem usque „ad ultimum durat, donec emiſſa corporis „clauſtro ad ſedem ſuam revolet.„ Et poſtea: „Non eſt animæ vitium, ſi viſus evanuit, ſi „lingua torpuit, ſi auditus obſur„duit, ſed corporis.„ V) *Sicut*

V) *A comparatione.*

oculus evulſus a corpore ac ſeparatus nihil poteſt videre, ita & anima ſeparata nihil ſentire, quia & ipſa pars corporis. Reſp. anima non eſt pars corporis,

poris, sed ejus ἐντελέχεια, nec oculo competit τὸ videre sive videndi facultas per se, sed κατ' ἄλλο, videlicet propter animam, ipsi vero animæ potentia intelligendi ac sentiendi per se competit. Distinguendum etiam inter partes *integrales* & *essentiales*. Oculus est pars corporis integralis, anima est pars essentialis. Lactantius d. l. respondet, "falsum esse illud „comparatum ac dissimile; anima enim non „pars corporis, sed in corpore est, sicut id „quod vase continetur, vasis pars non est, „nec ea, quæ in domo sunt, partes domus „esse dicuntur: ita nec anima pars est corpo„ris, quia corpus vel vas animæ est, vel re„ceptaculum.

SECTIO II.

DE METEMPSYCHOSI, SEV TRANSMIGRATIONE ANIMAE.

De animarum ex corpore in corpus migratione.

§. CLIV. Postquam igitur demonstratum est, animam hominis non exstingui in morte, sed ex corporis domicilio egredi, restat, ut de statu & conditione animarum separatarum disseramus. Revocari autem potest tota isthæc tractatio ad duo principalia capita. Prius aget περὶ τῆ πῆ de domicilio illo, in quod animæ post hominis mortem recipiuntur, quod ψυχοδοχεῖον adpellare possumus. Posterius περὶ τῦ ποιεῖν καὶ πάσχειν, quid agant vel non agant animæ illæ separatæ, an Epimenideo quodam somno oppressæ ἀναίσθητοι prorsus, ἄεργοι καὶ ἄπρακτοι usque ad diem extremi judicii otientur, an vero pro distinctorum domiciliorum conditione ac statu diversa agant & patiantur. Antequam vero περὶ τῆ πῆ sive de ψυχοδοχείῳ agamus, ante omnia removenda est absurda & bruta illa opinio, quæ statuit, *migrare animas de corporibus vetustate ac morte confectis, & insinuare se novis ac recens natis, & easdem semper renasci modo in homine, modo in pecude, modo in bestia, modo in volucre, & hac ratione immortales esse, quod sæpe variorum ac dissimilium corporum domicilia commutent*, quibus verbis animarum illam transmigrationem, sive transanimationem, μετεμψύχωσιν καὶ μετενσωμάτωσιν a Græcis adpellatam, describit Lactantius lib. VII. div. inst. cap. 12. circa finem. Hæc opinio 1.) nata fuit teste Herodoto (*) in *Ægypto*, omnis idololatriæ matre; 2.) a *Pythagora* & aliis philosophis gentilibus ratiunculis quibusdam est comprobata & palliata.

Adsertores μετεμψυχώσεως.

(*) Vid. Herodotvm *libr. II. histor. cap. CXXIII.* Ad duo vero capita redeunt ea, quæ is *loc. cit.* de *Ægyptiis* memoriæ prodidit: 1) *eos primos fuisse, qui animam hominis immortalem* dixerint; 2) eos μετεμψύχωσιν simul statuisse, adserentes, corpore moriente animam in aliud, quod nascitur, animal continuo migrare; ubi vero per omnia terrestria, maria, volucria circumierit, rursus in humanum, quod nascitur, corpus introire; *circumitum autem hunc ab anima fieri intra tria millia annorum.* His consona sunt, quæ Hecatævs, apud Laertivm *libr. I. s. 10.* atque Æneas Gazævs in *Theophrasto*, sive dialogo *de resurrectione mortuorum p. 14.* de *Ægyptiis* tradunt. Aliter tamen eorum hac de re doctrinam edisserunt Diodorvs, Plvtarchvs atque Porphyrivs, observante Bruckero in *historia crit. philos. tom. I. libr. II. cap. VII. §. XVIII. p. 296. seqq.* qui tamen pugnantes veterum hac de re relationes ita conciliare adnititur, ut aiat, ipsos Ægyptiorum sacerdotes in argumento de statu animarum post mortem diversas sovisse opiniones, quod & b. Moshemio ita visum est. Cæterum *de transmigratione animarum humanarum ex suis corporibus in alia corpora*, peculiarem dissertationem edidit Jo. Adamvs Osiander, philosophiæ in nostra academia haud ita pridem profess., quæ hoc Tubingæ anno *MDCCXLIX.* prodiit.

ta. De Pythagora illud referunt Lactantius d. l. Laërtius in vit. Pythag. (*) Plato eamdem opinionem amplexus, (**) (Irenæus lib. II. cap. 59. ipsi tribuit, quod *primus eam introduxerit*) lib. X. polit. narrat, *Orpheum odio mulierum transisse in cygnum, Thamyrum in luscinium, cygnum iterum in hominem, Ajacem in leonem, Agamemnonem in aquilam, Atlantem in pugilem, Epeum in mulierem formosam, Thersiten in simiam, Vlyssem in virum plebejum.* In Timæo adserit, *viros injustos transire in mulieres*, Θεωρητικὰς, *qui in contemplatione hærent, mutari in aves, contemtores philosophiæ in pecudes, homines terrenis deditos in pisces.* In Phædone disputat, *animas sordidas de cælo cadere, & subinde post mortem redire de corpore in corpus, post decem millia annorum absolvi totum cursum, & tum bonas animas redire ad cælos, malas autem ad pœnas infernales.* Platonis tamen sectatores concinna quadam interpretatione hæc omnia mollire conantur, & ἀλληγορικῶς ea accipienda esse contendunt. Ovidius libr. XV. metamorph.

Morte carent animæ, semperque priore relicta
Sede novis domibus vivunt habitantque receptæ.
Ipse ego, nam memini, Trojani tempore belli
Phantoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atridæ &c.

Julianus apostata animam Alexandri in se immigrasse nugabatur. *Stoicis* non minus quam Pythagoræis opinionem illam tribuit Lactantius lib. III. inst. cap. 18. in principio. De *gentilibus* in genere scribit Ambrosius de bono mortis cap. 10. in medio: *Summum præmium existimarunt, si magnorum philosophorum animæ in apes aut luscinias demigrarent, ut, qui ante hominum genus sermone pavissent, postea mellis dulcedine aut cantus suavitate mulcerent.* 3.) De *Pharisæis* refert Josephus lib. II. de bello Judaic. cap. 7. quod *bonorum animas dixerint transire in alia corpora, improborum autem interminabili supplicio cruciari*;[f] (***) cui opinioni etiam addictus fuisse videtur Herodes Matth. 2. XIV. Marc. VI. 14. Elias Levita in Thisbi commemorat, Judaicos præsules Pythagoricum somnium de בְּגִלְגּוּל

(*) De transmigratione animarum *Pythagoræa* ex Laertio, quem supra excitavit Gerhardvs, paucis notamus, Pythagoram in Italiam delatum in specum quandam descendisse, aliquo autem elapso tempore ex eadem rursus adscendisse, multaque mirabilia de rebus apud inferos gestis aliis narrasse: itemque eundem expolvisse, quis ante ingressum in hocce corpus fuerit, quodque *Æthalides* fuerit ante Trojanum bellum, Mercurii filius; tum *Euphorbus*, postea *Hermotimus*, inde *Pyrrhus Delius*, postremo *Pythagoras*, quam transmigrationis Pythagoreæ historiam falsæ ridet Lucianvs in *Gallo*, *tom. II. p. 613.* Suffragare hæc arbitramur, ut exinde intelligamus, Pythagoram insignem fuisse impostorem. Et sane hoc ipsum ex tota Pythagoræ historia haudquaquam comprobari potest, prout recte monuit Brvckervs in *histor. crit. philos. tom. I. part. II. libr. II. cap. X. §. X. p. 1013.* Cæterum constat, Pythagoram a multis cum veterum, tum recentiorum, inter magos celeberrimos fuisse relatum. Vid. Naudævm in *apologie des grands hommes accusés de Magie cap. X. p. m. 136. & p. 146.*

(**) Post Pythagoram, Platonem etiam μετεμψύχωσιν docuisse, præter alios observat Minvcivs Felix in *Octavio*, ubi inter alia hæc leguntur verba: *Sic etiam conditionem renascendi, sapientiam clariores, Pythagoras primus, & præceptum Plato corrupta & dimidiata fide tradiderunt. Nam corporibus dissolutis, solas animas volunt & perpetuo manere, & in alia nova corpora sæpius commeare. Addunt, istis & illa ad detorquendam veritatem, in pecudes, aves, belluas hominum animas redire. Non philosophi sane studio, mimi officio digna ista sententia est. Sed ad propositum satis est, in hoc sapientes vestros in aliquem modum nobiscum consonare.* Atque hæc ipsa de μετεμψυχώσει opinio radices suas adeo egit diffuditque, ut non tantum Pythagoram & Platonem, quos modo nominavimus, sed &, præter Empedoclem & *Stoicos*, *Gallos* quoque, *Germanos* & *Getas*, sibi adsentientes habuerit.

(***) Exstat hicce locus apud Josephvm *libr. XVIII. antiq. Jud. cap. 2.* cui vero jungendus est alius, qui legitur *libr. II. de bello jud. cap. XII.* Diver-

sæ

גלגול נפשות, hoc est, de μετεμψυχώσει tempore Christi fuisse amplexos. (*) 4.) In ecclesiam christianam introducta est a *Carpocratitis, Gnosticis, Marcionitis ac Manichæis.* De *Carpocratitis* vide Epiphanium tom. II. lib. I. hæres. 27. De *Gnosticis, Marcionitis ac Manithæis* idem tom. III. lib. II. hæres. 42. sic scribit: *Putat miser ille Marcion una cum aliis idem sentientibus, quod eadem anima & in hominibus & in brutis est. Hoc ipsum multæ erroneæ hæreses frustra sentiunt. Nam & Valentinus & Colorbasius, Gnosticique omnes ac Manichæi transitus animarum de corporibus ad corpora esse pronunciant in hominibus cognitionem non habentibus, velut ipsi ex fabulamento quodam confingunt. Has enim dicunt pervagari, & singulorum animantium corpora pertransire, donec cognitionem adsecutæ fuerint, atque sic purgatæ & resolutæ ad cœlestia transmigraverint.* De *Manichæis* idem tom. II. lib. II. hæres. 66. memorat, quod *transitus animarum e corporibus in corpora introduxerint, quos fortassis* (inquit) *aut a Platone aut a Zenone Stoico, aut ab aliquo fanatico collegerunt.* Confer Theodoretum lib. I. hist. eccl. cap. 17. De iisdem Augustinus in lib. de hæres. ad Quodvultd. hæres. XLVI. *animas auditorum suorum in electos revolvi arbitrantur, aut feliciore compendio in escas electorum suorum, ut jam inde purgatæ in nulla corpora revertantur. Cæteras autem animas & in pecora redire putant, & in omnia, quæ radicibus fixa sunt, atque aluntur in terra.* Idem hæres. LXXVIII. ex Philastrio hæres. CXX. mentionem facit cujusdam hæreseos, *quæ sceleratorum animas converti in dæmonas dicit, & in quæque animalia suis meritis congrua.* 5.) *Origeni* eamdem opinionem quidam tribuunt, sed errores Origenis opinioni illi fuere quidem affines, non tamen prorsus iidem. Hieronymus in epistol. ad Pamm. de ipso refert, quod *de animarum e cœlo ruina* impia scripserit in apol. adv. Ruffinum, quod animas dixerit *fuisse ante corpora, & egisse aliquid, quo promeruerint crassis corporibus adligari,* quem errorem Origeni etiam tribuunt Augustinus lib. XI. de civ. Dei cap. 23. & Nicephorus lib. V. hist. eccles. cap. 33. Idem de *Priscillianistis* statuendum, quos itidem μετεμψυχώσεως patronos aliqui constituunt. Eorum hæresin Augustinus sic describit de hæres. cap. 70. *Animas dicunt ejusdem naturæ atque substantiæ, cujus est Deus, ad agonem quemdam spontaneum in terris exercendum per septem cœlos & per quosdam gradatim descendere principatus, & in malignum principem incurrere, a quo istum mundum factum volunt, atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari.* 6.) *Legendæ papisticæ* purgatorii confirmandi causa excogitatæ μετεμψύχωσιν oblique stabiliunt. In aurea legenda in vita Conradi & Vdalrici commemoratur, *quosdam in avibus, quæ in aquarum vortice quodam crebro immergebantur, animas duas conclusas esse intellexisse, & eas missis liberasse.* Matthæus Paris auctor est, *Rusticum, cognomento Turcillum, per insomnium vidisse animas in equi formam transformatas & varia earum tormenta.*

§. CLV. Quamvis vero Lactantius d. l. recte scribat, *Pythagoricam illam opinionem ridiculam* *Refutatio μετεμψυχώσεως.*

fæ tamen sunt de sensu horum locorum virorum eruditorum opiniones. Existimant enim nonnulli, μετεμψύχωσιν verbis illis innui; alii vero contendunt, nihil aliud velle Josephvm, nisi animas piorum redire in vitam, aliudque corpus, gloriosum nimirum, ingredi, adeoque resurrectionem tantum piorum hæc verba respicere. Priorem tamen sententiam suo modo probabiliorem esse, recte judicat Bruckervs in *loco citato, tom. II. per. II, part. I. libr. II. cap. I. p. 754. seqq.* ad quem lectores nostros remittimus.

(*) Drusius part. II. adnot. in nov. test. Matth. XVI. 14. *Judæi putant animam Adami volutatam esse per corpus Davidis & inde reversam in corpus Messiæ, quod innui existimant tribus literis* אדם, *ut per Rascha Theboth prima* א *significet Adamum,* ד *Davidem,* מ *Messiam.* Gerhardvs.

culam & mimo quam schola digniorem, nec refelli quidem serio debuisse, eum qui id faciat, videatur vereri, ne quis id credat; unde etiam facete & falsè deridetur a Luciano in dialogo Galli & Mycilli: tamen cum nullus sit tam prodigiosus error, qui non aliquos inveniat adplausores, ideo vestigiis veterum ecclesiæ doctorum insistentes breviter monstrabimus fontes refutationis. Pugnat μετεμψύχωσις 1.) cum articulo *creationis*. Vt Deus cuilibet homini proprium dedit corpus, ita quoque propria anima ipsum instruxit, per quam non solum a brutis, sed etiam ab aliis hominibus distingueretur. 1. Cor. VI. 18. *Qui scortatur, peccat εἰς τὸ ἴδιον σῶμα.* VII. 4. *Mulier non habet potestatem τοῦ ἰδίου σώματος.* 1. Tim. IV. 2. pseudodoctoribus tribuitur *ἰδία συνείδησις*. Homo a brutis differt specie, ab aliis hominibus numero. At si daretur μετεμψύχωσις, nec homo a brutis specie, nec ab aliis hominibus numero differret. 1. Cor. XV. 39. *Non omnis caro eadem caro, sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia vero volucrium, alia piscium.* Irenæus lib. II. cap. 62. pag. 163. "Quemadmodum unus„quisque nostrum suum corpus per artem Dei „sumit, sic & suam habet animam. Neque „enim sic pauper neque indigens Deus, ut non „unicuique corpori propriam donaret animam, „quemadmodum & proprium characterem.„ Methodius apud Epiphanium lib. II. tom. I. pag. 182. "Ex ornatissimo & absolutissimo „opificio & systemate totius mundi, pulcerri„maque creaturarum omnis generis ad se in„vicem subordinatione *probat*, *quod* transfi„guratio unius naturæ in alteram & providen„tiæ & sapientiæ divinæ repugnet.„ Idem Epiphanius lib. II. tom. II. hæres. 66. "Quo„modo possibile est animam e corpore in cor„pus incerni? siquidem enim corpora formata „ac parata essent, & sic animas susciperent, „probabilis esset hæc tragica fabula. Si vero „quod seminatur, ex modica gutta est, quo„modo anima in tam exiguo corpore talem „reperit amplitudinem, sic enim formantur „ea, quæ formantur, & non amplius consi„stet ipsius (Manetis) sermo. Neque enim a „corpore in corpus transeunt animæ. Nam „citra mixtionem fœminæ ad marem & ma„ris ad fœminam in singulis animalibus nihil „formatur.„ 2.) Cum articulo *redemtionis*; Christus enim non brutorum, sed hominum animas a potestate satanæ & mortis redemit, quando *animam suam* in ἀντίλυτρον dedit, Matth. XX. 28. aut ergo neganda est μετεμψύχωσις, aut neganda animarum humanarum per Christum facta redemtio, aut statuendum Christum etiam brutorum animas redemisse. 3.) Cum articulo *sanctificationis*. Spiritus sanctus non brutorum, sed hominum animas per verbum & sacramenta sanctificat. 4.) Cum articulo *resurrectionis & extremi judicii*. Cum corporibus ex pulvere terræ suscitatis, utpote humanis, non brutorum, sed hominum animæ conjungentur, & judicio Dei sistentur accepturæ præmia vel pœnas eorum, quæ *per proprium corpus* gesserunt, 2. Cor. V. 10. Irenæus d. l. "Adimpleto numero, quem Deus „ipse apud se antea definivit, omnes, quicum„que sunt descripti in vitam, resurgent, sua „corpora & suas habentes animas & suos spi„ritus, in quibus placuerunt Deo. Qui autem „pœna sunt digni, abibunt in eam, & ipsi „suas habentes animas & sua corpora, in qui„bus absliterunt a Dei bonitate.„ 5.) Cum articulo *salutis & damnationis æternæ*. Non enim brutorum, sed hominum animæ ad imaginem Dei in primo Adamo conditæ, & ad eandem per Christum reformatæ in gloriam cœlestem adsumentur, nec brutorum, sed hominum impiorum animæ inferno adjudicabuntur. Philastrius hæres. CXX. "Si quis hoc ita „putaverit fieri, (quod anima sceleratorum „transeat in dæmonas ac pecudes) paganitatis „& vanitatis philosophorum magis quam chri„stianitatis videtur habere consortium, cum „dicat apostolus: Omnes nos manifestabimur „ante tribunal Christi, ut recipiat unusquis„que ea, quæ gessit in hoc corpore. Animæ „itaque natura non vertitur in naturam alte„ram, sed cum voluntate contemnit ac negli„git Dei præceptum futuro judicio pœnarum

„se

„se dedicans, non alia nisi morum causa pe„cudibus cognoscitur comparanda, non natu„ra, sed moribus &c.„ 6.) Cum *omnibus illis scripturæ dictis*, quæ de statu, conditione, ac domicilio animarum post hanc vitam loquuntur, quæ paulo post enumerabuntur. 7.) Denique μετεμψύχωσις illa multis *absurdis* tum *theologicis* tum *philosophicis* laborat. Irenæus lib. II. cap. 58. pag. 161. "Anima„rum e corpore in corpus transmigratio ever„titur ex eo, quod nihil omnino eorum, quæ „antea fuerunt, meminerint. Si enim ob „hoc emittebantur, uti in omni erunt opera„tione, oportebat eas meminisse eorum, quæ „ante facta sunt, ut in ea, quæ deerant, ad„implerent, & non circa eadem semper vo„lutantes continuatim miserabiliter laborent. „Non enim poterat corporis admixtio in to„tum universam ipsorum, quæ ante habita „erant, exstinguere memoriam & contempla„tionem & maxime ad hoc venientes. Quo„modo enim nunc soporato & requiescente „corpore quæcunque anima ipsa apud se vi„det, & in phantasmate agit & horum plura. „reminiscens communicat cum corpore, & „est quando & post plurimum temporis quæ„cunque per somnium quis vidit, vigilans an„nunciat: sic utique se reminisceretur & illo„rum, quæ antequam in hoc corpus veniret, „egit &c.„ Justinus in confut. Græcar. quæst. p. 163. "Quid est magis ridiculum, quam „μετεμψυχώσιν, cum subsistere nequeat, fide „complecti, & decreto firmare, qua fit, ut „qui olim Athenis docuerit philosophus Pla„to, postea formicæ pertulerit laborem?„ Tertullianus in apolog. cap. 48. "Si qui phi„losophus adfirmet, ut ait Laberius, de sen„tentia Pythagoræ, hominem fieri ex mulo, „colubrum ex muliere, & in eam opinionem „omnia argumenta eloquii virtute distorserit, „nonne consensum movebit, & fidem infrin„get etiam ab animalibus abstinendi? propterea „persuasum quis hoc habeat, ne forte bubu„lam de aliquo proavo suo obsonet.„ Sed in errore, qui palpabiliter absurdus est, confutando pluribus opus non est. Confer Justinum in dial. cum Tryphone, Tertullianum lib. de anima cap. 31. & seqq. Epiphanium contra Marcionem, Nyssenum in lib. de homine, Ambrosium lib. de bono mortis cap. 7. Hieronymum in epist. XXXII. Augustinum lib. III. de Trinit. cap. 8. lib. XVIII. de civ. Dei. cap. 17. & 18. &c.

Argumenta pro μετεμψυχώσει.

I) A Nebucadnezaris transformatione.

§. CLVI. Pro μετεμψυχώσει adstruenda ex scripturis duo proferuntur exempla: I) *Nebucadnezaris* in bestiam degenerantis, Dan. IV. 30. *Ex hominibus abjectus est, & herbam ut bos comedit, & rore cæli corpus ejus consparsum est, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi ungues avium.* *Resp.* Epiphanius in vita Danielis, Cedrenus & alii respondent, non describi hoc loco quamdam μετεμψύχωσιν, seu transanimationem, sed corporis μεταμόρφωσιν ac *transformationem*; existimant enim, regem humanam corporis formam amisisse, ac priore parte cum capite in bovem, posteriore cum pedibus in leonem esse mutatum, unde operose disputant, an hæc transmutatio ratione *essentiæ* fuerit vera? an duntaxat adparens; & an ratione *causæ* fuerit physica, magica vel divina? Priorem responsionis partem adprobamus, posteriorem non item, nam nec μετεμψυχώσεως nec μεταμορφώσεως essentialis exemplum hic agnoscimus: 1.) quia textus propheticus Nebucadnezaris e regno & ab hominibus expulsionem, ejusdem inter feras & bestias divagationem, victus regii in pabulum sylvestre mutationem, roris, pluviarum ac frigoris perpessionem recensет, v. 25. sed essentialis transformationis nullam mentionem facit. 2.) *Pili ejus* ut aquilarum plumæ crevisse dicuntur, & *ungues ejus* ut avium, v. 33. utique ergo capillos & ungues cutemque hirsutam, sed levem habuit, nec ipsa humani corporis forma *essentialiter* fuit mutata, sed tantum *accidentaliter*, dum capillorum & unguium quantitas integro illo septennio per insolitam

solitam adcretionem est mutata, ac cutis imbribus atque æstu obduruit. fuit mutatio ἐ κατὰ σῶμα ἀλλὰ κατὰ εἶδος. 3.) Exacto septennio divinitus huic pœnæ præstituto dicitur *reversus ejus sensus.* v. 34. & 36. In Chaldaico est מַנְדְעִי, *cognitio, mens mea*, a radice יְדַע, *scivit, cognovit, intellexit*; ergo non anima humana nec corpore humano, sed rationis duntaxat usu ad tempus spoliatus fuit. Hieronymus in comm. *Quando dicit sensum sibi redditum, non formam se amisisse, sed mentem ostendit.* Voluit enim Deus in hoc rege horrendum punitæ superbiæ exemplum hominibus proponere, ideoque in furorem & rabiem a diabolo eum agi permisit, cumque nullis vinculis aut catenis cohiberi posset, in solitudinem ad immanissimas feras profugit, ac beluino pabulo victitans horridam illam corporis figuram contraxit. 4.) Eusebius lib. IX. præpar. evang. cap. ult. adducit locum ex Megasthene, *quod Nebucadnezar divinitus furore fuerit correptus, cum in palatium adscendisset.* 5.) Quod ergo v. 16. dicitur de Nebucadnezare, *cor ejus ab humano mutabitur, & cor bestiæ dabitur ei*, id intelligendum phrasi Hebraica de amisso rationis usu & mutatione cordis accidentali ratione motuum ac qualitatum, non autem ratione substantiæ, ut sit sensus, nihilo plus intelligentiæ in eo remanebit, quam in fera aliqua bestia. Nullum ergo μετεμψυχώσει in hoc loco paratum præsidium. Neque tamen fuit *nuda ac mera imaginatio* ex copia atræ bilis orta, quod volunt Mercurialis lib. I. practicæ cap. 12. & Pomponatius de incantat. cap. 12. fol. 290. sed miraculosa figuræ corporis pristinæ in horridam, non quidem ratione substantiæ, sed ratione accidentium mutatio.

II) *A Johannis baptistæ denominatione.*

§. CLVII. II) De *Johanne baptista* dicitur Mal. IV. 5. *Mittam vobis prophetam Eliam.* Matth. XI. 14. *ipse est Elias, qui venturus est.* Matth. XVII. 12. Marc. IX. 13. *Elias quidem venturus est, dico autem vobis, quia Elias jam venit. Resp.* Johannes vocatur Elias, non quod anima Eliæ in ipsum transmigraverit, quod Judaicum somnium ipse refellit, quando Hierosolymitanis legatis quærentibus, *an sit Elias?* negative respondet, *non sum*, Joh. I. 21. sed quia *in spiritu & virtute Eliæ* venit, ut exponit angelus conceptionem ejus nuncians Luc. I. 17. quod Johannes negat de persona, id Christus & angelus affirmant de officio. *Spiritus* enim non accipitur *essentialiter* pro anima, sed *accidentaliter* pro donis spiritus, sicut Elisæus duplicem Eliæ spiritum sibi dari exoptabat. Ac testatur res ipsa, Johannem in multis Eliam expressisse, uterque in eremo vixit, uterque zona pellicea cinctus fuit, uterque magno zelo reges peccantes objurgavit, uterque pseudoprophetis acriter se opposuit, uterque a regibus divexatus fuit &c.

III) *Ab historiarum restificatione.*

§. CLVIII. III) Exemplis scripturæ addunt *historias profanas* de *Lycanthropis* ex Olao magno. Augustinus lib. XVIII. de civ. Dei cap. 16. *Diomedis socios in volucres fuisse conversos, non fabuloso poëticoque mendacio, sed historica adtestatione confirmant.* Cap. 17. *Hoc Varro ut adstruat, commemorat alia non minus incredibilia de maga illa famosissima Circe, quæ socios Ulyssis mutavit in bestias; & de Arcadibus, qui sorte ducti transnatabant quoddam stagnum, atque ibi convertebantur in lupos, & cum similibus feris per illius regionis deserta vivebant. Si vero carne non vescerentur humana, rursus post novem annos eodem renatato stagno reformabantur in homines. Nominatim etiam expressit quemdam Demænetum, cum gustasset de sacrificio, quod Arcades immolato puero deo suo Lycæo facere solerent, in lupum fuisse mutatum, & anno decimo in figuram propriam restitutum ad pugulatum se exercuisse & Olympico vicisse certamine.* Cap. 18. *Cum essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium, ubi stabularias mulieres imbutas his malis artibus in caseo dare solere dicebant, quibus vellent seu possent viatoribus, unde*

unde in jumenta illico verterentur, & necessaria quæque portarent, postquam perfuncta opera iterum ad se redirent &c. Vide Ludov. Vivem in comm. illius loci. Joh. Fincelium (*) libro II. de mirab. In vita Hilarionis *virgo in equum conversa* memoratur, in vita Macarii *virgo in vaccam transformata* perhibetur. Pomponius Mela refert, *in Neurorum regione homines frequenter converti in lupos.* Idem placet Bodino in dæmonom. magor. *Resp.* hæc omnia esse *meras dæmonis præstigias*, quibus sensus humanos ludificatur. Cum enim homo specie differat a brutis, ideo realis transmutatio hominum in lupos vel alias bestias vi dæmonis aut artibus magicis, multo minus vi naturæ, fieri nequit. Producere enim substantiam completam ex eo, quod nullam ad rem producendam naturalem δύναμιν obtinet, nec naturæ est, nec virtutis finitæ, sed infinitæ, ac proinde solius Dei. Augustinus d. l. *Hæc vel falsa sunt, vel tam inusitata, ut merito non credantur &c. Nec sane dæmones naturas creant, si aliquid tale faciunt, de qualibus factis ista vertitur quæstio, sed speciebus, quæ a vero Deo creata sunt, commutant, ut videantur esse, quod non sunt. Non itaque solum animum, sed nec corpus quidem ulla ratione crediderim dæmonum arte vel potestate in membra vel lineamenta bestialia veraciter posse converti, sed phantasticum hominis sopitis aut oppressis corporeis hominis sensibus ad aliorum sensuum nescio quo ineffabili modo figura corporea posse perduci, ita ut corpora ipsa hominum alicubi jaceant, viventia quidem, sed multo gravius atque vehementius, quam somno suis sensibus obseratis. Phantasticum autem illud veluti corporatum in alicujus animalis effigie adpareat sensibus alienis, talisque etiam sibi homo esse videatur, sicut talis sibi videri posset in somnis & portare onera, quæ onera, si vera sunt corpora, portantur a dæmonibus, ut illudatur hominibus, partim vera onerum corpora, partim jumentorum falsa cernentibus.* De volucribus Diomedeis dicit, *eas non mutatis hominibus factas, sed subtractis fuisse suppositas, sicut cerva pro Iphigenia regis Agamemnonis filia, neque enim dæmonibus judicio Dei permissis hujusmodi præstigias difficiles esse potuisse.* Isidorus lib. VIII. etymol. cap. 9. *Hæc omnia magicis præstigiis potius fingebantur, quam rerum veritate complerentur.* Concilium Ancyranum cap. I. & habetur cap. *Episcopi &c.* 26. q. 5. *Satanas cum mentem cujuscunque mulieris (Sagæ) ceperit, & hanc per infidelitatem sibi subjugaverit, illico transformat se in diversarum species personarum atque similitudines, & mentem, quam captivam tenet, in somnis deludens, modo læta, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per quæque devia deduxit, & cum solus spiritus hoc patitur, infidelis hoc non in animo, sed in corpore evenire opinatur &c. Quisquis ergo credit, posse fieri, aliquam creaturam aut in melius aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem vel similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est & pagano deterior.* Sabinus in interp. libr. VII. metam. refert, quod *rustici in Borussia quemdam hominem ad ducem provinciæ captivum perduxerint, propterea, quod mutatus in lupum jumenta dilaniasse credebatur. Is confitebatur, se quotannis in lupum mutari, ac maximo dolore se dicebat adfici, antequam pili erumperent, & forma mutaretur, sed postquam ad explorandam rei veritatem diutissime captivus fuisset detentus, animadversum est, eum semper eamdem retinuisse figuram, & nunquam fuisse in lupum mutatum.* Confer Grillandum, jurisconsultum Italum, in lib. de fortilegio cap. 8. Wierum de præstig. dæmon. lib. III. cap. 10. Langium lib. I. epist. medic. cap. 70. Scribonium in physiol. Sagar. p. 76. Danæum de for-

(*) Johi Fincelii, philosophiæ quondam in academia Jenensi professoris, scriptum supra a Gerhardo citatum, tribus constans partibus, germanico sermone est exaratum, prodiitque sub titulo: *von Wunderzeichen*, Jenæ MDLVI. 8.

sortiariis cap. 3. Gödelmannum lib. II. de Lamiis cap. 3. Camerarium cent. I. medit. hist. cap. 72. Libavium part. I. sing. in Strigioportio. Nicolaum Remigium lib. II. dæmonolatr. cap. 5. Peucerum de divinat. cap. de Θεομαντείᾳ. Heerbrandum in disp. de magicis th. 60. f. 172. Biermannum in disp. de magicis actionibus th. 41. Horstium, medicum Giessensem, amicum nostrum singularem lib. II. de nat. hum. exerc. X. q. 9. qui omnes statuunt, mutationem illam non esse veram, sed præstigiosam.

SECTIO III.

DE VARIIS ANIMARVM POST MORTEM RECEPTACVLIS.

De ψυχοδοχείοις sive receptaculis animarum separatarum.

§. CLIX. Remoto igitur μετεμψυχώσεως ac transmigrationis animarum e corpore in corpus somnio, de ψυχοδοχείοις, *receptaculis ac domiciliis animarum* porro agendum erit. Scriptura generali adpellatione vocat *locum*. Joh. XIV. 2. *Vado parare vobis locum*. Luc. XVI. 28. *Ne veniant in hunc locum tormentorum*. Act. I. 25. *Abiit Judas in locum suum*. Non quod sit corporeus aliquis ac physicus locus proprie sic dictus, sed quia est certum quoddam πῦ, in quod animæ a corpore segregatæ congregantur. Irenæus lib. V. adv. hæres. cap. ult. vocat *locum invisibilem*. *Manifestum est*, (inquit) *quod animæ abeant a corporibus in invisibilem locum definitum eis a Deo, & ibi usque ad resurrectionem commorentur*. Ambrosius lib. de bono mortis cap. 10. vocat *habitacula ac promtuaria*. *Frustra* (inquit) *homines pretiosa struunt sepulcra, quasi ea animæ & non solius corporis receptacula sint. Animarum autem superiora esse habitacula, scripturæ testimoniis valde probatur, siquidem & in Esdræ libris leginus* 4. Esdr. VII. 32. *cum venerit dies judicii, terræ reddet corpora defunctorum &c. & habitacula reddent animas, quæ his commendatæ sunt. Hæ sunt habitationes, de quibus dicit Dominus*: Joh. XIV. 2. *multas mansiones esse apud Patrem suum &c. sed Esdræ usus sum scriptis, ut cognoscant gentiles ea, quæ in philosophiæ libris mirantur, translata de nostris*. Et postea: *Denique & scriptura habitacula illa animarum promtuaria nuncupavit* 4. Esdr. V. 37. sed quartum illum librum Esdræ ne ipsi quidem pontificii in canonem recipiunt, si excipias Genebrardum lib. II. chronol. anno mundi 3638. & Pistorium in motivis apostasiæ Badensis p. 34. Augustinus in enchir. ad Laurent. cap. 109. vocat *receptacula*. *Tempus*, inquit, *quod inter hominis mortem & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est vel requie vel ærumnæ pro eo, quod sortita est in carne, cum viveret*. Lib. XII. de civ. Dei cap. 9. *Pars civitatis Dei, quæ conjungenda immortalibus angelis, ex mortalibus hominibus congregatur, nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis, qui mortem obierunt, secretis animarum receptaculis sedibusque requiescit*. Quæ tamen veterum dicta commode explicanda sunt, ne opinioni de communi quodam omnium animarum receptaculo & ψυχοπανυχίᾳ favere videantur, qua de re inferius plura dicentur. Quidam adpellant *custodiam*, quod respectu animæ piorum non est accipiendum de *carcere quodam honorato ac senatorio*, sicut Bellarminus *purgatorium mitissimum* adpellat lib. II. de purg. cap. 7. verum generali significatione de certo quodam πῦ, in quo piorum animæ adservantur ac custodiuntur usque ad extremi judicii diem, quo sensu etiam ossa piorum divinitus *custodiri* dicuntur Psalm. XXXIV. 21. Impiorum animas quod adtinet, illa non in honorariam aliquam custodiam, sed in tenebricosum, squalidum & abominabilem inferni carcerem detruduntur, statim ut ex corporis ergastulo exierint.

§. CLX.

§. CLX. Talia ψυχοδοχεῖα, *receptacula, habitacula, cuſtodias & promtuaria animarum* ſcriptura enumerat tantum duo, quorum unum animabus *piorum* præparatum communiſſima adpellatione vocatur *cœlum*, alterum animabus *impiorum* deſtinatum vocatur *infernus*. Sic enim de σῶμα, in quod animæ piorum poſt mortem colliguntur, loquitur ſcriptura: Gen. XXV. 8. *Abraham colleſtus ſive congregatus eſt ad patres*, cujus phraſeos vim expendimus ſuperius. 1. Sam. XXV. 29. *Anima Domini mei erit* צְרוּרָה, *colligata* (adſervata ac cuſtodita. Targum reddit גְּנָזָא, LXX. interpretes ἀποθεμένη) בִּצְרוֹר הַחַיִּים, *in faſciculo vitæ*, ſive viventium; ubi Abigail non ſolum de conſervatione vitæ in periculis & perſecutionibus, ſed etiam de beato animæ Davidis poſt mortem ſtatu loquitur; addit enim, *erit colligata cum Domino Deo tuo*, ſive ad Dominum & apud Dominum Deum tuum, ex quo loco colligit rabbi Eliezer, *animas juſtorum eſſe repoſitas ſub throno gloriæ*, ac Judæi ſepulcris mortuorum inſcribere ſolent: מְנוּחָתָהּ בִּצְרוֹר הַחַיִּים עִם שְׂאָר צַדִּיקַנְיוֹת אוּמָא סְלָה, *Quies ejus in loculo viventium cum reliquis juſtis mulieribus Amen, Amen, Amen Selah.* Item: נִשְׁמָתָהּ תְּהֵא צְרוּרָה בִּגְנַן עֵדֶן אוּמָא סְלָה: *Anima ejus ſit colligata in horto Edeu: Amen, amen, amen. Selah.* Midras Coheleth 3. ſuper verba: *Quis ſcit, an ſpiritus filiorum Adam adſcendat ſurſum?* ſic commentatur: *Animæ juſtorum reponuntur in apotheca vel cellario.* Hebraice: צְרוֹר & אוֹצָר. Et *hoc eſt, quod ait Abigail ad David per Spiritum ſanctum dicens*, 1. Sam. XXV. *& erit anima domini mei ligata in faſciculo viventium ſive vitæ cum Domino Deo tuo.* Rabbi David Kimchi in gloſſa ejusdem loci: *Cum dicitur* אֶת יְהוָה, *particula* אֵת *ponitur loco* אֶל, *id eſt, ad*, ſicut Jud. XIX. אֶת בֵּיתִי, *ad domum Jehovah ego vado*, & Job. XXVI. אֶת מִי, *ad quem adnunciaſti verba.* Ex quibus colligit Galatinus libr. VI. de arcanis cap. 9. *id, quod Abigail per Spiritum ſanctum viventium faſciculum vocavit, inſtar conſervatorii gemmarum, vel pecuniæ, quæ in faſculo vel in panno ligantur & ſervantur, hoc Judæorum doctores animarum juſtorum apothecam ſeu cellarium adpellaſſe.* Pſ. XXVII. 13. *Credo tamen me viſurum bonitatem Domini in terra, ſive regione viventium.* Hæc terra eſt *regio morientium*, quia omnes morti obnoxii ſumus, ſed cœleſtis patria eſt *regio viventium*, quia ibi non eſt mors nec luctus. Sap. III. 1. *Juſtorum animæ ſunt in manu Dei.* Manus ac dextra Dei ſignificat *primo* divinam omnipotentiam, præſens ac potens in cœlo ac terra dominium; hoc ſenſu uſurpatur, quando Chriſtus ad dextram Patris dicitur evectus, ea enim vocatur *dextra virtutis* Matth. XXVI. 64. Luc. XXII. 69. *Secundo* vindictam ac judicium divinum: Exod. III. 19. *Non dimittet vos Pharao niſi per manum validam.* 1. Sam. V. 6. *Adgravata eſt manus Domini. Tertio* gratioſam Dei protectionem, tutelam ac defenſionem: Deut. XXXIII. 3. *Omnes ſancti in manu illius ſunt.* Joh. X. 29. *Nemo rapiet oves de manu Patris mei.* Hoc ſenſu juſtorum animæ dicuntur eſſe *in manu Dei*, in illa ſcilicet manu, de qua Pſalm. XVI. 11. *Delectationes tuæ in dextra tua usque in æternum*, de qua Pſalm. XXXI. 6. & Lucæ XXIII. 46. *In manus tuas commendo ſpiritum meum.*

1) *Piarum.* 2.) *ex vet. teſt.*

§. CLXI. In *nov. teſt.* receptaculum illud vocatur *ſinus Abrahæ*, Luc. XVI. 22. Auguſtinus epiſt. XCIX. fatetur, *ſe ignorare, ubi ſit ille ſinus Abrahæ*; ſed idem lib. IX. confeſſ. cap. 3. non dubitat, quin ſit *locus, ubi eſt ſine fine felicitas*; ac lib. II. quæſt. evang. cap. 39. dicit, quod ſit *requies beatorum pauperum, quorum eſt regnum cœlorum, in quam poſt hanc vitam recipiuntur.* Et poſtea: *Sinus Abrahæ intelligitur ſecretum Patris, quo poſt paſſionem reſurgens Chriſtus aſſumtus eſt, quo eum portatum ab angelis ideo dictum puto, quia ipſam rece-*

2.) *Ex nov. teſt.*

receptionem, qua in secretum Patris abscessit, angeli adnunciaverunt. Item: *Secretum Patris bene intelligitur, ubi etiam ante resurrectionem justorum animæ vivunt cum Deo.* Lib. XII. de Genes. ad lit. cap. 34. in eam inclinat sententiam, *quod sinus Abrahæ sit idem cum Paradiso, quem Christus latroni promittit.* Locus ille adpellatur *sinus* metaphora ducta vel a *parentibus*, qui puerulos suos diurna discursitatione fessos, vel ex peregrinatione domum reversos, aut ex adverso aliquo casu ejulantes solatii causa in sinum suum recipiunt, ut ibi suaviter quiescant; Esa. LXVI. 13. vel a *convivio*, cui regnum cœlorum in scripturis adsimilatur, in quo alter in alterius sinu juxta consuetudinem Judæorum recumbere solebat. Dicitur *pluraliter ἐν τοῖς κόλποις*, quia hic sinus omnes electos recipit. Hebraice חֵיק, quod proprie *gremium* vel *sinum* significat, Prov. XXI. 14. Sirac. IV. 4. metaphorice usurpatur pro medio sive medietate alicujus rei 1. Reg. XXII. 35. dicitur ergo Lazarus versari *in sinu Abrahæ*, hoc est, in meditullio quasi vitæ æternæ & medio beatorum cœtu. *Abrahæ sinus* dicitur, quia illi promissio de Messia peculiariter erat facta, quam qui vera fide adprehendunt & in ea decedunt, in sinu Abrahæ, hoc est, in gaudium & requiem beatorum in cœlo colliguntur, quo respectu etiam Abraham vocatur *pater omnium credentium*, Rom. IV. 11. ac electi *cum Abrahamo* in cœlo dicuntur *adcubituri*, Matth. VIII. 11. Jam vero apud Judæos sic adcumbere consueverant, ut alter alterius sinum tangeret, Joh. XIII. 23. Augustinus in quæst. quæst. 161. putat adpellatione sinus Abrahæ adludi ad *Abrahamium*, quo nomine vocatum fuisse dicit *locum, ubi sepulta sunt corpora sanctorum patriarcharum.* Theophylactus in comm. monet, *epulonem, cum in inferno esset, conspexisse Lazarum in sinu Abrahæ τῶ φιλοξένω, ut esset ἔλεγχος τῆς μισοξενίας αὐτῦ.* Thomas de Argentina lib. IV. sent. dist. 45. existimat, *metaphoræ rationem deductam a sinu, hoc est, portu, in quo est navium statio patata & tranquilla.* Lutherus in comm. Gen. XXV. tom. II. p. 253. *Non recte facimus, si servamus sinum Abrahæ in nov. test. Sicut enim ante mortem Abrahæ non fuit sinus Abrahæ, ita nullus amplius est post Christi adventum.* Et postea: *Sinus Abrahæ, quo fovet & amplexus est omnes sanctos morientes usque ad mortem Christi, est promissio facta Abrahæ*: In semine tuo benedicentur omnes gentes; *sic sinus Adæ fuit promissio edita in paradiso*: Semen mulieris conteret caput serpentis. *Et qui in fide illius promissionis decesserunt, servati sunt, quia verbum Dei spatiosius & amplius est cælo & terra.* Pag. 254. *Abrahæ sinus post resurrectionem destructus est, & successit melior sinus, scilicet Christi. Quando enim emigramus ex hac vita, rapimur in Christi sinum.* Luc. XXIII. 43. illud ψυχοδοχεῖον piarum animarum vocatur *paradisus*, ubi *paradisi adpellatio* respondet adpellationi regni. Quia enim latro Christum petit, ut *in regno suo* illius memor sit, & Christus ei respondet, quod *in paradiso* secum futurus sit, inde colligitur, quod paradisus & regnum Christi sint *ἰσοδυναμοῦντα.* Non autem intelligitur paradisus ille terrenus, in quo primi parentes ante lapsum habitarunt, quia is per aquas diluvii devastatus est, sed de paradiso cœlesti, qui nihil aliud est, quam beatissimum illud πᾶ, in quo animæ electorum post mortem quiete & felicitate sempiterna fruuntur ex beata Dei visione ad illas redundante, quo sensu hoc nomen accipitur 2. Cor. XII. 4. Apoc. II 7. Cum enim terrestris ille paradisus fuerit omnis lætitiæ & felicitatis *ταμεῖον, universæ sensibilis venustatis intelligentiam excedens*, ut loquitur Damascenus libr. II. orthodox. fid. cap. 11. inde factum, ut spiritus sanctus, qui a corporalibus ad spiritualia, a terrenis ad cœlestia, a visibilibus ad intelligibilia animos nostros elevare solet, statum electorum beatissimum post hanc vitam adpellarit paradisum. Confer harmon. de passione cap. XV. pag. 735. Joh. XIV. 2. vocatur *domus Patris*, in qua multæ mansiones, 2. Cor. V. 1. *οἰκία ἀχειροποίητος ἐν τοῖς οὐρανοῖς*, v. 2. *οἰκητήριον ἐξ οὐρανῦ*, in quod *dissoluto terrenæ* domus sive *corporis habitaculo*

culo pii adſumuntur; Hebr. XI. 10. *civitas habens fundamenta*, cujus τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ θεὸς, v. 14. πατρὶς ἐπιποθούσιν. Apoc. VI. 9. Animæ piorum martyrum *videntur ſubtus altare in cælo.* Apoc. XXI. 2. Regio beatorum vocatur *civitas ſancta, Hieroſolyma cæleſtis &c.* quarum adpellationum emphaſis in capite de vita æterna plenius explicabitur.

II) *Impia.* §. CLXII. De *impiorum* animabus & earum poſt mortem receptaculis Spiritus ſanctus ſic loquitur: 1. Sam. XXV. 29. *Animam inimicorum tuorum ejaculabitur, ſeu fundo jaciet in medio curvaturæ fundæ;* hoc eſt, illa non fruetur gratioſa illa Dei protectione & cuſtodia, ſed diabolis circumagitanda, & in carcerem infernalem detrudenda tradetur: *ſie wird den Teufeln in die Rabus gegeben.* Vnde rabbi Eliezer ex hoc loco dicit, *animas impiorum rapi & circumagi ab uno mundi fine ad alterum, nec illis eſſe quietem.* Rabbi Salomon in gloſſa illius loci: *Palma fundæ eſt fruſtum corei latum inſtar palmæ factum, in medio fundæ, ubi ponitur lapis. Quod ergo alias dicitur gehenna, hoc fundæ palma hic adpellatur.* Matth. X. 28. *Timete eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehenna.* Ergo non ſolum corpori parata eſt gehenna ignis, Matth. V. 29. ſed etiam anima impiorum ſtatim poſt mortem in gehennam deſcendit. Metaphora adpellationis deducta eſt a loco illo fœtidiſſimo & abominabili, in quo cultores Moloch liberos ſuos in holocauſtum ei offerebant, Jerem. VII. 31. quemque Joſias oſſibus mortuorum, cadaveribus jumentorum & ſordibus ex vicina urbe Hieroſolyma in eum conjectis ſpurcum & abominabilem reddiderat, 2. Reg. XXIII. 10. Luc. XVI. 23. vocatur ἅδης v. 28. τόπος τῆς βασάνου, de quibus adpellationibus & earum ratione in capite de inferno plenius dicetur.

Annihileſit. §. CLXIII. Cum ergo duo tantum ſint animarum poſt mortem receptacula, cœlum ſcilicet & infernus, ideo I) damnanda ſunt *gentilium* de ſtatu animarum poſt mortem ſomnia. Plato exiſtimat, *excellentes & heroicas animas tanquam puriores ſurſum evadere, cæteras vero ignavas & voluptatibus corporum contaminatas humi vagari circa ſepulcra, & has judicat eſſe ſpectra, quæ aliquando cernuntur.* Alii ex gentilibus ſentiunt, *animabus a corpore ſeparatis hinc inde oberrandum eſſe, donec corpora, a quibus per mortem ſunt disjunctæ, legitime ſepeliantur.* Patroclus in ſomnis adparet Achilli, ac petit juſta ſibi perſolvi, *alioquin eum portas inferni adire non poſſe, animabus ſepultorum eum a ſe repellentibus*, quod exemplum Tertullianus lib. de anim. adducit, & hanc gentilium opinionem redarguit. Exiſtimarunt etiam gentiles, *animas eorum, qui ante juſtum vitæ tempus defuncti ſunt, præſertim eos, qui violenta morte perierunt, quos βιοθανάτους vocant, tamdiu vagari & oberrare, quamdiu vixiſſent, niſi violenta morte exſtincti fuiſſent*, quod ſomnium Tertullianus itidem dicto loco impugnat. Cyrillus Alexandrinus libr. VII. in Johan. XXII. refert, gentiles fuiſſe fabulatos, *defunctorum animas eſſe in tumulis.* II) Probari non poteſt opinio quorumdam *patrum*, qui animas piorum putant deduci in *paradiſum terreſtrem*, in quo adſerventur usque ad diem judicii. Juſtinus in reſp. ad quæſt. orth. quæſt. 75. 76. 85. adſerit, *paradiſum terrenum adhuc exſtare & permanſurum usque ad diem judicii, in eo verſari Henochum & Heliam, illuc eſſe ductum latronem, in eumdem deduci omnes animas juſtorum, non admittendas ad beatificam Dei viſionem ante diem judicii.* Idem tradit Irenæus libr. V. adv. hæreſ. & addit, *in hunc terrenum paradiſum raptum eſſe Paulum*, cujus ſententiæ ſuæ ſuffragatores laudat *presbyteros Aſiæ, apoſtolorum diſcipulos.* Id ipſum etiam ſtatuit Tertullianus lib. de anima, *ſupereſſe ſcilicet adhuc paradiſum terreſtrem, & eſſe domicilium ſanctarum animarum usque ad diem judicii.* Euthymius in comm. Lucæ XXIII. *converſo latroni terreſtris paradiſi felicitatem promitti* exiſtimat, ideoque Dominum non

respondisse latroni, *hodie mecum eris in regno*, sed *in paradiso*. Atqui 1.) per diluvium totus terrarum orbis, ac proinde etiam hortus paradisiacus sic devastatus est, ut ortus quatuor fluminum ex uno fonte nuspiam hodie inveniatur; frustra igitur statuitur, terrenum illum paradisum adhuc superesse. Quod enim Basilius in orat. de paradiso, & Damascenus libr. II. orthod. fid. cap. 11. disputant, paradisum esse locum παρὰ τὴν γῆς ὑψηλότερον, *ac longe interjacente spatio vel maris vel terræ a regione mundana secretum & in alto situm usque ad lunæ circulum pertingentem, quo nec aquæ diluvii pervenerint*, id cum descriptione Mosaica non poterit conciliari, & a Pererio lib. III. comm. in Gen. p. 378. ut *absurdum ac ridiculum* rejicitur. 2.) Vulgata versio Sirac. XLIV. 16. adserit, Enochum translatum *esse in paradisum*, & tamen idem auctor XLIX. 16. adserit, ipsum esse *sublatum e terra*; utique ergo paradisus non est in terra, nec terrenus aliquis locus, sed beatitudo cœlestis. 3.) Animæ beatorum cum sint spiritus incorporei, amœnitate terrestris paradisi utpote corporei capi atque adfici nequiquam possent. Quid enim prodesset animabus, abundare pomis, herbis, aquis &c. 4.) Scriptura animas pie defunctorum non *in terrestrem*, sed *cœlestem paradisum* introducit, ut superius ostendimus. 5.) Christus in illo paradiso latroni promittit consortium suum; dicit enim: *mecum eris in paradiso*. Christus autem non terrestrem, sed cœlestem paradisum est ingressus. Respondet quidem Euthymius: *Christum esse ubique, ut Deus est, ac proinde esse cum latrone, aliisque sanctis in paradiso terrestri, & cum angelis in paradiso cœlesti*. Sed hac ratione nihil novi vel læti Christus latroni promisisset, quia etiam erat cum ipso eo modo, cum in cruce adhuc penderet. 6.) Voces nov. test. cum sint ambiguæ, potius accipi debent, ut sumuntur in aliis locis nov. test. non ut sumuntur in vet. test. Atqui vox *paradisi* 2. Cor. XII. 4. Apoc. II. 7. sumitur pro paradiso *spirituali ac cœlesti*. 7.) Patrum opinio nititur hypothesi ψυχοπαννυχίας, de qua suo loco plenius agemus.

§. CLXIV. III) Isthæc patrum opinio de paradiso terrestri originem duxisse videtur ex *Essæorum*, sive *Essenorum somnio*, quod describit Josephus lib. II. de bell. Judaic. cap. 7. circa finem: *Opinio*, inquit, *apud illos firmata consistit, corruptibilia quidem esse corpora, materiamque eorum non esse perpetuam, animas autem immortales semper manere, & de æthere subtilissimo commeantes quasi carceribus ita corporibus implicari, velut quas illecebra naturalis adtraxerit. Cum vero fuerint a carnalibus revelatæ vinculis, quasi de servitute longissima liberatas ita ilico lætari eas, sublimesque ferri. Et quidem bonas concinentes in hoc Græcorum sententiæ pronunciant ultra oceanum degere, ubi eis sit reposita perfruitio, illic quippe esse regionem, quæ neque imbribus neque nivibus neque æstibus adgravetur, sed quam oceano oriens zephyrus & leniter adspirans amænet. Malis autem animabus procellosa loca & hyberna delegant plena gemitibus exercendarum fine fine pœnarum. Videntur autem mihi secundum hanc ipsam intelligentiam Græci quoque fortibus suis, quos heroos & semideos vocaverunt, beatorum insulas sequestrasse*, (quo etiam pertinent campi Elysii poëtarum) *improborum autem animabus locum apud inferos impiorum, in quo etiam cruciari quosdam commentati sunt, Sisyphos videlicet & Tantalos & Ixiones & Tityos*. IV) De *Manichaeis* refert Epiphanius lib. II. tom. II. hær. 66. quod statuerint, *animas, quae erroris hujus sectae cognitionem habent, adsumi in lunam, cum lucida animae essentia existat, quapropter etiam lunam augescere & decrescere ac deficere, dum impletur ab animabus eorum, qui in cognitione incredulitatis istius moriuntur. Deinde eadem a luna minore, videlicet scapha depleri, & in solem adsumi, atque in beatorum seculum deponi*. Augustinus de hær. ad Quodvultd. hær. 46. *Manichaei animas bonas, quas censent ab animarum malarum, naturae scilicet con-*

contrariae commixtione liberandas, ejus, cujus Deus est, esse naturae &c. quidquid undique (ab animabus) *purgatur luminis, per quasdam naves, quas esse lunam & solem volunt, regno Dei tanquam propriis sedibus reddi. Quas itidem naves de Dei substantia pura perhibent fabricatas.* Adfine huic opinioni illud ethnicorum somnium, quo animas in ætheris ac stellarum naturam redire arbitrabantur. Suetonius memorat de Julii Cæsaris anima, quod in stellam crinitam fuerit mutata.

§. CLXV. V) B. *Luthero* nostro tribuit Paræus in comm. Gen. XLII. col. 2042. quod *commune quoddam receptaculum* statuat, in quo tam piorum quam impiorum animæ post mortem congregentur, & usque ad judicii diem in eo adserventur, propterea quod in comm. Gen. XXV. XLII. scribat: *Sicut* קֶבֶר *sepulcrum commune est piis & impiis, ita &* שְׁאוֹל. Et postea: *Recte igitur haec distinguuntur, ita ut sepulcrum sit locus, in quo corpus ossaque demortuorum reconduntur certo tempore, certa persona & loco.* Scheol *autem commune quoddam receptaculum non corporum tantum, sed & animarum, ubi omnes mortui congregantur. Resp.* 1.) Lutherus in aliis locis manifeste adserit, animas piorum ab angelis transferri in *paradisum*, impiorum vero detrudi in *infernum*, ut in quæstione de ψυχοπαννυχία videbimus. 2.) Nequaquam igitur commune aliquod & indistinctum animarum receptaculum statuit, in quo utræque conjunctim usque ad judicium adserventur, sed per *scheol* intelligit *communem hominum post mortem conditionem, ac animarum e corpore in novas sedes transmigrationem*, hoc est, status mutationem omnibus communem ratione *termini a quo*, non autem ratione *termini ad quem*. 3.) Vt sic descendere שְׁאוֹלָה nihil aliud ipsi sit, quam statum & conditionem mortuorum subire, quæ phrasis non tantum malis, sed etiam bonis tribuitur. Gen. XXXVII. 35. XLII. 38. XLIV. 29. Job. XXI. 13. Psalm. LV. 16. 4.) Inde Gesnerus disp. XIV. in form. concord. th. 30. distinguit inter *receptaculum commorandi & transeundi*, posterius bonis & malis commune est ac indistinctum, prius vero ratione animarum piarum vel impiarum distinctum ac diversum. 5) Respondeat vero Paræus Jesuitæ Becano, qui libr. de purg. Calvinistar. cap. I. ex Calvino probat, quod statuerit, *animas justorum in vet. test. non statim post hanc vitam migrasse in cœlum, sed delituisse in quodam carcere, & Christi redemtoris adventum exspectasse.* Sic enim scribit in psychopannych. "Nec minus evidenter apo„stolus Petrus animas a morte & esse & vivere „ostendit, cum tradit, Christum his, qui in „carcere erant, spiritibus prædicasse, nec spi„ritibus modo piorum remissionem ad salu„tem, sed impiorum quoque spiritibus con„fusionem." Et postea: "Nec vero mire„tur quisquam, includi carcere sanctos patres, „qui redemtionem Christi exspectabant."

§. CLXVI. VI) *Pontificii* quinque animarum receptacula fabricant: 1.) *Infernum*, in quem ablegant animas hominum extreme impiorum, qui incredulitate, impatientia & gravioribus contra conscientiam delictis sive peccatis mortalibus ex hac vita decedunt. 2.) *Purgatorium* inferno proximum, in quod relegant animas eorum, qui nondum plene a peccatis venialibus purgati sunt, necdum pro temporalibus pœnis peccatorum perfecte satisfecerunt, in fide tamen Christi ex hac vita discesserunt, illis tamdiu in purgatorio sudandum statuunt, donec peccatorum maculis purgatis puri & mundi in cœlum subvolent. 3.) *Limbum puerorum*, cui adsignant animas infantum non baptizatorum, qui propter peccatum originis, in quo absque baptismi remedio decesserunt, *pœna damni*, non tamen *sensus* in hac cella subterranea adficiantur, exclusi a gaudiis cœli, non tamen subjecti pœnis inferni. Dicitur limbus, quia est quasi ora & extremitas quædam inferni, sicut limbus vestimenti. 4.) *Limbum patrum*, in quem introducunt animas patriarcharum & omnium san-

sanctorum vet. test. ante Christi ad inferos descensum demortuorum, quas in hac cellula pœnam damni temporalem sustinuisse adserunt, donec peccati originalis debito per Christi mortem dissoluto ex ea liberatæ ad fruitionem cœlestis beatitudinis fuere introductæ, cum Christus ad inferos descendisset. Catechismus Tridentinus p. 56. Sonnius in demonstr. relig. christ. lib. II. tract. 3. cap. 15. &c. 5.) *Cœlum*, in quod animas sanctorum ab omnibus peccatis plene purgatas admittunt. Ordo illarum contignationum juxta pontificios talis est: *Infernus* in ipso terræ centro positus est, huic proximum *purgatorium*, quod est contignatio quasi secunda, illi contiguus est *limbus infantum*, cui proxime superincumbit *limbus patrum*, qui hodie translatis in cœlum a Christo patribus prorsus vacuus est. Compendium theologicæ veritatis adserit, *Christum descendisse ad limbum patrum, & suos ex eo liberasse, sicque infernum momordisse, quia partem seu bolum de inferno absulerit, partem vero reliquerit. Pars enim ablata est paradisus, qui olim erat limbus, pars relicta est purgatorium cum reliquis inferni exedris.* Catechismus Romanus f. 57. *Tria sunt inferorum receptacula. Infernus, purgatorium, limbus puerorum & patrum.* Bellarminus lib. II. de purg. cap. 6. „Scholastici communi consensu constituunt „intra terram quatuor sinus, sive unum in „quatuor partes divisum, unum pro damna„tis, alterum pro purgandis, tertium pro in„fantibus sine baptismo decedentibus, quar„tum pro justis, qui moriebantur ante Chri„sti passionem, qui nunc vacuus remanet, „quorum sufficientia sumitur penes genera „pœnarum, sunt enim hæc omnia loca pœ„nalia. Omnis autem pœna aut est tantum „damni aut etiam sensus, & rursus aut tem„poraria aut æterna; pro pœna ergo solius „damni æterna est limbus puerorum, pro pœ„na solius damni temporali erat limbus pa„trum, pro pœna damni & sensus æterna est „infernus, pro pœna damni & sensus tempo„rali est purgatorium.„ Similia habentur apud Durandum lib. III. sent. dist. 22. q. 4. Andradium in defens. Trid. synod. lib. II. p. 299. Sonnium in demonstr. relig. christ. lib. II. tract. 3. cap. 15. & tract. 4. cap. 1. & 2. quos castrorum tartareorum metatores haud injuria quispiam vocaverit. Huic pontificiæ opinioni ex parte adsurgit Petrus Martyr class. III. locor. comm. cap. 16. n. 15. p. 726. scribens, *Enochum & Eliam ad locum Patrum vel sinum Abrahæ fuisse perductos, ut ibi Christi resurrectionem exspectantes una cum beatis patribus agerent, ut postea cum illo jam resuscitato supra cœlos attollerentur.*

§. CLXVII. Nos tribus illis animarum receptaculis limbo scilicet puerorum, limbo patrum & purgatorio a pontificiis præter cœlum & infernum confictis in genere opponimus hoc argumentum: Quæcunque opinio 1.) *destituitur sacrarum literarum fundamento*, 2.) *iisdem adversatur*, 3.) *caret purioris antiquitatis, apostolorum temporibus vicinæ, suffragio*, 4.) *nullo rationum pondere firmari potest*, 5.) *meris conjecturis nititur*, 6.) *ac sibi ipsi non constat*, illa merito ex ecclesia Christi eliminanda est. Sed tale est pontificiorum de tribus illis ψυχοδοχείοις præter cœlum & infernum excogitatis figmentum. Ergo. *Adsumtum* probamus: 1.) quod destituatur sacrarum literarum fundamento, patebit ex singulorum scripturæ dictorum, quæ pro illis fulciendis adferuntur, consideratione. 2.) Quod scripturis adversetur, patet ex eo, quia scriptura duorum duntaxat receptaculorum, in quæ animæ post mortem usque ad diem judicii adserventur, mentionem facit, cœli scilicet & inferni. Credentium & electorum animas testatur recipi in cœlum, infidelium & damnatorum animas ablegat in infernum, ac ut immediate sibi invicem opponit Deum & diabolum, ita quoque cœlum & infernum, vitam æternam & damnationem, credentes & incredulos, bonos & malos, oves & hædos. Quorum animæ non

Argumentum generale contra tria receptacula animarum a pontificiis præter cœlum & infernum excogitata.

non sunt in cœlo cum Deo, illæ sunt cum diabolo in inferno, tertium dari nequit. 3.) Quod purioris antiquitatis suffragio, & 4) firmis rationibus destituatur, patebit ex sequentibus. 5.) Quod meris & incertis conjecturis nitatur, colligitur ex ipsius dogmatis ratione. Ecquis enim pontificios certiores reddidit, tria hæc receptacula esse loca corporea, & non solum ab inferno damnatorum, sed etiam inter se invicem distincta? Exponant nobis, quando illa habitacula sint creata ac parata? edisserant nobis, an saxis sint constrata, an tegulis obtecta, an argilla obducta ac luto coagmentata? explicent mentem suam, an forma rotunda vel quadrata hæ cameræ sint constructæ? quibus basibus innixæ, peristyliis circumdatæ, columnis suffultæ? determinent, an perpetua caligine & nocte hæc loca sint obsita, an vero διαφάνῃ ac lumini pervia? edoceant nos, quanto intervallo patrum illud diversorium distet a limbo puerorum, ac limbus ille quanto diastemate distet a purgatorio, purgatorium ab inferno? memorent nobis, quanta sit uniuscujusque receptaculi capacitas, quæ profunditas, quæ altitudo, quæ longitudo, quæ latitudo? 6.) Quod sibi ipsi hoc figmentum non constet, patebit ex speciali horum receptaculorum examine. Hoc loco illud urgemus, quod præter illa quinque loca quidam addant sextum, de quo Bellarminus lib. II. de purg. cap. 7. sic scribit: *Magna est difficultas, an præter hæc loca sit alius aliquis locus, ubi retineantur animæ, antequam ad regnum cælorum perveniant.* Beda enim lib. V. histor. cap. 13. *visionem valde probabilem* narrat, *in qua ostensum cuidam animæ, quæ ad corpus postea rediit, præter infernum & purgatorium & regnum cælorum, quoddam quasi pratum florentissimum, lucidissimum, odoratum, amœnum, in quo degebant animæ, quæ nihil patiebantur, sed tamen ibi manebant, quia nondum idoneæ erant divinæ visioni*; cui revelationi multas alias conformes adducunt Dionysius Carthusianus in dial. de judic. particul. art. 31. & Ludov. Blotius in monil. spirit. cap. 13. *Videtur mihi dicendum, non esse improbabile, talem aliquem locum reperiri, cæterum ejusmodi locum ad purgatorium pertinere, & esse quasi carcerem quemdam senatorium ac honoratum.* Quidam etiam addunt *paradisum*, in quem introducta latronis conversi anima. Repudiamus igitur tria illa conficta animarum receptacula, & purgatorii ignis flammas relinquimus pontificiis, qui hoc igne culinam suam egregie foverunt, & hoc purgatorio thesauros ex omnibus mundi angulis expurgatos in nassam suam pertraxerunt; *relinquimus limbos limbolariis, patagiariis, purpurariisque, ipsi purpuratæ meretrici Thaidi Romanæ, limbos ac fimbrias suas quam potest longissime & latissime extendenti*, ut loquitur Tilenus in notis ad librum IV. Bellarmini de Christo cap. 15.

Contra generale Bellarmini argumentum pro illis adstruendis adlatum.

§. CLXVIII. Argumento generali, quod pro adstruendis quatuor inferni finibus ex sufficienti enumeratione pœnarum Bellarminus format, opponimus sequentes hypotheses. 1.) Nullæ sunt post hanc vitam pœnæ temporales, sed omnes sunt æternæ. Quorum ergo hominum animæ pœnis obnoxiæ ac destinatæ e corpore decedunt, illas oportet, Dei judicio ita exigente, æternas & nunquam desituras pœnas sustinere. 2.) Pœnæ infernales omnes sunt æternæ, cum ex inferno nulla sit redemtio. Quorum ergo hominum animæ in infernum detruduntur, illæ perpetuos sustinent inferorum cruciatus. 3.) Duæ tantum sunt sedes ac mansiones animarum a corpore separatarum, una piarum ac fidelium, altera impiarum & infidelium, cœlum scilicet & infernus. Illæ apud Deum beatam vitam agunt in paradiso, hæ pœnis excarnificantur in inferno. 4.) Vtræque, id est, tam piorum quam impiorum, tam credentium quam incredulorum, animæ sine ulla mora aut interca-pedine statim a morte sedes sibi destinatas directe & immediate occupant sine ullo vel metu vel spe permutationis. 5.) In inferno non est distinctio inter pœnam *damni & sensus*. Sed qui pœna damni adficiuntur, a beatifica scili-

cet Dei visione excluſi, illi etiam pœnam ſenſus experiuntur. *Deum non videre ſuperat omnia gehennæ ſupplicia.* 6.) Peccati originalis non remiſſi pœna non eſt duntaxat temporalis, ſed æterna, cum omnis peccati proprie dicti ſtipendium ſit mors non tantum temporalis, ſed etiam æterna, teſte tota ſcriptura. Harum hypotheſium confirmatio ex ſpeciali illorum ψυχοδοχείων examine clarius patebit.

In ſpecie I) *contra limbum puerorum.*

§. CLXIX. In ſpecie ergo I) contra *limbum puerorum* producimus hæc fundamenta: 1.) nititur hæc opinio falſa hypotheſi de abſoluta ac ſimplici neceſſitate baptiſmi, quaſi non poſſit Deus extraordinarie cum infantibus chriſtianorum parentum per preces eccleſiæ & parentum ſibi oblatis agere. Contrarium demonſtravimus in tract. de bapt. §. 237. 2.) Infantes absque baptiſmo decedentes aut credunt, aut non credunt. Si prius, ſunt in gratia apud Deum ac peccatorum ſuorum remiſſionem conſequuntur, adeoque ſunt in libro vitæ, & ſalutis redduntur participes. Si poſterius, manent filii iræ, obnoxii damnationi & a cœleſti Hierosolyma extorres, adeoque conjiciuntur in ſtagnum ignis. Tertium aliquod ut non datur inter fidem & incredulitatem, ſtatum gratiæ & iræ, regnum Dei & diaboli, ita quoque non datur inter vitam æternam & ignem infernalem æternum. Matth. XXV. 46. Marc. XVI. 16. Joh. III. 18. & 36. Apoc. XX. 15. XXI. 27. &c. 3.) Si infantes chriſtianorum absque baptiſmo decedentes in peculiarem aliquem limbum infernali igni propinquum detruderentur, & a regno Dei ſimpliciter excluſi eſſent, quomodo conſtaret divinæ illi promiſſioni: Gen. XVII. 7. *ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te;* ſua certitudo ac veritas? 4.) Ne quidem in ver. teſt. infantes Iſraëlitici, ante ſuſceptam circumciſionem mortui, e regno Dei ſimpliciter excludi poſſunt, ut in tract. de bapt. d. l. multis rationibus & exemplis comprobavimus. Ergo multo minus de infantibus chriſtianorum in nov. teſt. ſine baptiſmo decedentibus illud ſtatui debet, cum gratia Dei non ſit adſtrictior in nov. quam fuit in vet. teſt. 5.) Si infantes illi absque remiſſione peccati originalis decederent, non tantum pœnæ damni, ſed etiam pœnæ ſenſus forent ſubjecti, nec tantum e regno Dei erunt excluſi, ſed etiam infernali æternæ damnationis igne torquerentur. Ratio eſt, quia peccati ſtipendium eſt mors & damnatio æterna, nec tantum pœna damni, ſed etiam pœna ſenſus. 6.) Si infantes illi nec gaudent nec dolent, neque quidquam ſciunt vel ſentiunt, (*es iſt ihnen weder wohl noch weh*) utique etiam non poſſunt dici pœnam *damni* ſuſtinere, quia ignorantes, ſenſus expertes, dormientes non poſſunt proprie dici puniri. 7.) Ne ipſi quidem pontificii de ſtatu infantum ſine baptiſmo decedentium inter ſe conſentiunt. Bellarminus lib. VI. de amiſſ. gratiæ & ſtat. peccati cap. 1. *quinque ſententias* de hac quæſtione enumerat. "Prima (inquit) fuit eorum, qui „regnum cœlorum infantibus baptizatis pro„mittere audebant, etiamſi non negarent, eos „in peccato originali conceptos & natos.„ Eam penitus repudiat. "Altera ſententia „fuit eorum, qui parvulos non baptizatos „excludebant e regno cœlorum & vita beatis promiſſa, tamen eis dabant vitam æter„nam & naturalem beatitudinem ſine ulla „moleſtia aut dolore extra regnum beatorum „& procul a carcere damnatorum, hoc eſt, „in loco medio inter gehennam & cœlum, „qualis locus vix poteſt fingi alius, quam ter„ræ convexum.„ Hanc ſententiam tribuit Pe„lagianis, & addit: "Ad quem errorem pro„xime acceſſiſſe videntur Ambroſius Catharinus in libro de ſtatu puerorum ſine baptiſmo „decedentium, Albertus Piggius in prima con„troverſia, & Hieronymus Savanarola in li„bro de triumpho crucis; docent enim, in„fantes ſine baptiſmo decedentes futuros poſt „judicium beatos naturali beatitudine, & in „quodam veluti paradiſo terreſtri perpetuo fe„liciterque victuros. Tertia ſententia docet, „parvulos ſine baptiſmo decedentes damnari „apud inferos æterna morte, ſed tamen ſic

„puniri

„puniri carentia visionis Dei, quæ dicitur pœ„na damni, ut nullum patiantur omnino do„lorem neque internum neque externum. Ita „docet Thomas in quæst. 5. de malo art. 1. „2. & 3. & alii aliquot scholastici doctores. „2. sent. dist. 33. Quarta sententia liberat qui„dem ejusmodi parvulos a cruciatu ignis & „vermis, quæ proprie dicitur pœna sensus, sed „non liberat eos a dolore interno, qui sequi„tur ex amissa beatitudine sempiternæ felici„tatis. Ita docet Lombardus lib. II. sent. dist. „33. lit. E. quem & alii ex scholasticis sunt „secuti. Quinta sententia docet, parvulos „propter originale peccatum utroque pœnæ „genere, damni scilicet & sensus perpetuo cru„ciari. In hanc sententiam propendet Gre„gorius Ariminensis in lib. II. sent. dist. 33. „q. 3. & Johannes Driedo lib. de grat. & lib. „arbit. tract. 3. cap. 2.„ Bellarminus prætermissis reliquis quartæ opinioni suffragatur. Idem lib. ejusdem cap. 2. *inter scholasticos sententiarum divortium de statu illorum infantum esse* fatetur. "Hoc solum (inquit) inter „veteres istos theologos, Thomam, Bonaven„turam, Scotum, Durandum, Richardum, „Capreolum, Alensem & Albertum interest, „quod alii constituunt infantes in parte infer„ni altiore, quam limbum puerorum adpel„lant, alii cum cæteris damnatis eos locum „habere pronunciant.„ Becanus in adpend. disput. de purg. Calvinist. cap. 9. p. 146. *Manet inter catholicos controversia, an infantes in limbo constituti præter pœnam damni seu exclusionem a regno cælorum patiantur aliquem dolorem seu cruciatum? De quo sunt tres sententiæ. Prima est, omnino eos pati dolorem. Altera, pati quidem aliquem dolorem ex amissa beatitudine, non tamen alium aliunde. Tertia non modo ex amissa beatitudine, sed etiam ab igne infernali percipere cruciatum. Primam tenent Thomas, Bonaventura, Scotus, Richardus, Durandus in lib. II. sent. dist. 33. & ex recentioribus Molina part. I. q. 64. art. 3. disp. 2. Vasquez in l. 2. disp. 134. cap. 3. & nonnulli alii. Alteram Lombardus in lib. II. dist. 33. Bellarminus lib. VI. de stat. peccati cap. 6. & alii ab eo citati. Tertiam Gregorius Ariminensis lib. II. sent. dist. 33. q. 3. & Joh. Driedo lib. I. de grat. & lib. arb. tract. 3. cap. 3.* Becano magis placet sententia prima, quæ est Thomæ, Bellarmino secunda, quæ est Lombardi, unde Driedonis & Bellarmini argumenta enervare nititur, quod est argumentum consensus toties deprædicati. (*) 8.) Vt fundamentis scripturæ ac firmis rationibus, ita quoque *patrum calculo* limbus puerorum destituitur. Azorius lib. II. institut. moral. cap. 17. *Aliquando aliquorum patrum opinio cum communi theologorum sententia pugnat, ut cum docent patres, infantes absque baptismo morientes igne perpetuo cruciari. Communis autem scholasticorum opinio est, & verior, eos pœna sensus non puniri.* Bellarminus lib. VI. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 5. *Si Fulgentius forte aliter docet, parvulos scilicet illos igne cruciandos, non facimus illi injuriam, si b. Gregorium Nazianzenum sequi malimus.* 9.) Origo figmenti de *limbo infantum* in gentilibus scriptoribus occurrit. Virgilius lib. VI. Æneid.

Continuo auditæ voces, vagitus & ingens,
Infantumque animæ flentes in limine primo:
Quos dulcis vitæ exsortes, & ab ubere raptos,
Abstulit atra dies & funere mersit acerbo.

10.) Denique opinio de limbo non constat sibi ipsi. Bellarminus enim lib. IV. de anima Christi cap. 11. disputat *inter sinum Abrahæ & locum damnatorum nihil solidi interjectum esse.* Vbi ergo erit limbus puerorum, de quo lib. II. de purg. c. 6. fabulatur, *esse eum altiorem, ne a gehennæ ignibus corripi possit.* At si nihil solidi interjacet, metuendum erit,

(*) Plerique pontificii statuunt, *infantes perpetuo illic detentum iri.* Contra Rutilius Benzonius, episcopus Lauretanus, lib. II. de jubilæo cap. 44. pag. 269. scribit: *Plerique existimant satis proba-*

biliter, hunc locum non futurum perpetuum habitaculum puerorum hujusmodi, sed tantum usque ad diem judicii. GERHARDVS.

ne ignis inferni sursum tendat, penetret, & incolas limbi adurat, vel certe fumo illis molestus sit.

Argumentum pro limbo infantum.

§. CLXX. Quæ pro adstruendo limbo infantum Bellarminus adducit, ad duo principalia capita referri possunt, quorum prius est, *parvulos sine baptismo decedentes, mortis æternæ pœna esse damnandos.* Posterius, *parvulos illos non puniendos pœna sensus sive ignis sensibilis, interim tamen interiorem animi dolorem, quamvis mitissimum, passuros.* Vtrumque falsis nititur hypothesibus. *Prius* hisce: 1.) Dictum Christi Joh. III. 5. absolutam & simplicem baptismi necessitatem etiam ex parte Dei requirere, adeo ut nec in casu privationis extraordinarie Deus possit in infantibus christianorum ad fidem & salutem efficaciter agere. Contrarium ostendimus in tract. de bapt. §. 240. 2.) Nullum omnino discrimen esse inter infantes christianorum intra ecclesiæ pomœria & ethnicorum extra ecclesiam constitutorum. Contrarium ostendimus dicto tract. §. 197. 3.) Infantes christianorum sine baptismo decedentes nexibus peccati originalis adhuc constrictos teneri, nullo modo in Christum credere, neque per se neque per alios, neque actu neque habitu, non habere partem in resurrectione prima, nec esse scriptos in librum vitæ, esse adhuc in potestate diaboli, detrudi in carcerem inferni tenebricosum ac horridum illum locum, perfectionem intelligentiæ non posse locum habere in infantibus &c. Contrarium ostendimus dicto tract. §. 230. & 239. Hoc loco illud urgemus, quod infantes christianorum per preces ecclesiæ & parentum Deo offerantur, qui beneficam suam erga infantes voluntatem peculiaribus promissis contestatus est, & precum piarum exauditionem promisit. 4.) Post ultimi judicii diem aquæ elementum ad locum suum naturalem redituram, totamque terram undique cooperturum, ac proinde infantes illos non baptizatos, cum in cœlo illis locus denegetur, non alium habere posse locum, quam inferorum subterraneas sedes, de qua hypothesi suo loco plenius disputabimus.

§. CLXXI. *Posterius* membrum nititur hypothesibus æque incertis imo falsis, utpote 1.) animas illorum, qui non glorificaverunt se, neque in delitiis fuerunt, id est, qui non peccarunt actualiter, in inferno quidem futuras, sed tamen nullum tormentum passuras. 2.) In iisdem non fore *pœnam vermis* ex conscientia mali operis. 3.) Peccati originalis pœnam esse carentiam divinæ visionis, actualis autem gehennæ perpetuæ cruciatum. Contrarium docent omnia scripturæ dicta, quæ de peccati originalis gravitate loquuntur, ejusque non remissi pœnas in inferno luendas docent; jam vero in inferno nullum erit discrimen inter quosdam pœna sensus & alios pœna duntaxat damni adfectos, sed omnes omnino inferni incolæ & sensus & damni pœna torquebuntur. 4.) Parvulos æternis pœnis in gehenna torqueri, & tamen a pœna sensus immunes esse. At hoc est ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ. 5.) Peccatum originis non tollere in homine ordinem naturalem, sed tantum supernaturalem, conversionem videlicet ad Deum per donum gratiæ supernaturale. Contrarium ostendimus in tractat. de peccat. orig. 6.) Propter peccatum originis, utpote culpam solum habitualem coram Dei judicio neminem puniri posse pœna sensitiva. 7.) Propter peccatum originis non juberi homines ullam animo tristitiam, doloremve concipere. 8.) Parvulos non baptizatos non esse in area, neque inter frumenta neque inter paleas numerari, non esse arbores bonas nec malas, nec esse bonos nec malos pisces, nec inter oves vel hædos Matth. XXV. recenseri posse. 9.) Parvulos illos mittendos quidem in *stagnum ignis*, hoc est, in locum, ubi est ignis, nec tamen inflammandos illo igne aut cruciandos. Nimirum ut in dogmate transsubstantiationis accidentibus sine substantia tribuit vim nutriendi, ita igni infernali hoc loco derogat vim urendi respectu infantum non baptizatorum. 10.) Parvulos cruciandos igne sempiterno per

deten-

detentionem, non per *ustionem*. At hoc repugnat priori hypothesi, quod non crucientur igne infernali, adversatur insuper generali thesi, quod pœnam duntaxat damni, non autem sensus experturi sint, ecquis enim cruciatum sine sensu concipere poterit? 11.) Afflictiones hujus vitæ non infligi proprie ac directe parvulis in pœnam originalis peccati, sed consequi naturam humanam originali justitia spoliatam. Contrarium docuimus in tractat. de imagine Dei in primo homine. 12.) Corpora parvulorum non fore gloriosa, sed similia corporibus cæterorum damnatorum, & tamen ignem infernalem, in quo detinentur, non passura. 13.) Christum non esse passum pœnam, quæ directe peccatis nostris debebatur, sed aliam. 14.) Infantes dolorem animi habituros eo, quod intelligent se beatitudine privatos, a consortio piorum fratrum & parentum alienos, in carcerem inferni detrusos, & in perpetuis tenebris vitam acturos, & tamen non passuros pœnam sensus. Thomas in quæst. V. de malo art. 3. disputat, *parvulos illos propterea nullum dolorem ex amissione beatitudinis percepturos, quod ignorabunt omnino eam se amisisse, cum id nisi per fidem cognosci non possit, & ipsi fidem nunquam habuerint.* Sed hanc rationem idem Thomas lib. II. sent. dist. 33. q. 2. art. 3. repudiat, & recte; sequeretur enim, infideles ethnicos, qui de illa beatitudine nihil audiverunt, itidem non habituros dolorem de ejus amissione. Bonaventura lib. II. sent. dist. 33. scribit, *infantulos illos simul consideraturos beatitudinem, quam amiserunt, & pœnas aliorum damnatorum, quas evaserunt, & quanquam prior consideratio dolorem, posterior gaudium adferre possit, tamen ita unam temperandam per aliam, ut consideratio amissæ beatitudinis impeditura sit gaudium de evasione pœnarum & consideratio evasionis pœnarum impeditura sit dolorem de privatione beatitudinis, atque ita futurum, ut illi neque tristentur neque lætentur.* Sed hoc Bonaventuræ placitum Bellarmino non placet; sic enim scribit lib. VI. de amiss. grat. cap. 4. §. *Sed hæc &c. Si res ita haberet, viderentur homines illi redacti ad naturam rerum non sentientium. Probabilius diceretur, eos non simul, sed per vices consideraturos nunc amissam beatitudinem, nunc liberationem a gravioribus malis, atque eadem ratione nunc tristes, nunc lætos futuros, aut certe considerationem pœnarum, quas evaserunt, non penitus sublaturam, sed ex parte mitigaturam tristitiam, quam secum consideratio amissæ felicitatis adferret.* Thomas aliam rationem adducit, *ideo scilicet infantes illos nulla tristitia esse adficiendos, quod probe intellecturi sint, nullam se proportionem ad eam beatitudinem unquam habuisse, cum nec habuerint gratiam, nec usum liberi arbitrii.* Hanc rationem itidem refellit Bellarminus. *Tametsi* (inquit) *nunquam in se parvuli illi proportionem habuerint ad beatitudinem, tamen habuerunt in primo parente, & cognoscent se primi parentis culpa tantum bonum perdidisse.* Richardus aliam rationem excogitavit, quod scilicet *parvuli ex consideratione amissæ beatitudinis ideo non tristentur, quia singulari Dei providentia dolor ab eorum animis removeatur.* Hanc rationem æque ut priores refellit Bellarminus. *Cum enim Deus non impediat, quo minus parvuli in hac vita patiantur dolores, qui sequuntur ex amissione justitiæ originalis, cur impediret dolorem, qui post mortem naturaliter consequetur cognitionem amissæ beatitudinis?* Hisce hypothesibus omnibus ac singulis sine probatione positis ut Bellarminus fidem fecerit, easque & inter se & cum scripturis conciliaverit, opinioni de limbo puerorum calculum nostrum subjiciemus. Conf. tract. de bapt. §. 240. & seqq.

§. CLXXII. II) Contra *limbum patrum* producimus hæc argumenta. 1.) Scriptura nullam hujus limbi a cœlo separati mentionem facit, in quem animæ patriarcharum & sanctorum vet. test. fuerint conclusæ, donec debitum primi parentis per mortem Christi solveretur, est ergo opinio ἄγραφος, inde Lombardus legend. LII. limbum patrum ex *suppo-*

n) *Contra limbum patrum.*

fititio evangelio Nicodemi probare maluit, quam ex canonicis & authenticis scripturis. 2.) Contra vero scriptura duo duntaxat animarum post hanc vitam receptacula tam in vet. quam in nov. test. enumerat, cœlum scilicet & infernum, ut ostendimus sæpius; est igitur opinio ἀντίγραφος. 3.) De animabus piorum spiritus sanctus in vet. test. sic loquitur, quod *colligantur in fasciculum viventium*, 1. Sam. XXV. 29. quod sint *in manu Dei*, & *non tangat illas tormentum*, Sap. III. 1. ac de anima Lazari ante Christi passionem ac mortem e corporis ergastulo liberata dicitur, quod *ab angelis, qui semper vident faciem Dei in cælo*, Matth. XVIII. 11. *in sinum Abrahæ deportata consolatione fuerit delinita*, Luc. XVI. 22. De anima conversi latronis ante Christi ad inferos descensum mortui dicitur Luc. XXIII. 43. quod *in paradisum* fuerit adsumta, quorum dictorum emphasin expendimus superius. Si anima conversi latronis fuit post mortem *cum anima Christi* in paradiso & in *regno Dei*, ubi pax & gaudium, utique non descendit ad aliquem inferni sinum. Nisi ergo paradisum cum inferno velimus commiscere, non possumus de sanctis vet. test. adfirmare, quod in limbum aliquem infernalem descenderint. Sic enim pontificii describunt illum limbum, quod *sit sinus inferni intra terræ viscera*, Bellarminus lib. II. de purg. c. 7. *in quo animæ patriarcharum pœnam damni sustinuerint, ac liberationem per Christi ad inferos descensum cupide exspectaverint, quin imo de sua liberatione certi quidpiam a Johanne baptista audire desideraverint*; Gersonius lect. II. super Marc. num. 16. quod *fuerint in limbo illo deserti, & a felicitate alieni*. Altenstaigius in lexico in voce *limbus*. Excipit Becanus in adpend. purg. Calv. p. 50. *duplex esse gaudium post hanc vitam, unum de superatis miseriis hujus vitæ & simul de securitate æternæ beatitudinis obtinenda, alterum de æterna beatitudine jam obtenta. Sanctos in vet. test. statim post hanc vitam percepisse prius gaudium, sed non posterius, nisi post mortem Christi. Resp.* petitur principium. Testatur enim scriptura, sanctos per mortem non solum a miseriis hujus vitæ liberatos, sed etiam in cœlestis beatitudinis consortium fuisse translatos. Et quodnam potuisset esse gaudium sanctorum, si a visione Dei beatifica excluſi fuissent? Præterea si sancti vet. test. statim post mortem securi fuerunt de æterna beatitudine obtinenda, ut statuit Becanus, utique de sua liberatione certi quidpiam a Johanne baptista audire tantopere non desiderassent, quod tamen adserit Gersonius. 4) Quamvis epistola ad Hebræos testetur, patriarchas vet. test. promissionum de possessione terræ Canaan ac de adventu Messiæ complementum suis temporibus nondum accepisse, XI. 13. & 39. non tamen propterea eorum animæ ex regno cœlorum excluduntur, quin potius diserte additur, quod *fide exspectaverint civitatem fundamenta habentem, cujus artifex & conditor est Deus*, v. 10. quod *patriam cælestem expetierint*, v. 16. ac proinde animæ eorum non in aliquam inferni contignationem post mortem fuere detrusæ, sed *in manus Dei* commendatæ, Psalm. XXXI. 6. *ad Deum, qui eas dederat, redierunt*. Eccl. XII. 7. Ecquis vero per manum Dei pro gratiosa profectione, custodia quieta & lætitiæ communicatione usurpatam sinum aliquem inferni intellexerit? 5) *Exempla* piorum patriarcharum & prophetarum vet. test. testantur, eos non fuisse in sinum aliquem terræ detrusos, sed in cœlum subvectos. Enochus *translatus est in paradisum*. Gen. V. 24. Sir. XLIV. 16. XLIX. 16. Hebr. XI. 5. (Quamvis in canonicis libris expresse non addatur, in quod πᾶς translatus sit Henochus, tamen contra pontificios Siracidis libro canonicam auctoritatem tribuentes, ejus testimoniis merito utimur. Quamvis etiam in Græco textu non addatur, quod Henochus *in paradisum* sit translatus, tamen in vulgata versione, quæ pontificiis est authentica, Sir. XLIV. 16. diserte illud additur, ac XLIX. 16. dicitur, quod ἀνελήφθη ἀπὸ τῆς γῆς. Ergo non est detrusus in terram, sed subvectus e terra.) Abrahamus *vidit diem Messiæ, & gavisus est*; Joh. VIII. 56. jam vero qui *vidit Filium*,

Filium, & credit in eum, habet vitam æternam. Joh. III. 36. Abraham *est pater omnium credentium*, Rom. IV. 11. ac ante Christi mortem fuit eo in loco, *quo deportatus est Lazarus ab angelis*, Luc. XVI. 22. ubi *percepit consolationem*, v. 25. & qui locus ab inferno vel maxime fuit segregatus, v. 23. & 26. Elias curru & equis igneis *sursum vectus est in cælum*, non per presterem deorsum præcipitatus in infernum, 2. Reg. II. 11. Sir. XLVIII. 9. 1. Macc. II. 58. *Moses* & *Elias* in transfiguratione Christi adparentes non e terræ sinu ac visceribus aut ex tenebricoso quodam carcere extrahuntur, sed in *gloria* & luce adparent, Matth. XVII. 5. Luc. IX. 31. De Lazari & conversi latronis anima jam ante dictum. Excipit Becanus in adpend. disp. de purgat. Calvinist. cap. 1. p. 44. *exempla Henochi & Eliæ esse a proposita quæstione aliena. Disputari enim hic de animabus justorum, qui mortui sunt, jam vero Henoch & Elias non sunt mortui, sed vivi. Resp.* inane subterfugium. In *modo* quidem, quo candidati illi immortalitatis ex hac vita in cœlestes consortium sunt translati, & quo reliqui sancti vet. test. in illud sunt adsumti, est differentia, sed in ipso *termino* est convenientia, ut ex illis, quæ dicta sunt, constat. Quod si enim nolimus dicere Henochum & Heliam in cœlum esse translatos, ubinam, quæso, eos collocabimus? Becano hic aqua hæret. *Henoch* (inquit) *& Helias non in cælum, quod beatorum sedes est, sed in alium locum translati sunt. At quis ille locus est? aliqui interpretantur paradisum terrestrem, ex quo Adam fuit expulsus, ut Thomas part. III. q 49. art. 5. ad 2. alii, quia putant, paradisum illum tempore diluvii fuisse obrutum & destructum, dicunt eos in alio quodam amœno loco versari; nihil certi est, hoc unum constat, illos non fuisse raptos in cælum.* At si præter limbum & cœlum est adhuc alius quidam locus, in quo Henoch & Elias degunt, cur non connumerant illum reliquis sanctorum post mortem receptaculis? Si Enoch & Elias non sunt translati in cœlum, cur de Enocho dicitur, quod ἀνελήφθη, sursum e terra sublatus sit in paradisum, cur de Elia diserte dicitur, quod per *turbinem in cœlum adscenderit?* Sed quærit a nobis Becanus: *an currus ille cum equis, quo in cælum vectus est Elias, in cælo adhuc sit, & quid agant ibi equi? & quo pabulo vescantur? Resp.* quasi vero graminibus in terrestri quodam paradiso vescantur? λήρος. Per *currum igneum* & *equos igneos* intelliguntur angeli, qui in hac visibili figura adparuerunt 2. Reg. VI. 17. Psalm. CIV. 4. Si currus ille materiali & corporeo igne urente & consumente flagrasset, Eliæ vehiculum minus gratum præbuisset. 6.) Nulla potest dari ratio, cur animæ infidelium in vet. test. immediate & sine mora descenderint in infernum, & animæ piorum ac fidelium aliquamdiu exclusæ fuerint a cœlesti gloria & beatitudine. Impius epulo Luc. XVI. 23. fuit in *tormentis* & *in flamma*, hoc est, in inferno & extremæ miseriæ statu. Ergo ex vi oppositionis Lazarus fuit in cœlo beatorum & in summæ felicitatis statu, nisi velimus temere suspicari, Deum majore severitate usum in impiis damnandis, quam benignitate in piis glorificandis, cui suspicioni fortissime adversatur v. 25. *Tu in vita tua accepisti bona, Lazarus ὁμοίως similiter mala, nunc vero ille solatio fruitur, tu vero cruciaris.* Excipit Becanus d. l. *in vet. test. fuisse disparem rationem pœnæ ac præmii, damnationis ac beatitudinis: 1.) quia via ad pœnam & damnationem erat aperta per peccatum primi parentis, via ad præmium & beatitudinem adhuc erat aperienda per mortem & satisfactionem Christi. 2.) Quia qui tunc peccabant mortaliter, per se merebantur pœnam & damnationem sine ulla dependentia ab alio, qui autem bene vivebant, non merebantur per se præmium & beatitudinem, sed dependenter a futuro merito & passione Christi; hi ergo debebant exspectare Christum, antequam perfectum præmium perciperent, illi poterant statim puniri. Resp.* utraque ratio nititur falsa hypothesi, qua statuitur, passionem Christi non profuisse piis in vet. test. antequam in ara crucis fuit peracta. Contrarium demonstrabimus

bimus inferius. 7.) Nititur opinio de limbo falsis hypothesibus compluribus, quod *janua paradisi ante Christi mortem non fuerit piis aperta*, cum distinguendum sit inter tempus mortis & meritum mortis; passio & mors Christi profuerunt, antequam fuerunt, &, beneficia Christi valent non solum antrorsum, sed etiam retrorsum, unde angeli adparent adscendentes ac descendentes Gen. XXVIII. 12. in descensu voluntatem Dei hominibus patefacientes, in adscensu animas piorum in cœlum deportantes; quod *Christus eo fine ad inferos descenderit, ut patres e limbo educeret*, cum alius finis & effectus illius descensus in scripturis proponatur &c. 8.) Opinio illa sibi ipsi non constat. Si enim piorum in vet. test. animæ in limbum detrusæ, ex quo per Christum postea liberatæ, quomodo constabit veritas pronunciato Salomonis Eccl. XI. 3. *Lignum in quocunque loco ceciderit, ibi erit ac manebit?* Si pii vet. test. abierunt in limbum infernalem, quomodo Jobus fide tam certus esse potuit, *redemtorem suum vivere, seque ipsum coram intuiturum*; XIX. 25. quomodo Christus dicere potest, *Abrahamum, Isaacum & Jacobum etiamnum vivere Deo?* Luc. XX. 38. Si patriarchæ vivunt Deo, ac sunt in vita æterna, quomodo ab intuitu & visione Dei tum temporis fuere remoti, cum vita æterna consistat in beatifica Dei visione? Joh. XVII. 24. 1. Cor. XIII. 12. 1. Joh. III. 2. Si post *mortem Christi clausa cœli janua est aperta, & patres statim cœperunt esse beati*, ergo fuerunt beati, antequam cum Christo in cœlum adscenderent. Vtrumque Becanus adserit pag. 52 sed perquam absurdum est, beatificam Dei visionem illis tribuere, qui nondum sunt in cœlo. Si Abraham, Isaac & Jacob fuere remoti a regno cœlorum & a Dei visione, quomodo pii in nov. test. dicuntur eorum adsessores fore in regno gloriæ? Matth. VIII. 11. (pugnant enim secum invicem, *esse in limbo & esse beatum ac in regno gloriæ*, docente Bellarmino lib. de beat. sanct. cap. 20 resp. ad 4.) Quomodo Petrus Act. XV. 11. dicere potuit, *nos per gratiam Domini nostri Christi salvari*, καθ' ὃν τρόπον patres vet. test.? Certe si eadem est salus ac beatitudo, qua in nov. test. post Christi passionem ac mortem credentes salvi ac beati fiunt, cum illa, qua olim patres vet. test. salvati sunt, quomodo vel hi salvi fuere facti sine beatitudine, vel illi eodem modo, quo hi salvantur? Quomodo Salvator tam certo pronunciat, eos, qui in ipsum credunt, *a morte ad vitam transisse?* Joh. V. 24. ubi *præteritum* μεταβέβηκε ostendit, etiam de tempore vet. test. Christum loqui. Quomodo ἀνάλυσιν pacificam tanto desiderio ante Christi mortem exspectarunt? Luc. II. 29. Quomodo tanta animi fiducia Jacobus moriturus dixit: *Domine exspectio salutare tuum?* Gen. XLIX. 18. Si sancti vet. test. caruerunt visione Dei beatifica, quomodo Bellarminus lib. de beat. sanct. cap. 3. ex Eccles. XI. 27. *facile est, in die obitus retribuere juxta vias suas unicuique*; probare potest, sanctos statim a morte ad Deum venire? Si piis ante Christi adventum mortuis descendendum fuit in aliquem limbum infernalem, potior ac melior eorum conditio fuit in vita, quam in morte. Jacobus Gen. XXXII. 30. dicit, *se vidisse Dominum a facie ad faciem.* Si limbus puerorum a limbo patrum distinctus, quomodo David adferre potuit, ibi esse sobolem ex Bethsabea susceptam, quo ipse quoque cupiat commigrare? 2. Sam. XII. 23. Si in Christi ad inferos descensu patres e limbo illo liberati, quis jam ejus penitus evacuati usus? Si patres in limbo conspectu ac visione Dei privati fuere, quomodo duntaxat pœnam damni, & non etiam pœnam sensus sustinuerunt, cum sensus iræ divinæ per *aversionem, subtractionem & privationem facici divinæ* in scripturis sacris describatur? Bellarminus lib. II. de purg. cap. 14. *mille gehennas nihil esse, si conferantur cum amissione divini conspectus.* 9.) Somnium illud pontificium de limbo patrum extenuat meritum Christi, quasi illius virtus non redundaverit ad patres vet. test. cum tamen agnus Dei dicatur occisus *ab origine mundi*, Apoc. XIII. 8. non tantum ratione *decreti, promissionis*

ac

ac typorum in sacrificiis, sed etiam ratione *fructus & efficaciæ*, cumque Christus Jesus *dicatur heri & hodie idem*, Hebr. XIII. 8. Si in humanis creditor debitorem liberum dimittit, interveniente fidejussione alterius fide digni solutionem spondentis, quidni Pater cœlestis ob promissam & pactam filii satisfactionem suo tempore adimplendam patres vet. test. fide in promissum Messiam gratiæ, justitiæ & beatitudinis æternæ participes fecisset? Si meritum Christi est unius ejusdemque virtutis & efficaciæ tam in vet. quam in nov. test. consequens est, animas piorum non solum in nov. sed etiam in vet. test. in cœlum fuisse deportatas & ad visionem Dei admissas. *Connexio* probatur, quia translatio piarum animarum in cœlum, fors sanctorum in lumine &c. sunt fructus meriti Christi. *Antecedens* probatur, quia virtus & efficacia meriti non pendet ab illo temporis articulo, in quo passione & morte sua Christus illud adquisivit, sed a personæ infinitate, & a Dei decreto ac voluntate. Ecquis enim dixerit, meritum Christi novam aliquam virtutem tempore nov. test. adquisivisse? Recte omnino Gregorius de Valentia tom. IV. in Thom. disp. I. q. 19. punct. 4. §. *Secundo sequitur &c. Omnes Christus similiter redemit, sive ante Christi adventum, sive post vixerunt, quique aliquando futuri erant, unde Apoc. XIII. dicitur, agnus occisus ab origine mundi.* Idem somnium labefactat unitatem fidei ac spei, quæ viget inter pios. Si enim non est eadem salus, utique nec eadem fides, nec eadem meriti Christi efficacia. Augustinus epist. CLVII. ad Optatum: *Eadem fides est nostra & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod non credimus factum. Si ergo & illi per gratiam Domini Jesu salvos se fieri crediderunt, manifestum est, quod hac gratia fecit antiquos etiam vivere ex fide.* Idem somnium labefactat Dei misericordiam & gratuitam fidelium cum ipso reconciliationem; præsupponit enim Deum cum fidelibus vet. test. eodem modo egisse, quo David cum filio suo degenere Absolone. Quemadmodum enim David in reductionem filii ab exsilio consentiebat, interim tamen a conspectu suo eumdem arcebat, 2 Sam. XIV. 24. ita quoque pontificia illa opinio Deo tribuit, quod animas fidelium ex mundi hujus exsilio in quietum locum reduci patiatur, sed nondum in conspectum suum eas admitti. Quemadmodum vero illa prohibitio Davidis, ne Absolon in conspectum regis adduceretur, evidens argumentum fuit, ipsum nondum esse plene & perfecte regi reconciliatum, ita quoque idem de fidelibus vet. test. pronunciandum erit; ac quemadmodum illa conspectus regii privatio Absoloni acriores doloris stimulos ingerebat, quam ipsum exsilium, imo ipsa mors v. 32. ita quoque exquisitissimus doloris sensus in fidelium animabus ex illa faciei divinæ privatione orietur, ut agnoscunt Antoninus part. IV. tit. 24. c. 10. §. 4. & ipse Bellarminus lib. II. de purg. c. 10. Cum vero absurdum sit, talem dolorem patriarchis tribuere, ideo & illud agnoscant esse absurdum, ex quo talia consequuntur. 10.) Patres non in infernalem aliquem limbum, sed in paradisum animas piorum vet. test. deducunt; Chrysostomus hom. XXVI. in Joh. & in hom. de div. & Lazaro; Augustinus epist. LVII. ad Dardan. & epist. XCIX. ad Evod. Huc referri possunt omnia patrum dicta, in quibus duo tantum animarum receptacula agnoscunt, cœlum scilicet & infernum, de quibus suo loco inferius.

§. CLXXIII. Restat, ut videamus fulcra hujus limbi pontificii. Bellarminus lib. IV. de Christo c. 10. producit hæc scripturæ dicta: 1) Gen. XXXVII. *dicit Jacob: Descendam ad filium meum in infernum. Pius erat Jacob, pius etiam Joseph, & tamen utrumque non adscendisse ad cœlum, sed ad inferos descendisse, scriptura significat.* Galatinus lib. VI. de arcan. c. 7. Pererius in Gen. XXXVII. disp. VIII. p. 883. & Cornel. a Lapide in com. super Gen. XXXVII. emphasin argumenti latius explicant. *Jacobus dicit, se descensurum eo, ubi Joseph erat.*

Argumenta pro limbo patrum.
1) *Ex Gen. XXXVII.*

At non existimabat Josephum esse in sepulcro, quippe quem a bestia devoratum credebat. Ergo non potest hoc intelligi de sepulcro, sed de limbo. *Resp.* 1.) Argumenta in medium adlata probant, limbum esse figmentum papisticum, ergo non possunt nec debent hæc verba Jacobi de quodam limbo intra terræ viscera concluso & carcere quodam infernali exponi. 2.) Textus Hebræus sic habet: *Descendam* אֶל־בְּנִי *lugens* שְׁאֹלָה, ubi *præpositionem* אֶל quidam secuti rabbi Salomonem exponunt *propter*, ut hac ratione non consortium loci, sed causa mortis exprimatur. *Descendam lugens in sepulcrum propter filium meum*, cujus significationis exemplum habetur 1. Sam. I. 27. *Hanna orabat ad Dominum* אֶל־הַנַּעַר, *propter puerum*, non ad puerum. 2. Sam. XIII. 16. אַל־אוֹדֹת, *propter malum magnum istud*, ita enim reddidit Targum. Schindlerus in lexic. Particula אֶל significat *ad*, *apud*, *juxta*, *super*, *propter*, *coram*. Galatinus huic expositioni opponit, quod Targus Onkelos reddiderit particulam אֶל per לְוָת. Sed targumica illa expositio apud christianos non est authentica. 3.) Si vel maxime usitata significatio particulæ אֶל retineatur, nondum tamen suburbium illud inferni, patrum scilicet limbus, erit exædificatus. שְׁאוֹל enim significat primo *infernum*, Num. XVI. 33. Deut. XXXII. 22. Psalm. XLIX. 15. LV. 16. Prov. XXVII. 20. XXX. 16. Esa. V. 14. XIV. 9. 11. 15. XXVIII. 15. Os. XIII. 14. secundo *dolores inferni*, qui in hac vita hominem quandoque tangunt & angunt, 2. Sam. XXII. 6. Psalm. XVIII. 6. XXX. 4. LXXXVI. 13. CXVI. 3. tertio *extremum humilitatis gradum*, 1. Sam. II. 6. (quæ tamen significatio ad secundam, sicut secunda ad primam reduci potest, Deus enim ad inferos deducit gustum quemdam dolorum infernalium hominibus immittendo;) quarto *mortem ac transitum hominum* ex hac vita, sive statum & conditionem mortuorum in genere, Gen. XLIV. 29. Job. VII. 9. Psal. LXXXVIII. 4. LXXXIX. 49. quinto *sepulcrum*, Genes. XLII. 38. 1. Reg. II. 6. Job. XIV. 13. XVII. 13. Psal. XVI. 10. CXLI. 7. Esa. XXXVIII. 18. Ezech. XXXI. 15. Jon. II. 3. (quæ significatio ad quartam reduci potest, quia conditio hominum post mortem plerumque id complectitur, ut corpora eorum sepulcris inferantur.) In verbis Jacobi patriarchæ vox שְׁאוֹל accipitur in quarta significatione, prædicit enim, vel ut quidam volunt, optat mortem cum filio Josepho communem, non quidem specie, sed genere eandem, ut sit sensus: *Quoniam filius meus tam misere occubuit, mihi quoque ob tristitiæ & luctus acerbitatem brevi moriendum erit*, quemadmodum paulo inferius dicit Genes. XLII. 38. XLIV. 29. 31. *Descendere facietis canitiem meam* שְׁאוֹלָה, at canities ex hypothesi pontificiorum non descendit in limbum, sed duntaxat anima a corpore separata. Chrysostomus in comm. pari modo exponit: *Facietis, ut consolatione privatus cum dolore finiam.* Vatablus in comm. *Lugebo filium usque ad mortem; hoc est, moriar in ipso luctu.* Fagius ibidem: *Filio meo Joseph mortuo non possum amplius vivere.* Eodem modo exponunt Eugubinus in recognitione pentateuchi, Cajetanus in comm. Lippomanus in catena, quos eo nomine suggillat Pererius. Augustinus lib. XII. de Gen. ad lit. cap. 33. videtur de ipso inferno accipere: *Quod Jacob* (inquit) *ad filios suos dixit, deducetis senectutem meam cum tristitia ad inferos, videtur hoc magis timuisse, ne nimia tristitia sic perturbaretur, ut non ad requiem beatorum iret, sed ad inferos peccatorum &c.* Confer Meisnerum part. II. sobr. phil. sect. I. cap. 3. q. 2. 4.) Si vel maxime pontificii quartam illam שְׁאוֹל significationem admittere nollent, quam tamen ob scripturæ dicta in medium adlata negare vix poterunt, nondum tamen evictum foret, de limbo quodam verba Jacobi esse accipienda. Quamvis enim persuasus erat, filium a feris discerptum, tamen quia mortem ordinarie sequitur sepultura, & quia occisi a feris nihilominus quandoque pepeliuntur 1. Reg. XIII. 29. ideo in his verbis simul ad sepulcrum respicere potuit, hoc sensu: Quia filius meus mor-

mortuus est, moriar & ego cum ipso, ac sepeliar. 5.) Glossa illa pontificiorum, qua *scheol* accipitur pro limbo infernali est judaica. Sic enim habet Midras. In *scheol*, id est, in *gehennam*.

II) *Ex 1. Sam. XXVIII.*

§. CLXXIV. II) 1. Sam. XXVIII. *Anima Samuelis adparens Sauli de terra adscendere visa est. Eam autem fuisse veram Samuelis animam, aperte liquet ex verbis textus.* Cum vidisset mulier Samuelem. *Item:* dixit Samuel ad Saul. *Item:* intellexit ergo Saul, quod Samuel esset. *Certe non diceret scriptura* intellexit, *sed putavit vel cogitavit, si non esset verum. Praeterea in Eccles. XLVI. ponitur in laudibus Samuelis, quod mortuus prophetaverit, & adnunciaverit Regi, quae ventura erant. At quae laus esset Samuelis, si non ipse, sed daemon aliquis in ejus forma adparens futura praedixisset. Idem confirmant patres.* Josephus VI. antiq. cap. 15. Justinus in dial. cum Tryph. Basilius epist. LXXX. ad Eustach. Ambrosius in Luc. I. Hieronymus in Esa. VII. Augustinus de cura pro mortuis cap. 15. Eadem repetit Bellarminus lib. II. de purgat. cap. VI. & ex eo Becanus in adpend. disput. de purgat. Calv. cap. 3. p. 57. Martinus Delrio lib. II. disquis. magic. q. 6. p. 113. & q. 26. sect. 4. *Resp.* cum ex illa Samuelis adparitione non tantum *limbum*, sed etiam *purgatorium*, *adparitiones spirituum*, *suffragia pro mortuis* & alia figmenta pontificii probent, ideo adcurate notanda sunt argumenta, quibus demonstramus, spectrum aliquod diabolicum, non autem Samuelis animam Sauli adparuisse. 1.) Ex *ipsius Spiritus sancti praemonitione.* Cum Spiritus sanctus hanc adparitionem describere vellet, praemonitionis ac praemunitionis cujusdam loco praemisit, 1. Sam. XXVIII. 6. *quod Dominus non responderit Sauli neque per somnia, neque per urim, neque per prophetas.* Si non respondit ei Dominus per prophetas, utique nec per Samuelem, qui Act. III. 24. inter prophetas numeratur. Si noluit Dominus respondere Sauli per prophetas vivos, num existimabimus eum respondere ipsi voluisse per mortuos, cum in lege id diserte prohibuisset? Deut. VIII. 11. Si nullius prophetae adhuc viventis adloquio Dominus Saulem dignari voluit, num putabimus honore longe majore ipsum fuisse dignatum, ut scilicet propheta Samuel ex mortuis in ipsius gratiam suscitaretur? Excipit Bellarminus lib. II. de purg. cap. 6. *Deum se iratum ostendere voluisse Sauli, idque fecisse tam non respondendo, quando interrogabatur, quam respondendo, quando non interrogabatur, utrumque enim est signum irae. Adde, quod cum Saul interrogabat Deum, si Deus respondisset, potuisset Saul declinare bellum & paenam sibi a Deo paratam. At cum interrogavit pythonissam, jam erant omnia parata & acies instructae & in conspectu positae, ut nullo modo praelium detrectari posset, tunc ergo Deus, ut magis puniret Saulem, praedixit ei per prophetam interitum suum & filiorum & totius exercitus. Resp.* praesupponitur in hac exceptione, Deum primo quidem Sauli non respondisse per prophetas, postmodum vero per Samuelem ei respondisse. Sed contrarium docet textus, contrarium demonstrant adductae rationes. 2.) Ex *ipsius facti consideratione.* Si is, qui adparuit Sauli, fuit verus Samuel, aut fuit ejus *anima* aut *corpus* aut *totum personae* anima & corpore constans. Sed nihil horum dici potest. *Anima* Samuelis non fuit, quia illa non minus ut reliquorum sanctorum animae fuit in *manu Dei*, Sap. III. 1. colligata in *fasciculum viventium*, 1. Sam. XXV. 29. *in sinu Abrahae*, Luc. XVI. 22. jam vero diabolo ἀδύνατον est, animas electorum ex manu Dei & ex statu alterius vitae, in quem nullum prorsus imperium obtinet, excutere, & in has terras postliminio revocare. Si obvertere velis, *divina potentia id factum fuisse*, consequens erit, Deum Pythonissae in opere mere diabolico temporalibus & aeternis flammis digno fuisse cooperatum. Praeterea si Sauli conspecta est anima Samuelis sine corpore, quomodo potuit a Saule & a pythonissa videri, cum anima sit spiritus invisibilis? Adde, quod

phantasma illud adpareat in forma corporea *alicujus senis pallio amicti*, v. 14. at quomodo potuit anima separata in corporea figura senis conspici, cum ipsa sit ἀσώματος καὶ ἀχήρατος. Sed nec *corpus* Samuelis esse potuit, *primo*, quia nullus interpretum præter Burgensem hoc adfirmat. *Secundo*, quia corpus Samuelis quietum in sepulcro jacuit, nec ullis diabolicis incantationibus excitari potuit, cum Deus non minus *ossa*, quam animas piorum custodiat, Psal. XXXIV. 21. *Tertio*, quia spectrum illud adparet *in pallio*, quali Samuel in vita erat usus; num vero existimabimus, pallium illud spatio aliquot annorum non fuisse in terra corruptum? præstigiæ fuerunt diabolicæ tum in pallii tum in personati illius Samuelis repræsentatione. *Quarto* corpus hominis mortui est sensus ac motus prorsus expers, jam vero hoc phantasma progreditur ac loquitur. Si obvertas, *diabolum corpus Samuelis induisse*, ex sancto Dei propheta ἐνεργέμενον ac corporaliter obsessum diaboli mancipium feceris, ac potuit diabolus id ipsum sine corpore Samuelis facere, figuram scilicet ejusdem repræsentando, quod in corpore ac per corpus Samuelis feciſſe fingitur? Denique nec *totus Samuel* anima & corpore constans fuit, quia oportuisset eum a mortuis surrexisse, quod cum sit maximum miraculum solius veri Dei proprium, diabolo ac organis ejus, magis, tribui nequit. De Simone mago, Apollonio Thyanæo & aliis satanæ mancipiis memoratur, quod mortuos excitaverint, sed fuerunt meræ illusiones; aut non præcessit vera mors, sed tantum simulatio, aut non secuta est vera resurrectio. Si Deo hanc Samuelis resuscitationem tribuere velis, divinum miraculum facies testimonium mendaciorum ac instrumentum satanicæ magiæ, cum tamen divina miracula sint testimonia divinæ veritatis. Personatus ille Samuel non a Deo sese missum vel excitatum, sed magicis pythonissæ artibus evocatum adserit v. 15. *Quare inquietasti me, ut suscitarer?* Et quis credat, Deum in gratiam impii regis pythonissam consulentis Samuelem extraordinario miraculo resuscitasse? Præterea, si Samuel ex mortuis excitatus hic Sauli adparuit, quid de eo postea factum, num denuo fuit mortuus & corpus ejus sepulcro illatum? at hac ratione per diaboli operationem factum fuisset? Vbi bis mortem pateretur? Num in limbum vivus descendit? at limbus receptaculum est animarum, non corporum. Num in cœlum ad Deum adscendit? at hac ratione cœlum suscepisset novum incolam diaboli operatione ante universalem resurrectionem suscitatum. Bellarminus unicum illud habet, quod regerat, *adparitionem Samuelis præveniſſe incantationem & ejus effectum*, quod colligit ex *perturbatione mulieris, quæ turbata est, cum vidit Samuelem adparuisse, antequam evocaretur.* Lib. II. de purgat. cap. 6. addit probationis loco somnium rabbinorum, quod *umbræ mortuorum, quæ vi magicæ artis evocantur, capite deorsum verso adscendant. Samuel autem recta figura adscendit, ita ut primo caput, deinde pectus, postremo pedes e terra emergere visi sint. Resp.* imo vero pythonissa audiverat ex Saule, Samuelem artibus magicis esse evocandum, ideo personati illius Samuelis repræsentatio eam non perturbavit, sed potius *conspectus regis*, quem antea in caligine noctis non cognoverat. *Quare imposuisti mihi*, inquit, *tu es enim Saul.* v. 12. Quod si statuatur, *adparitionem Samuelis præveniſſe pythonissæ incantationem*, adferendum fuerit, Deum esse hujus evocationis auctorem, quæ hypothesis urgetur absurdis superius enumeratis. Idem respondemus ad exceptionem Lyrani. *Quemadmodum* (inquit) *cum Bileam excitare vellet diabolum, Deus sese interposuit, ita cum ista maga advocaret malum spiritum, Deus misit Samuelem, & hoc pacto non confirmamus artes magicas, sed evertimus. Resp.* quod Bileamus diabolum excitare voluerit, incertum est, nec potest ex historia probari. Arti magicæ omnino fuisset addita auctoritas, si verus Samuel prodiisset; etsi enim dicatur, Samuelem carminibus non obtemperasse, videri tamen potuit obtemperasse. 3.) Ex *adparentis hujus spectri mendaci sermocinatione.* Personatus

ille

ille Samuel palam mentitur. *Quare inquietasti me?* inquit v. 15. in Hebræo est רִגַּזְתָּנִי, *commovit, trepidare fecit*, quod tam de corpore, quam de anima usurpatur. At nec piorum animæ nec corpora a diabolo post mortem inquietari possunt, mentitur igitur satan sub persona Samuelis, ac *transfigurat se in angelum lucis.* 2. Cor. XI. 14. Postea subjungit v. 19. *Cras tu & filii tui mecum eritis.* At Saul, die postero ex desperatione violentas manus sibi inferens non pervenit ad Samuelem, verum prophetam Domini, qui per mortem in vitam transierat, sed ad Samuelem personatum, hoc est, ad diabolum, qui in speciem Samuelis sese transfiguraverat. Si obvertas, *diabolum vera prolocutum fuisse, quod Saul propter desperationem sit ad ipsum perventurus*; resp. nihilominus mentitur respectu Jonathanis Saulis filii, qui non est mortuus in desperatione, sed ab hostibus Philistæis in bello occisus. Bellarminus regerit, illud *mecum eritis* non significare, *in sinu Abrahæ eritis, sedmecum eritis sub terra, id est, mortui eritis.* Atqui Saul nec ratione corporis nec ratione animæ fuit cum Samuele. Ergo satan sub specie Samuelis mentitur. Præterea si *mecum eritis*, idem est, quod mortui eritis, ergo etiam quando Jacob dicit, *descendam ad filium*, idem erit, quod moriar cum filio, & sic labefactatur vis primi argumenti pro limbo adducti. Si verus Samuel hoc loco Sauli adparuisset, procul dubio ad pœnitentiam eum hortatus fuisset, ac consilium vel certe consolationem illi suggessisset. Sed personatus hic Samuel odium Dei potius ei instillat, sicque desperationi fomenta suppeditat. v. 16. Quidam etiam hoc urgent, quod *personatus ille Samuel passus fuerit se adorari contra Dei legem* v. 14. sed hoc de civili reverentia accipi posset; interim recte dicitur, satanam in eo peccasse, quod sub habitu & nomine Samuelis adorationem illam sive civilem sive religiosam susceperit. Nec verisimile est, Samuelem a rege hunc honorem fuisse susceperum, ut rex ad pedes ejus se projiceret, cum Petrus Act. X. 26. a Cornelio hoc honoris genere adfici noluerit. 4.) Ex *pœnæ consecutione.* Si is, qui Sauli adparet, fuisset verus Samuel divinitus excitatus, utique Saul propter magicam illam evocationem non fuisset divinitus punitus, & in peccatis suis mortuus. Sed hoc posterius diserte adstruit scriptura 1. Paral. XI. 13. *Mortuus est Saul propter iniquitates suas*, vel *in iniquitatibus suis, eo quod prævaricatus erat mandatum Domini, ac insuper pythonissam consuluerat*, v. 14. *nec interrogaverat Dominum, propter quod interfecit eum.* 5.) Ex *Patrum testificatione.* Justinus (vel quicunque alius auctor) in qq. & resp. ad orthod. q. LII. p. 328. *Omnia, quæ a ventriloqua facta, sunt opera dæmonis, qui sic perstrinxit spectantium oculos, ut sibi viderentur Samuelem videre, qui non erat. Verborum quidem veritas a Deo profecta est, qui dæmoni dedit in figura Samuelis adparere ventriloquæ & rem futuram demonstrare.* Tertullianus lib. de anima cap. 57. p. 295. *Ecce hodie Simonis hæreticos tanta præsumtio artis extollit, ut etiam prophetarum animas ab inferis movere se spondeant. Et credo, quia mendacio possunt, nec enim pythonico tunc spiritui minus licuit animam Saulis effingere post Deum mortuos consulente Saule. Absit alioquin, ut animam cujuslibet sancti nedum prophetæ a dæmonio credamus extractam, edocti, quod ipse satanas transfiguretur in angelum lucis, nedum in hominem lucis, etiam Deum se adseveraturus, signaque portentosiora editurus ad evertendos, si fieri posset, electos. Dubitavit si forte tunc prophetam se Dei adseverare & utique Sauli, in quo jam ipse morabatur: ne putes alium fuisse, qui phantasma administrabat, alium qui commendabat, sed eumdem spiritum & in pseudoprophetide & in apostata facile mentiri, quod fecerat credi, per quem Saulis thesaurus illic erat, ubi & cor ipsius, ubi scilicet Deus non erat. Et ideo per quem visurum se credidit, vidit; quia per quem vidit, & credidit* Origenes in hist. de Bileamo scribit, *bonos spiritus non obtemperare carminibus magicis.* Chrysostomus homil. XXIX. in Matth. *Nullo modo credendum*

est, animas mortuorum versari in terris. Dives petiit, ut Lazarus remitteretur, sed non impetravit. (quomodo igitur hæc maga a Samuele illud impetrare potuit?) hom. II. de Lazaro: *Si diabolus nihil potest in vivos, quomodo potest aliquid in spiritus mortuorum?* Augustinus lib. II. ad Simplician. q. 3. *utrumque defendi posse primum* adserit, sed postea argumentis, quæ probant, non fuisse Samuelem, diligenter pensitatis, subjungit, *facilius responderi posse, si dicamus, non fuisse Samuelem, sed tantum phantasma ac spectrum.* Quod scripturæ semper de eo ut vero Samuele loquantur, ad illud respondet, *eam esse consuetudinem scripturarum, ut similitudines adpellent nomine ipsarum rerum, quas repræsentant.* Quod vere prædixerit personatus ille Samuel, quod esset eventurum, ad illud respondet, *nec mirum nec novum id videri debere, diabolos enim dixisse Christum esse Filium Dei, & præclarum testimonium doctrinæ Pauli dedisse, ac Deum hoc loco usum fuisse opera diabolo, ut Saulem perterrefaceret, ut, qui malos spiritus consuluisset, malo responso adfigeretur.* Quod Saul futurus dicitur cum Samuele, impius cum propheta sancto, ad illud respondet, *hanc esse artem diaboli, ut semper falsis aliquid admisceat veri, idque ipsum facere hoc loco, cum revera magna sint discrimina locorum inter animas felices & perditas.* Postea subjungit, *posse illud dictum Samuelis intelligi de communi statu mortis, non autem de paritate felicitatis &c.* In quæstionibus ex vet. test. (de quibus tamen eruditi dubitant, an sint Augustini?) q. 27. *Indignum facinus æstimo, si secundum verba historiæ commendetur adsensus. Quomodo enim fieri poterat, ut arte magica attraheretur vir & nativitate sanctus & vitæ operibus justus? aut si non attractus est, consensit, quod utrumque de viro justo credere absurdum est. Si enim invitus adductus est, nullum suffragium habet justitia. Si autem voluntarius, amisit meritum spirituale, quod positus in carne quæsiverat, quod valde absurdum est, quia hinc, qui justus recedit, permanet justus. Porro autem hoc est præstigium satanæ, quo, ut plurimos fallat, etiam bonos in potestate se habere confingit. Ut enim errorem faceret, in quo & ipse gloriaretur, in habitu viri justi & nomine se subornavit, ut nihil proficere spem, quam prædicabant Dei cultoribus, mentiretur, quando hinc exeuntes justos finxit in sua esse potestate. Sed hoc quosdam fallit, quod de morte Saul & filiorum ejus non sit mentitus. Quasi magnum sit diabolo ante diem occasum corporis prævidere, cum signa quædam soleant adparere morituris, quippe a quibus Dei profectio amota videtur.* Et postea: *Si vere Samuel illi adparuisset, non utique vir justus permisisset se adorari, qui prædicaverat solum Deum esse adorandum. Et quomodo homo Dei, qui cum Abrahamo in refrigerio erat, dicebat ad virum pestilentiæ dignum ardore gehennæ, eras mecum eris? his duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ prodidit improvidus satanas, quia & adorari se permisit sub habitu & nomine Samuelis contra legem, & virum peccatis pressum, cum magna distantia peccatorum & justorum sit, cum Samuele justissimo futurum mentitus est. Verum potest videri, si de Samuelis nomine taceatur, quia Saul cum diabolo futurus erat. Ad eum enim transmigravit, quem adoravit. Semper enim diabolus sub velamine latens, prodit se, dum ea confingit, quæ abhorreant personis, per quas fallere nititur.* Lib. II. de mirab. script. cap. 11. *Qualiter Samuel a pythonissa suscitari dicitur, dum pythonissa dæmoniacis incantationibus & præstigiis uti videtur? Et quomodo Saul, qui in viventibus prophetis Dei responsum non invenit, resuscitatum a morte prophetam audire meruit? Unde non hunc esse Samuelem illum prophetam per factum facilius intelligitur, sed diabolus, qui se transfert in angelum lucis, in phantasia Samuelis consideretur, quod ex sermonibus ejus recte dignoscitur, quoniam funesto Sauli dicebat:* Tu & filii tui mecum eritis. *Etenim si verus hic Samuel ostensus esset, nullo modo iniquum regem consortem sui meriti post mortem diceret.* Procopius & Eucherius in comm. 1. Sam. XXVIII. negant fuisse verum

verum Samuelem. Eadem est sententia Isidori lib. VIII. etymolog. cap. 9. in quam etiam inclinant Basilius in Esa. VIII. tom. III. p. 444. Elias Cretensis orat. I. Nazianz. circa finem; Beda lib. IV. expositi. adleg. in Samuel. VIII. dubius est ac ambiguus. 6.) Ex *adversariorum confessione.* In jure canonico c. *Nec mirum* 26. q. 5. citantur verba Augustini ex quæstionibus vet. test. q. 27. modo adducta. Thom. part. I. quæst. 89. art. 8. resp. ad 2. & 22. quæst. 5. art. 4. non abhorret ab illa sententia, quod non vere spiritus Samuelis a requie sua excitatus sit, sed aliquod phantasma & illusio imaginaria, diaboli machinationibus facta, quam scriptura adpellat Samuelem; solet enim imagines rerum suarum nominibus adpellare. Sarisberiensis in policratico lib. II. cap. 26. multis argumentis probat, non fuisse verum Samuelem. Franciscus Ruizius in regulis intelligendi scripturas regulam XV. quod *scriptura verarum rerum nomina tribuat rerum similitudinibus*, declarat hac historia personati Samuelis. Confer Johannem de turre cremata & alios canonistas in comm. d. cap. *Nec mirum.* Leloyerius lib. IV. de spectris cap. 1. multis argumentis demonstrat, non fuisse verum Samuelem, quem hoc nomine insectatur Martinus Delrio lib. II. magic. disquisit. q. 26. sect. 4. p. 238.

§. CLXXV. Quæ in contrarium adferuntur, ex dictis facilem habent explicationem. 1.) *Scriptura adpellat Samuelem. Resp.* Augustinus lib. II. ad Simplicianum q. 3. & lib. II. de mirab. scripturæ cap. 11. *In multis scripturæ locis imaginatis rebus verarum rerum nomina adscribuntur.* Hanc regulam declarat ibidem quibusdam exemplis: *Virga magorum Ægyptiorum in similitudinem serpentis imaginata, & ille æneus in deserto serpens nominatur. Duo quoque cherubim pro similitudine obumbrare propitiatorium memorantur. Quinque mures vel quinque anuli de terra Philistim in corpsella cum arca Domini referuntur. Duodecim boves sub mari æneo & quatuordecim leones in throno Salomonis eburneo fabricati tuntur. Cherubim quoque & palmæ & mala granata & retia in templi ædificio depicta describuntur, cum hæc omnia non ipsa rerum veritate, sed pro similitudine ista nomina recipiunt, ipsæ tamen scripturæ sine ullo incertitudinis respectu quasi res veras hæc nominatim ponunt. Phantasma igitur Samuelis velut ipse Samuel ostensum pronunciatur, sicut & in visionibus prophetarum & in Apocal. Joh. ostensi viri pronunciantur. Sic satanas in puncto temporis dicitur Christo ostendisse omnia regna totius terrarum orbis*; Luc. IV. 5. quod non de ipsis totius mundi regnis, quæ in puncto temporis ostendere simpliciter diabolo impossibile erat, sed de objecta omnium regnorum imagine accipiendum. Imitatur autem hac in parte scriptura vulgatam loquendi consuetudinem. Sic visa Julii Cæsaris imagine dicimus: *Hic est Julius Cæsar.* In comœdia eum, qui repræsentat personam Samuelis, vocamus *Samuelem.* 2.) *Siracides hoc numerat inter Samuelis laudes. Resp.* liber ille non est canonicus. Posset etiam responderi, Siracidem de imaginario Samuele locutum fuisse tanquam de vero, cum etiam sacræ literæ sic loquantur, ac loqui secundum opinionem Saulis & pythonissæ, qui existimarunt ipsum Samuelem esse suscitatum. 3.) *Saul dicitur intellexisse, quod esset Samuel. Ergo non cogitavit, non putavit, sed revera intellexit.* Respondet Augustinus in qq. vet. test. q. 27. per inversionem: *Istud minime ad veri rapiendum est rationem, sed ad visum & intellectum Saulis justo Dei judicio tanta hebetudine dementis effecti, ut ad pythonissam confugeret. Saul namque reprobus factus non poterat habere bonum intellectum. Historicus mentem Saul & habitum Samuelis descripsit, ea quæ dicta & sunt, exprimens, prætermittens, si vera an falsa sint. Quid enim ait? audiens, in quo habitu esset excitatus, intellexit, inquit, hunc esse Samuelem. Quid intellexerit, retulit, & quia non bene intellexit, contra scripturam alium adoravit, quam Deum, & putans Samuelem adoravit diabolum, ut fructum fallaciæ suæ haberet satanas.* 4.) *Is, qui adparet, vere*

vere prædicit Sauli & filiis ejus mortem. Resp. diabolus hoc ex justi judicii divini, cujus executio ipsi demandata erat, revelatione cognoscere potuit. Notæ ipsi erant vires utriusque exercitus Judæi ac Philistini, nota utriusque partis arcana consilia, noverat Saulem justo Dei judicio pœnæ destinatum, & Davidem ejus loco in regem electum, inde facile colligere poterat prælii exitum. 5.) Lyra hoc urget, quod *injuria fuisset Samueli facta, si diabolus ejus persona se subornasset: Resp.* id vero frivolum est. Major enim injuria fuisset, si diabolus verum Samuelem inquietasset, ac corpus ejus invasisset. Præterea sicut organa & ministri diaboli gerunt se pro organis & propheris Dei, ita ipse satanas *transfigurat se in angelum lucis* 2. Cor. XI. 13. & 14. quid mirum, si etiam in prophetam lucis? Ecquis dixerit honesto viro ignominiam conciliari, si perversus aliquis nebulo se pro ipso gerat? 6.) *Patres ita statuunt. Resp.* pauci quidem, non omnes, & qui sic statuunt, timide ac trepide non adseveranter illud profitentur. Josephus in historica recitatione phrasin scripturæ imitatur, nec inter patres satis commode refertur. Justinus fuisse Samuelem dicit, sed addit aliquid, quod ne ipsi quidem pontificii concedunt, videlicet *animas etiam piorum ante Christi adventum fuisse aliquo modo sub potestate diaboli, ut eas potuerit reducere, cum vellet.* Hieronymus non suam, sed aliorum sententiam recenset. *Plerique*, inquit, *putant Saulem signum accepisse de terra & de profundo inferni, quando Samuelem per incantationes & artes magicas visus est suscitasse.* Augustinus lib. de cura pro mortuis dubitat. *Samuel propheta* (inquit) *defunctus vivo Sauli futura præcixit, quamvis nonnulli non ipsum fuisse, qui potuisset magicis artibus evocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem, illius existiment similitudinem figurasse &c.* Ex Galatino lib. VI. de arc. c. 7. colligitur, opinionem illam patrum ex somniis rabbinorum originem duxisse; ibi enim ex Midras Lev. XX. & rabbino Eleazaro probatur, fuisse verum Samuelem, & additur fabula, quod *mortuus regi adscendens, faciem habeat sursum & pedes deorsum; rustico autem adscendens, faciem habet deorsum ac pedes sursum.*

§. CLXXVI. III) Zach. IX. 11. *Tu eduxisti in sanguine testamenti vinctos de lacu, in quo non est aqua. Hunc locum Hieronymus & Rupertus de descensu Christi ad infernum exponunt. Et convincitur ex eo, animas sanctorum ante Christi mortem non fuisse in cælo, nec enim cælum per lacum significari potest, aut ex cælo Dominus sanctos suos eduxit, aut in cælo ulli sunt vincti.* Idem urgent Ribera in comm. illius loci, catechismus Trident. in exposit. articuli descensus. *Resp.* LXX. interpretes accipiunt ut apostrophen ad ipsum redemtorem, quos sequitur vulgata translatio. Sed in Hebræo est apostrophe ad filiam Sionis, cui v. 9. proxime præcedente dictum: *Exsulta valde filia Sion.* Sic enim ad verbum habent Hebræa: *Etiam tu* (filia Sionis, est enim fœmininum אַתְּ, subintelligendum igitur aliquid ad complementum sententiæ, particeps eris meorum beneficiorum, perfrueris meis bonis, habebis partem in regno meo) *in sanguine*, vel propter sanguinem *fœderis tui*, (iterum in genere fœmininо בְּרִיתֵךְ, ut sit sensus, habebis auxilium & salutem in illo sanguine, per quem fœdus gratiæ tecum inii ac confirmavi) *emisi*, vel emittam (Hebræi enim *præteritum* pro *futuro* ponunt, præsertim in vaticiniis propheticis propter certitudinem) *vinctos tuos de cisterna, in qua non est aqua.* Judæi hoc vaticinium exponunt de *liberatione ex captivitate Babylonica*, quos sequitur Calvinus Judaizans lib. II. Institt. cap. 16. §. 9. ut & Sutlivius lib. I. de purg. c. 14. p. 147. & ex parte Arias Montanus in comm. Zach. IX. sed huic detorsioni Bellarminus recte opponit hæc fundamenta: 1.) *in verbis præcedentibus proponi* vaticinium de Christo: *Exsulta filia Sion, ecce rex tuus venit ad te*, quod evangelistæ de ingressu Christi in Hierosolymam exponunt: Matth. XXI. 5. Joh. XII. 15. 2.) liberationem illam Judæorum

III) *Ex Zach. IX. 11.*

dæorum non constitisse sanguine, nec interveniſſe aliquod liberationis pretium, sed fuisse gratuitam. Adde 3.) captivitatem illam non fuisse destitutam aqua, sive literaliter sive mystice eam explicare velimus. Augustinus lib. XVIII. de civ. Dei c. 35. per hunc lacum intelligit *humanæ miseriæ siccam profunditatem, quodammodo & sterilem, ubi non sunt fluenta justitiæ, sed iniquitatis lutum.* Atqui ex illa humanæ miseriæ siccitate pii in hoc mundo non liberantur, sed eidem usque ad diem mortis immersi manent, ac beneficia Christi non præcipue ad hanc, sed ad futuram vitam pertinent, nec sunt primario bona corporalia, sed spiritualia. Quidam ex pontificiis accipiunt de *limbo patrum*, sed cum in eo non sit pœna sensus, ideo alii malunt explicare de purgatorio. Salmeronius in comm. 1. Cor. XV. disp. XXVI. *Hæc verba* (Zach. IX.) *magis ad purgatorium, quam ad limbum patrum spectare videntur, quia hic erit lacus sine aqua, at patriarchæ aqua refrigerii & consolationis non carebant, unde est, quod Abraham de Lazaro dixit ad epulonem: Hic nunc consolatur, tu vero cruciaris.* Bellarminus ipse lib. I. de purgat. cap. 3. loc. 9. *Et si hunc locum* (Zach. IX.) *adducunt passim pro liberatione patrum ex limbo, tamen melius convenit liberationi animarum ex purgatorio, quas Christus eduxit, cum eo descendit post mortem suam, primo quia isti rectius dicuntur vincti, secundo quia in purgatorio non est aqua consolationis, quæ est in limbo, ut patet Luc. XVI.* Rectius vero per hunc lacum intelligitur infernus, in quo non est *aqua*, sed sulphur & ignis, in quo nostræ miseriæ in profundissimo fuere gradu, quæ interpretatio probatur ex toto contextu & aliorum scripturæ locorum collatione. 1.) Captivi sive *vincti* (in Hebræo enim est אֲסִירִים, quod proprie significat *ligatos, vinculis constrictos*) sunt omnes omnino homines ex Adamo per carnalem generationem propagati. Primi parentes in vera ac plena libertate a Deo fuerunt conditi, sed per peccatum in captivitatem satanæ ac mortis una cum omnibus posteris sese præcipitarunt, unde sic describimur, quod simus *servi peccati*, Joh. VIII. 34. Rom. VI. 20. 2. Pet. II. 19. *constituti sub potestate tenebrarum*, Col. I. 13. *conclusi sub peccatum*, Rom. XI. 32. Gal. III. 22. *fortis ille armatus in atrium suum nos deduxerat*, quod summa vi custodiebat, Luc. XI. 21. adeo ut omnes cogerentur exclamare: *Numquid tolletur a forti præda, & an captivitas justa evadet?* Esa. XLIX. 24. Juxta hypothesin pontificiorum captivi illi non erunt omnes homines, sed duntaxat mortui ante Christi adventum, quippe quos solos ex limbo per Christum liberatos adserunt, sed scriptura spiritualem illam captivitatem ad omnes homines extendit. 2.) *Carcer*, in quo captivi detinebamur, sic describitur, quod fuerit *fovea* sive cisterna, *in qua non est aqua.* Respectus habetur ad historiam Josephi, Gen. XXXVII. 24. ubi fratres eum misisse dicuntur *in cisternam veterem, in qua non erat aqua;* in ea fame & siti ipsi pereundum fuisset, nisi Judas eum extraxisset. Sic nos miseri homines constituti eramus in fovea inferni, in qua non est aqua refrigerii ac consolationis, Luc. XVI. 24. in ea æternum nobis pereundum fuisset, nisi Christus *ex tribu Juda oriundus*, Hebr. VII. 14. *leo de tribu Juda*, Apoc. V. 5. redemtionem nobis præstitisset. Juxta pontificiorum hypothesin fovea illa aquam habuisset, quia patres in limbo constituti consolationem illam habuerunt, quod per Christum ex ea fovea sint brevi liberandi. 3.) *Redemtor* est Christus Jesus promissus Messias, de quo in præcedentibus dixerat propheta: *Ecce rex tuus venit.* Ille est noster גֹּאֵל, Job. XIX. 25. qui *captivam duxit captivitatem*, Psalm. LXVIII. 19. qui *eduxit vinctos in compedibus*, v. 7. qui promisit Esa. XLIX. 25. *Etiam captivitas fortis tolletur, & præda robusti evadet &c.* 4.) *Pretium redemtionis* est Christi sanguis, quem dedit in ἀντίλυτρον, Matth. XX. 28. 1. Tim. II. 6. qui vocatur *sanguis fœderis*, quia per illum nov. test. est sancitum & obsignatum, sicut vetus sanguine juvencorum in sacrificiis mactatorum sanciebatur, Exod. XXIV. 8. Hebr. IX. 20. per hunc sanguinem & in hoc sanguine ex lacu infernali sumus emissi, ut *& meritum ac medium*

dium redemtionis sanguis Christi constituatur. Hoc Christi beneficium non pertinet duntaxat ad nov. sed etiam ad vet. test. quia agnus *occisus est ab origine mundi*, Apoc. XIII. 8. ac pii patres statim a morte merito hujus sanguinis in sinum Abrahæ ac in paradisum sunt translati, non autem in locum damnatorum detrusi. Luc. XVI. 23. Confer Hieronymum in comm. & Augustinum d. l.

IV) *Ex Luc. XVI.*

§. CLXXVII. IV) Luc. XVI. *Cum dives esset in inferno, vidit a longe animam Lazari in sinu Abrahæ, & audivit, inter loca ipsorum magnum hiatum esse; id enim significat χάσμα, ex quo adparet, nihil solidi fuisse interjectum inter locum damnatorum & sinum Abrahæ, sed utrasque animas in eadem voragine fuisse, licet multum inter se distantes.* Eumdem locum pro adstruendo patrum limbo proferunt Suarez in part. III. Thomas quæst. 52. art. 1. disp. 42. §. 2. Rhemenses in adnot. illius loci. Stapletonus in promt. cathol. feria 5. Dom. 2. quadrag. &c. *Resp.* 1.) Dives dicitur Abrahamum & Lazarum in ejus sinu vidisse *ἀπὸ μακρόθεν*, *e longinquo*, quomodo igitur fuerunt in una eademque voragine? Augustinus epist. XCIX. ad Evod. *Chasma hoc magnus quidam hiatus multum ea separans, inter quæ non solum est, verum etiam firmatus est.* 2.) Si Lazarus & Abrahamus in limbo velut in umbra & carcere quodam tenebricoso conclusi fuerunt, quomodo dives eos videre potuit? 3.) Si Lazarus gaudio & *consolatione*, pace & quiete fruitur in Abrahæ sinu, quomodo potuit esse *in limbo*, id est, in fovea, in qua non est aqua refrigerii & consolationis, ut ex dicto prophetico illum describere coguntur. Rectius igitur per sinum Abrahæ cœlum, quam limbus inferni sinus intelligitur, ut ostendimus superius. Maldonatus in comm. h. l. *Per sinum Abrahæ valde ego suspicor summum cælum intelligi.* Augustinus d. l. colligit, *sinum Abrahæ non fuisse aliquam inferni partem, quia in nullis scripturarum locis reperire potuerit, ipsos inferos in bono adpellari.* 4.) Tale ac tantum chasma inter cœlum ac infernum dicitur esse firmatum, ut prorsus *ἀδύνατον* sit aliquem ex cœlo in infernum, vel ex inferno in cœlum transire, quomodo igitur ex limbo inferni sinu ac *προαυλίῳ*, *gehennæ labro supremo*, ut Rhemenses in adn. h. l. vocant, patriarchis ad cœlum patuit aditus? 5.) Chasma illud intermedium dicitur *firmatum*, in Græco est *ἐστήριπται*, quomodo igitur *nihil solidi* inter locum damnatorum & sinum Abrahæ interjectum esse dici potest, si literæ insistere velimus? 6.) Græcum *χάσμα* Latinus interpres vertit per *chaos*, quod est *rudis indigestaque moles*, quomodo igitur nihil in eo solidi, si auctoritate Latini interpretis pontificii stare velint, ut per concilii Tridentini sanctionem coguntur? 7.) Jansenius, pontificius scriptor, in harm. in voce *chasmatos* metaphoram agnoscit: *Quemadmodum*, inquit, *in terræ motu relicta & interjecta vorago & hiatus impervium reddit transitum ab una parte ad alteram: ita firmissimo Dei decreto tanquam chasmate discluſus ac separatus est status beatorum a statu damnatorum, ut ab hoc ad illum & vice versa nullus pateat transitus.* Sequitur hac in parte Jansenius Euthymium, qui in comm. h. l. hiatum magnum dicit *firmissimum Dei præceptum tanquam ad modum hiatus prohibens horum & illorum commixtionem.* Per chasma ergo jam haud incommode significatur extrema illa distantia, qua altitudo cœli a profunditate inferni separatur, quam nullus pertransire possit. 8.) Scopus hujus *historiæ* (Tertullianus lib. IV. adv. Marc. p. 274. Hilarius in enarr. Psal. II. circa finem; Ambrosius in Luc. tom. V. p. 128. Lyranus in comm.) sive *parabolæ* (Athanasius de variis quæst. q. 21. Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus in comm. quos sequitur Maldonatus) is est, quod in ea proponatur diversus piorum & impiorum post hanc vitam status, extra illum scopum non est progrediendum, nec otiose quærendum, quomodo linguæ ac digiti tribuantur animabus a corpore separatis, quomodo animæ beatorum & damnatorum invicem possint colloqui, quomodo dives dicatur sepultus, & lingua ejus in inferno cruciata. Confer Irenæum lib. IV. adv. hæres. cap. 4. p. 234.

p. 234. Justinum in qq. & resp. ad orthod. q. 60. p. 332.

V) Ex 1. Pet. III. §. CLXXVIII. V) 1. Pet. III. *Christus iis, qui in carcere erant, spiritibus prædicavit, qui incredduli fuerunt aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noæ, cum fabricaretur arca. Hic dicuntur animæ in carcere fuisse; non ergo erant in cælo, nam ridiculum est dicere, animas in cælo tanquam in carcere inclusas fuisse, cum cælum sit Dei sedes. Resp.* de interpretatione hujus loci apostolici (quem Lutherus tom. II. Jen. fol. 341. tantæ obscuritatis esse adserit, quanta vix in ullo alio test. nov. dicto occurrat) variant tum veterum tum recentiorum sententiæ. 1.) Augustinus epist. XCIX. ad Evod. & eum secutus Beda, ut & Thomas part. III. q. 52. art. 2. per *spiritus in carcere constitutos* intelligunt homines, qui erant temporibus Noæ, quorum animæ erant in corpore mortali tanquam in carcere, quia corpus est carcer animæ, illis Christus prædicavit non secundum humanitatem, quam nondum adsumserat, sed secundum deitatem per internam inspirationem aut per linguam Noæ illis, qui incredduli fuerunt. Hanc Augustini explicationem multis argumentis impugnat Bellarminus lib. IV. de Christo c. 13. quorum tamen non est æquale robur ac pondus; illud primarium est, quod nomen φυλακῆς de *corpore humano* in scripturis nuspiam usurpetur, unde ipse Augustinus tantum προβληματικῶς hanc expositionem proponit. 2.) Augustini interpretationi quodammodo adfinis est ea, qua prædicatio Christi itidem intelligitur de ea, quæ temporibus Noæ facta est, sed per carcerem non accipitur corpus, in quo animæ incredulorum in hac vita habitarunt, sed *infernus*, in quem post hanc vitam, & facta a corpore separatione, detrusæ fuerunt, hoc sensu: *Christus mortificatus est carne, vivificatus autem spiritu*, (mortuus secundum humanitatem, vivificatus autem ac resuscitatus est virtute divinitatis Rom. I. 4. *Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* 2. Cor. XIII. 4.) *in quo* (scilicet spiritu) *spiritibus in carcere* (græcus textus habet ἐν φυλακῇ, *in custodia*, nec addit, quod fuerint illi spiritus in carcere, sicut vulgata Latina versio hoc addit, sed simpliciter dicit τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι) *abiens* (græce: πορευθεὶς, *profectus*) *prædicavit*, (per Noahum scilicet & alios prophetas ac præcones verbi, qui per *Christi spiritum* locuti sunt, 1. Pet. I. 11. & quidem prædicavit illis,) *qui incredduli fuerant aliquando*, τοῖς ἀπειθήσασι ποτὲ, qui *erant aliquando impersuasibiles*, (qui non patiebantur sibi persuaderi) *cum semel exspectabatur Dei longanimitas in diebus Noæ, cum adpararetur arca, in qua paucæ, hoc est, octo animæ servatæ sunt per aquam.* Hæc interpretatio confirmatur ex eo, quod Petrus in epist. I. 11. dicit, spiritum Christi fuisse in prophetis, ac proinde etiam in Noaho, justitiæ præcone; quodque Deus apud Mosen dicit Gen. VI. 3. *Spiritus meus non contendet amplius cum illis hominibus, quia caro sunt*, ex quo colligunt, quod Christus spiritu suo olim in Noah loquente prædicaverit hominibus immorigeris, tunc quidem vivis, nunc autem mortuis & damnatis. Contra hanc interpretationem urgetur: Primo consideratio *subjecti*. Loquitur enim Petrus de Christo, non de λόγῳ ἀσάρκῳ. Responderi posset, propter identitatem personæ Christo recte tribui, quæ λόγῳ ἀσάρκῳ competunt. Sic Joh. VIII. 58. inquit Christus: *Antequam Abraham erat, ego sum.* Secundo consideratio *temporis*. Facta est hæc prædicatio & profectio post mortem atque vivificationem. Responderi posset, distinguendum esse inter diversa prædicata, vivificationem quidem factam esse post mortem, sed prædicationem temporibus Noæ esse factam, nec seriem temporis, sed identitatem subjecti apostolum hoc loco respicere. Tertio *proprietas verbi* πορεύεσθαι, quæ λόγῳ ἀσάρκῳ non convenit, ac v. 22. de propria profectione accipitur. Responderi posset, πόρευσιν Deo incorporeo sæpius tribui, ut peculiarem aliquam manifestationem per verba vel facta denotet, Gen. XI. 5. XVIII. 21. Deut. XX. 4. Esa. XLV. 2.

Of. V. 15. &c. nec in scripturis insolitum esse, ut una eademque vox in eodem capite primum proprie, mox vero metaphorice accipiatur. Joh. IV. 13. 14. Conf. Origenem lib. III. in epist. Rom. Adde, quod πόρευσις proprie accepta pro φορᾷ quadam locali ac physica non competat animæ, cum tamen de Christi anima complures hunc locum accipiant. Quarto *oppositio carnis & spiritus*, quæ nomen spiritus de verbi ministerio accipi non patitur. Responderi posset, per carnem Christi humanitatem, per spiritum ejusdem divinitatem intelligi, sicque optime sibi constare oppositionem, carne enim mortificatus est, spiritu autem vivificatus. Quinto *regula theologica*, quod prædicatio per prophetas non secundæ, sed tertiæ personæ Trinitatis tribui consueverit. Responderi posset, Christo non minus quam Spiritui sancto illam tribui, quia propterea vocatur λόγος, & notanter dicit Petrus, spiritum Christi fuisse in prophetis. Sexto, quod, homines tempore Noæ existentes vocare *spiritus in carcere*, sit a *textu & litera* præter necessitatem nimis longe recedere. Responderi posset, immorigeros illos tempore Noæ fuisse homines vivos, sed tempore eo, quo Petrus scribebat, fuisse spiritus sive animas separatas in carcere inferni constitutas, 2. Pet. II. 4. Adde, quod personas viventes animatas apostolus paulo post vocat animas v. 20. Septimo, quod non possit dari *commoda ratio*, cur prædicationis factæ tempore Noahi Petrus mentionem faciat, prætermissa ea, quæ anterioribus & posterioribus temporibus facta. Responderi posset, eadem difficultate urgeri interpretationem eorum, qui de Christi ad inferos descensu hunc locum accipiunt, rationem connexionis dari posse eam, quod apostolus ad conscientiam & conversationem bonam hortetur, proposito exemplo eorum, qui in diluvio salutis naufragium fecerunt ob contemtam conversationem & conscientiam bonam. Vel, quod apostolo propositum sit demonstrare, Christum omnibus temporibus fuisse prophetam & doctorem ecclesiæ suæ, ac nihilo tamen minus maximam hominum partem verbis ejus fidem denegasse, ut ostendit exemplum eorum, qui vixerunt temporibus Noæ, mirum igitur non esse, multos adhuc esse, qui evangelium ejus repudient, & confessores ejus persequantur. Vel, quod apostolus ad patientiam & longanimitatem non solum exemplo Christi & Noahi, sed etiam ipsius Dei nos exhortari voluerit. 3.) Quidam hanc profectionem interpretantur de abitu Christi *in paradisum*, & τὰ πνεύματα de animantibus beatis, vocem autem φυλακῆς de *custodia cœlesti* accipiunt, hoc sensu: Christus mortuus ex infirmitate, resuscitatus autem per potentiam divinam, profectus in locum beatorum sese manifestavit, victoriamque suam prædicavit beatis animabus, quæ erant in custodia cœlesti, quæque olim quidem temporibus Noæ comminationibus de universali diluvio fidem non habentes pœna diluvii divinitus correpti secundum corpus perierunt, pœnitentia tamen acta secundum animam sive spiritum ad beatas sedes transmigrarunt. Huic interpretationi merito obvertitur: *primo*, quod perquam durum & scripturis prorsus insolitum sit, φυλακῆς nomen de *cælo ac paradiso* usurpare, cum semper in malam partem accipiatur: Matth. XXV. 36. 39. 43. 44. Act. V. 19. VIII. 3. XII. 4. XVI. 23. Apoc. XX. 7. *Secundo*, quod spiritus illi, quibus prædicatio facta est, dicantur ἀπειθήσαντες, *increduli & immorigeri*, de quibus certo adfirmari nequit, quod postea veram ac seriam pœnitentiam egerint & salvati sint. *Tertio*, quod de Christi in cœlum πορεύσει v. 22. demum agat apostolus. 4.) Ad hanc explicationem proxime accedit sententia Osiandri, qui in comm. hujus loci verba apostoli sic explicat: Christus mortuus in cruce, quoad corpus, vivus autem, quoad animam, accessit ad animas eorum, qui in diluvio suffocati sunt, qui tunc, cum Noah arcam pararet, persuaderi sibi non patiebantur, Deum adeo irasci mundo, ut eum diluvio universali perdere vellet, itaque non agebant serio pœnitentiam, donec aquæ diluvii ingruerent, & sibi moriendum esse viderent. Quare Deus eos non quidem damnavit,

vit, quia non sine pœnitentia decesserant, sed tamen, quia pias admonitiones Noahi longo tempore spreverant, ideo placuit Domino, ut eorum animas post mortem non statim in conspectum suum admitteret, sed alicubi tanquam in custodia, non tamen in cruciatu detineret, donec Christus post præstitum redemtionis pretium illis gratiam Dei adnunciaret, & in cœlum secum transferret. Pro stabilienda hac sententia urgetur discrimen inter ἀπειθεῖς καὶ ἀπίστους, inter imperſuasibiles & incredulos. Omnes ἄπιστοι sunt etiam ἀπειθεῖς, sed non contra; fieri enim potest, ut fideles & electi non credant peculiaribus quibusdam Dei comminationibus, quæ hujus vel illius loci interitum ac devastationem portendunt, qui tamen propterea non statim dicuntur ἄπιστοι. Huic interpretationi opponi potest, quod scriptura non agnoscat tertium aliquem locum inter cœlum & infernum, quodque textus diserte non addat, illos, quibus prædicatum est, veram pœnitentiam postea egisse. Discrimen inter ἀπειθεῖς & ἀπίστους scriptura non videtur observare, sed per ἀπειθοῦντας incredulos & impœnitentes perpetuo intelligere: Joh. III. 36. Act. XIV. 2. Rom. XI. 30. 31. Hebr. III. 18. 5.) Socinus in explicat. quorumdam scripturæ locorum edit. Racov. anno 1618. p. 113. talem profert explicationem: *Christus licet propter infirmitatem carnis necatus fuerit & mortem gustaverit, divina tamen vi atque potentia ad immortalem vitam postmodum est restitutus, per eamdem vero divinam vim atque potentiam, cum hinc ad Patrem profectus esset, dimissis per universum orbem discipulis & ministris suis, qui tantam ejus adversum mortem victoriam prædicarent, & palam testarentur, eorum etiam hominum mentibus & animis clare concionatus est, & veritatem patefecit, qui malitiæ & ignorantiæ vi quasi quodam carcere tanquam iræ Dei captivi detinebantur, & contumaces fuerant aliquando. Quod non secus accidit, atque cum ætate Noæ Dei lenitas atque clementia hominum contumacium respiscentiam exspectaret, quos arca, quæ ab ipso Noacho ex divino præscripto construebatur, ipsorum officii & divini, quod imminebat, supplicii satis admonebat &c.* quæ explicatio paucis duntaxat immutatis cum prioribus coincidit. Vrgetur autem illa difficultate, quod incredulos illos, quibus Christus prædicavit, ab illis, qui erant tempore Noæ, distinguit, quos tamen Petrus eosdem statuit. 6.) Plerique patres hunc locum Petrinum de *Christi ad inferos descensu* exponunt, quos multi ex recentioribus sequuntur, ut sit sensus: Christus *mortificatus est carne*, quia animæ & corporis unio in morte fuit vere soluta, sed *vivificatus spiritu*, quia per divinam ejus virtutem & potentiam anima corpori vicissim unita est, ac vita eidem restituta, 2. Cor. XIII. 4. *in qua* divina virtute tanquam gloriosus triumphator πορευθεὶς *descendit* ad spiritus damnatos *in carcere* inferni constitutos, *qui increduli aliquando fuerant*, & propter incredulitatem suam in hunc locum venerant, iisque *prædicavit*, hoc est, incredulitatem ipsorum redarguit, ac divinam suam potentiam, majestatem & victoriam manifestavit, sicut postea v. 22. dicitur πορευθεὶς εἰς οὐρανόν, in quo itidem suam gloriam & majestatem spiritibus justorum ostendit, illis quidem in confusionem, his vero in glorificationem & exsultationem. Huic interpretationi obvertitur: Primo, quod *nomen φυλακῆς non accipiatur de inferno.* Responderi potest, eo sensu usurpari Apoc. XX. 7. *solvetur satanas ἐκ τῆς φυλακῆς, de carcere suo, & exibit*; qualis vero fuerit ille carcer, exponitur v. 3. *misit eum in abyssum.* Potest etiam certo respectu huc adcommodari locus Matth. V. 25. ubi carcer ut typus inferni proponitur. Confer Matth. XVIII. 30. Luc. XII. 58. Secundo, quod *prædicatio non satis commode in inferno facta dici possit.* Responderi potest, intelligi prædicationem non tam *verbalem*, quam *realem*, qua Christus non ad conversionem & liberationem animabus impiorum prædicavit, sicut in ministerio suo in his terris fecerat, sed ad ipsorum confutationem & confusionem, ut magno suo malo hunc redemtorem se sprevisse intelligerent. Vt enim in judicio extremo impii in suis corporibus ipsum judicem

conſpecturi ſunt, & pœnas a facie Domini ſenſuri, 2. Theſſ. I. 9. Apoc. I. 7. ita quoque animæ eorum extra corpora conſtitutæ ipſum ut glorioſum triumphatorem in inferno conſpexerunt, & hac viſione cruciatus in eis auctus. Ambroſius in Eph. IV. *Triumphato diabolo Dominus deſcendit in cor terræ, ut oſtenſio ejus prædicatio eſſet mortuorum.* Sic ergo Chriſtus damnatis in inferno gloriam triumphi ſui oſtendit in ſua ad eum deſcenſione; hominibus in terra viventibus eamdem demonſtravit in glorioſa reſurrectione, beatis in cœlo ſpiritibus in glorioſa ad cœlum adſcenſione. Tertio, quod *non ſolum in ſpiritu ſive anima, ſed in tota atque integra humanitate poſt ζωοποιηθεὶς ac animæ & corporis unionem Chriſtus ad inferos deſcenderit.* Reſponderi poteſt, intelligi ſpiritum ſive animam corpori unitam, quia immediate præmittitur, quod Chriſtus ζωοποιηθεὶς in infernum fuerit profectus. Quarto, quod *Chriſtus hoc deſcenſu non poſt, ſed ante reſurrectionem, corpore adhuc in ſepulcro exiſtente, perfunctus fuerit.* Reſponderi poteſt, diſtinguendum eſſe inter ζωοποίησιν καὶ ἀνάστασιν, Rom. XIV. 9. illa deſcenſum Chriſti ad inferos præceſſit, hæc vero eſt ſecuta. 7.) Calvinus lib. II. inſtit. cap. 16. §. 9. & in pſychopann. ſic explicat, *Chriſtum prædicaſſe ſpiritibus defunctorum & bonis & malis, non quod ad eos venerit per animæ præſentiam, ſed quod effecerit, ut ſentirent effectum ſuæ paſſionis & mortis, & boni quidem gaudium reciperent, mali vero mœrorem.* Vocem φυλακὴς vertit per *ſpeculam*, in qua animæ piorum dicuntur fuiſſe, quia erant in continua exſpectatione paſſionis Chriſti. Huic interpretationi obverti poteſt: *Primo*, quod tollat realem Chriſti ad inferos deſcenſum. *Secundo*, quod ſpiritus coacta quadam gloſſa de efficacia & virtute explicetur, cum a carne diſtinguatur. *Tertio*, quod Petrus emphatice dicit, Chriſtus πορευθεὶς prædicavit, atque ad efficaciam exercendam nulla opus erat πορευσει. *Quarto* φυλακὴ non ſignificet ſimplicem exſpectationem, ſed talem, quæ ad cuſtodiam refertur. *Quinto*, quod Petrus non diſtinguat inter ſpiritus bonos & malos, ſed abſolute vocet ἀπειθεῖς. 8.) Pontificii locum apoſtolicum accipiunt de limbo, ex quo patres per Chriſti ad inferos deſcenſum fuerint liberati & in paradiſum ab ipſo tranſducti. Huic opinioni opponimus hæc fundamenta: *Primo*, limbus patrum eſt figmentum ἄγραφον, imo ἀντίγραφον, ut ſuperius oſtendimus. *Secundo* in limbo juxta hypotheſin pontificiam fuerunt tantum pii & fideles, ſed Petrus hoc loco dicit, Chriſtum prædicaſſe τοῖς ἀπειθήσασι ποτὲ. *Tertio*, quando *caro & ſpiritus* in perſona Chriſti opponuntur, ſpiritus divinitatem, caro humanitatem ſignificat. *Quarto*, de anima Chriſti non poteſt commode dici, quod fuerit ζωοποιηθεῖσα, id quod urget Auguſtinus epiſt. XCIX. ad Evod. Bellarminus quidem reſpondet, *vivificari in ſcripturis ſæpe ſignificare idem, quod non occidi.* Atqui oppoſitum *mortificari* oſtendit, de vera & reali vivificatione, hoc eſt, vitæ amiſſæ reſtitutione textum eſſe accipiendum; adde, quod in hac ſignificatione ea duntaxat dicantur vivificari, id eſt, in vita conſervari, quæ mori poſſunt, & quibus a morte impendet periculum, id quod de anima dici nequit. *Quinto* apoſtolus non meminit ullius liberationis vel tranſlocationis in vitam æternam, ſed tantum prædicationis. *Sexto*, Auguſtinus d. l. urget, quod *apoſtolus non faciat mentionem ſanctorum patrum, ſed eorum, qui temporibus Noæ fuerunt aliquando increduli.* Bellarminus quidem reſpondet, *ideo fuiſſe nominatim illos expreſſos, qui fuerunt in diebus Noæ increduli, quia de illis majus erat dubium, an eſſent ſalvi nec ne? cum fuerint a Deo puniti & aquis diluvii ſubmerſi.* Atqui, ſi quidam ex illis veram & ſeriam etiam in fine vitæ egerunt pœnitentiam, credentibus adnumerandi ſunt, & in cœlo, non autem in inferno collocandi. *Septimo*, in græco textu non habetur, quod ſpiritus illi, quibus Chriſtus prædicavit, fuerint in carcere, quaſi jam ex eo ſint liberati, ſed ſimpliciter dicitur τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι, iis, qui in carcere; ubi rectius ſubintelexeris præſens, quam præteritum. *Octavo*, Andra-

Andradius libr. II. p. 121. negat, limbum patrum ex hoc loco elici posse.

VI) *Ex aliis scripturæ dictis.*

§. CLXXIX. Atque hæc sunt, quæ pro limbo patrum ex scripturis adducit Bellarminus, quibus VI) alii ex pontificiis hæc addunt: Galatinus lib. VI. de arcan. cap. 7. adfert I) dictum Gen. XV. 15. ubi ad Abrahamum dicitur: *Ibis ad patres tuos cum pace, sepelieris in senectute bona*; ubi ait rabbinus Nachmon: *ibis ad patres tuos, qui idololatræ fuerunt* Jos. XXIV. 2. *Si igitur Abrahæ dictum fuit, ibis ad patres tuos, patres autem ipsius cum idololatræ fuerint, quod in inferno essent, dubium non est*; *Abraham ipsum ad infernum descensurum fuisse, certum est. Veruntamen cum Abraham fidelissimus esset Dei cultor ac justus, nec igne inferni, nec a dæmonibus infestandus erat, ideo dictus est ad patres suos in pace iturus. Resp.* 1.) Hac ratione inferri posset, in ipsum locum damnatorum, in quem idololatræ descenderant, patrem omnium credentium fuisse detrusum, quod ἀσεβές. 2.) Respectus habetur non ad propinquiores, sed ad remotiores majores, qui veræ ecclesiæ membra fuerunt. 3.) Thare pater Abrahami ad verum Deum Israëlis ex ethnica idololatria conversus videtur; id enim colligi potest ex Genes. XI. 31. *Tulit Thare Abraham filium suum, & Loth filium Aran, filium filii sui, & Aran nurum suam uxorem Abraham filii sui, & eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Canaan.* 4.) Ostendimus superius, Abrahamum post mortem non descendisse in limbum, sed subvectum fuisse in cœlum. 5.) Quod ipsum etiam ex hac phrasi colligitur, quando Abraham dicitur *iturus ad patres cum pace*, id est, perfruiturus cum ipsis omni felicitate; eam enim vox Hebræa שָׁלוֹם denotat. II) Ibidem urget nomen *inferni inferioris*, Deut. XXXII. 22. Si enim datur infernus inferior, utique etiam superior, videlicet limbus. Sed ostendemus suo loco, non ratione loci, sed ratione conditionis ac status infimas terræ partes infero adsignari; hic breviter monemus, *adjectivum* illud תַּחְתִּיִּים non esse διαιρετικὸν, infernum inferiorem a superiore distinguens, sed ἐπιτατικὸν, statum & conditionem inferni describens. III) Johannes per discipulos suos ex Christo quærit Matth. XI. 3. *Tune es, qui venturus es, an alium exspectemus? hoc est, tune in limbum descensurus, & patres ex eo liberaturus?* Cotterus in conc. dom. III. Adv. pag. 40. & 69. *Resp.* ex responso Christi & ex ipsis quæstionis verbis verus ejusdem sensus intelligitur; non enim de quodam in limbum descensu, vel Johannes quærit, vel Christus respondet, sed an sit ὁ ἐρχόμενος, hoc est, promissus Messias, qui hac denominatione solet describi, Joh. III. 31. XI. 27. 2. Joh. v. 7. de quo Johannes ipse non dubitabat, sed discipulos suos adhuc subdubitantes plenioris informationis causa ad Christum ablegabat, unde etiam Christus ad miracula Messiæ τεκμήρια eos deducit. Quam esse genuinam hujus quæstionis sententiam agnoscunt non solum quidam ex patribus, Hilarius, Chrysostomus, auctor imperfecti operis, Cyrillus, Augustinus &c. sed etiam aliqui ex ipsis pontificiis, Eccius, Wicelius, Maldonatus, Stapletonus &c. IV) Joh. VIII. 56. *Abraham vidit diem Christi, & gavisus est*, id quidam ex pontificiis sic exponunt, *cognovit nativitatem Christi in limbo patrum renunciante præcursore ejus Joanne baptista vel Simeone justo.* Eccius in postill. dom. Judica. *Resp.* per diem Christi adventus ejus in carnem ad officium redemtionis præstandum, non autem descensus ejus in limbum ad patres liberandos intelligitur, ut ipsimet saniores pontificii agnoscunt. V) 1. Pet. IV. 6. *Etiam mortuis evangelizatum est, ut judicentur quidem secundum homines carne, vivant autem secundum Deum spiritu. Resp.* variæ proferuntur hujus loci interpretationes. Clemens Alexandrinus lib. VI. stromat. dicit, *Christum & apostolos descendisse ad inferos, ut evangelium prædicarent mentibus damnatis, & spem salutis adferrent credentibus.* Sed hæc opinio refellitur ex regula theologica, quod ex inferno nulla sit redem-

redemtio, ac originem trahit ex hæresi Marcionitarum, de quibus Irenæus lib. I. adverſ. hæreſ. cap. 29. p. 83. *Marcion docuit, Cainum & eos, qui ſimiles ſunt ei, & Sodomitas & Ægyptios & ſimiles eis, & omnes omnino gentes, quæ in omni permixtione malignitatis ambulaverunt, ſalvatas eſſe a Domino, cum deſcendiſſent ad inferos, & adcurriſſent ei, & in ſuum adſumſiſſe regnum.* Plerique accipiunt tanquam repetitionem eorum, quæ de Chriſti ad inferos deſcenſu apoſtolus præcedente capite 3. dixerat. Oecumenius in hunc locum: *Quemadmodum in mundum adveniens iis, qui parati erant, ut ipſum cognoſcerent, ad juſtificationem venit, ignorare cupientibus, ad condemnationem, ita & iis, qui apud inferos erant. Nam his, qui ſecundum carnem humano more vixerant, ad judicium advenit, illis vero, qui ſecundum ſpiritum vixerunt, hoc eſt, juxta ſpiritualem ac honeſtam vitam, ad gloriam & ad ſalutem.* Atqui apoſtolus non exprimit, a Chriſto in propria perſona immediate prædicationem illam factam, nec dicit, apud inferos vel in limbo eam eſſe factam. Reclius ergo non de prædicatione evangelii facta viventibus, ſed ſpiritualiter in peccato mortuis locus apoſtolicus accipitur hoc ſenſu: Gentes religionem chriſtinam proterve blasphemantes reddent rationem Chriſto judici vivos & mortuos judicaturo, propterea etiam impiis gentibus, quæ erant ſpiritualiter mortuæ, neque quidquam de Chriſto noverant, evangelium Deus adnunciari voluit, ut ſalventur & vivant Deo ſpiritualiter, etiamſi more humano a Domino in hac vita caſſigentur in carne, propter antegreſſa enormia peccata. 1. Cor. V. 5. Poteſt etiam per τὸ *judicari ſecundum homines carne* intelligi damnatio & abolitio veteris ſive carnalis hominis, hoc eſt, converſationis ſecundum homines in carnalibus concupiſcentiis, ac per τὸ *vivere ſecundum Deum ſpiritu* vita ſpiritualis ſecundum novum hominem divinæ voluntati conformis. Auguſtinus epiſt. XCIX. ad Evodium: *Fieri poteſt, ut mortuos dixerit infideles, hoc eſt, in anima mortuos, de qualibus dicitur:* Dimitte mortuos, ut ſepeliant mortuos ſuos. *Vivos autem, qui credunt in eum, non fruſtra audientes:* Surge, qui dormis, & exſurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus; *de qualibus etiam ipſe Dominus dicit:* Veniet hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent. *Proinde etiam hoc, quod ſequitur:* Propter hoc & mortuis evangelizatum eſt &c. *non cogit apud inferos intelligi. Propterea enim in hac vita & mortuis evangelizatum eſt, id eſt, infidelibus & iniquis, ut cum crediderint, judicentur quidem ſecundum homines in carne, hoc eſt, in diverſis tribulationibus & in ipſa morte carnis, unde idem apoſtolus alio in loco dicit, tempus eſſe, ut incipiat judicium a domo Domini; vivant autem ſecundum Deum ſpiritu, quia & in ipſo fuerint mortificati, cum morte infidelitatis & impietatis detinerentur.* Salmeronius tom. XVI. diſp. VII. p. 93. contra hanc interpretationem urget, quod *vivi a mortuis in verbis apoſtoli diſtinguuntur;* ſed talis *antanaclaſis* ac diverſa ejusdem vocabuli ſignificatio in ſcripturis non eſt infrequens. Confer Joh. V. 25. & 28. VI) Hebr. VI. 20. *Vſque ad interiora velaminis, ubi præcurſor pro nobis introiit Jeſus. Hic Chriſtus dicitur intraſſe cœlum tanquam præcurſor reliquorum. At non fuiſſet præcurſor reliquorum, ſi juſti vet. teſt. ante illum intraſſent.* Becanus in adpendice diſp. de purgat. Calviniſt. cap. 1. p. 43. *Reſp.* ſicut Chriſtus reſpectu ſuæ reſurrectionis recte dicitur *primitiæ dormientium ac reſurgentium,* 1. Cor. XV. 20. ac *perruptor,* Mich. II. 13. quamvis alii in vet. teſt. ante ipſum ex mortuis reſurrexerint, quia ipſe propria virtute reſurrexit, & reſurrectionis auctor cæteris exſtitit; ita quoque reſpectu ſuæ in cœlum adſcenſionis recte dicitur πρόδρομος ac *præcurſor,* quamvis ſancti vet. teſt. in cœlum ſint recepti, quia ipſe propria virtute in cœlum adſcendit, & adſcenſionis auctor cæteris exſtitit. Joh. III. 13. *Nemo adſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo.* XIV. 2. *In domo Patris mei manſiones multæ, ſi quo minus, dixiſſem vobis, vado parare*

parare vobis locum. Apostolus ipse satis perspicue exponit, quo sensu ac respectu Christus dicatur noster prodromus, quia scilicet pro *nobis* & propter *nos cælum ingressus est*, ut illud non solum propter se, sed etiam propter nos, membra corporis sui mystici, occuparet. VII) Hebr. IX. 8. *Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse viam sanctorum adhuc priore tabernaculo habente statum. Via ergo cælorum nondum fuit manifestata tempore vet. test. At sane fuisset manifestata, si tot prophetæ & patriarchæ fuissent ingressi.* Becanus dicto loco. *Resp.* sensus est, quod sacrificia vet. test. per se & ex se non aperuerint viam in cœlum, ideo quotannis ingressus sacerdotis in sanctum sanctorum repetebatur, & post ejus egressum illud sanctuarium interius iterum occludebatur; Christus autem in sua passione verum & unicum propitiatorium sacrificium in ara crucis Deo Patri obtulit, per quod via in cœlum ac liber aditus ad *thronum gratiæ* patefactus est, in cujus significationem velum templi in ipsius passione fuit scissum. Sed ex eo colligi nequit, sanctos vet. test. a cœlo penitus extorres fuisse, quia *passio Christi profuit, antequam fuit*, ac agnus *Dei occisus est ab origine mundi*, Apoc. XIII. 8. unde *credimus per gratiam Domini nostri Jesu Christi salvari, quemadmodum & patres vet. test.* Act. XV. 11. VIII) Hebr. X. 19. *Habentes itaque fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam per velamen, id est, carnem suam. Ergo Christus suo sanguine paravit nobis viam ad cælum, quod antea clausum erat; ad quod adludens Hieronymus in epist. ad Dard. ait: Sanguis Christi clavis paradisi.* Becanus dicto loco. *Resp.* concedimus totum argumentum, sed ex eo non sequitur, sanctos vet. test. fuisse e cœlo penitus exclusos, quia *beneficia Christi* patientis, sanguinem effundentis ac morientis, *valent antrorsum ac retrorsum.* Puerilis error est, vim & efficaciam meriti Christi ad illud momentum temporis restringere, quo Christus in ara crucis sanguinem suum effudit. Apostolus viam illam vocat πρόσφατον *recentem* (ad verbum *recens mactatam*, quia per viam intelligit *corpus Christi* in cruce mactatum) tum *comparate* respectu habito ad sacrificia vet. test. quæ jam sunt antiquata Hebr. VIII. 13. tum *absolute*, quia nunquam veterascit, sed omnibus temporibus vim & ἐνέργειαν suam perpetuo durantem exserit. IX) Hebr. XI. 39. *Hi sancti vet. test. non sunt consecuti promissiones, ut non sine nobis consummarentur, id est, patres vet. test. ante Christi adventum ad cælum adspirare non poterant, erant enim in limbo, priusquam Christus per adscensionem aditum eis aperuisset.* Rhemenses in adnot. illius loci. Idem urget Becanus dicto loco cap. 2. & Maldonatus in comm. Joh. XIV. 2. *Resp.* 1.) Diserte in eodem capite dicitur, quod *fide exspectaverint civitatem fundamenta habentem, cujus artifex & conditor Deus*, v. 10. quod *patriam cælestem expetierint*, v. 16. 2.) Per ἐπαγγελίας igitur, quas non sunt consecuti, intelliguntur promissiones, tum de *possessione terræ Canaan*, quam patriarchæ nondum occupaverant, tum de *adventu Messiæ* in nov. test. mittendi. Blasius de Viega in Apoc. p. 28. *ne sine nobis consummarentur &c. Referendum hoc ad mysteria gratiæ & incarnationem Christi, quia perfecta consummatio in lege gratiæ est impleta.* 3.) Quidam ex pontificiis referunt ad consummatam animæ & corporis beatitudinem in *resurrectione* demum secuturam, ex qua interpretatione nullum limbo illi patrum accedit fulcrum. Ribera in comm. Hebr. XI. §. *Altera expositio &c. Loquitur apostolus de consummata beatitudine corporis & animæ, dum ea, quæ corporis est, carent, & hic est, ut Augustinus exponit, germanus hujus loci sensus, quia non est scriptum, ne sine nobis remunerentur, sed ne consummarentur, nec enim consummatam beatitudinem habent animæ.* Bellarminus lib. I. de beatitud. sanct. c. 3. §. *Tertio dico &c. Dico per repromissionem, quam nondum erant adepti, intelligi perfectam beatitudinem corporis & animæ.* X) Christus primus adscendit ad cœlum. Ergo patres ante Chri-

Christum defuncti in limbo fuerunt. *Resp.* quemadmodum Christus recte dicitur ἀπαρχὴ primitiæ resurgentium, etiamsi alii ante eum resurrexerint; 1. Cor. XV. 20. non solum, quia resurrectio cum gloria immortalitatis fuit conjuncta, cum Lazarus & reliqui ad conditionem hujus vitæ excitati, gloriam illam immortalitatis non fuerint statim consecuti: sed etiam, quia solus virtute propria resurrexit, cum reliqui virtute Christi resurrexerint; ita quoque recte dicitur, primus ad cœlum adscendisse tanquam verus ille perruptor Mich. II. 13. quia scilicet merito passionis suæ, jam inde ab origine mundi durante, credentibus paradisi januam per peccatum clausam aperuit.

Ex patribus. §. CLXXX. Ex *patribus* adferunt illa dicta, in quibus *Christum ideo in infernum descendisse adserunt, ut sanctos tempore vet. test. defunctos ex limbo educeret. Resp.* 1.) de Christi ad inferos descensu plurimum variant veterum sententiæ, ut suo loco vidimus. Ex incertis igitur patrum conjecturis præter & extra scripturam prolatis non potest formari aliquis fidei articulus. 2.) Scriptura duos tantum novit post hanc vitam status, vitam scilicet & mortem æternam, cœlum & infernum. 3.) Opinio de limbo originem ducit ex traditione ἀγράφῳ. Irenæus lib. IV. adv. hæres. cap. 45. p. 281. *ex traditione cujusdam senioris, qui audivit hæc ab his, qui apostolos viderant,* scribit, *Dominum in ea, quæ sunt sub terra, descendisse, evangelizantem & illis adventum suum, remissam peccatorum existentem his, qui credunt in eum.* Sed quid & quantum ejusmodi traditionibus tribuendum sit, docet chiliasticum somnium, quod Papias, Irenæus, Justinus & alii traditione apostolica confirmant. 4.) Patres per illustrem quamdam hypothesin fructum dominicæ passionis, descensus ad inferos, resurrectionis & adscensionis ad cœlum exprimere voluerunt, quod Christus ex inferno sanctos in fide defunctos liberaverit, non in inferno conclusos ex eo educendo, sed ne in eum descenderent prohibendo. 5.) Non adsertive, sed dubitative de patrum limbo disputant. Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 15. *Non absurde credi videtur, antiquos etiam sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem remotissimis a tormentis impiorum, sed apud inferos fuisse, donec sanguis Christi & ad ea loca descensus erueret.*

III) *Contra purgatorium.*

§. CLXXXI. III) *Purgatorium* sic describunt pontificii, quod *sit locus quidam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur animæ, quæ in hac vita non plene fuerunt purgatæ, ut nimirum sic purgatæ in cœlum ingredi valeant, quo nihil intrabit coinquinatum.* Bellarminus lib. I. de purg. cap. 1. De circumstantiis purgatorii, videlicet de *personis* in eo purgandis, *loco, tempore, pœnis, suffragiis* & hujus generis aliis plurimum inter se variant; communiter tamen statuunt, quod purgatorium sit *pro iis tantum, qui moriuntur cum culpis venialibus, & pro iis, qui decedunt cum reatu pœnæ, culpis jam remissis.* De loco purgatorii plerique omnes ita sentiunt, quod *sit sub terra & inferno damnatorum proximum.* De pœna purgatorii credunt, quod *ignis ille, quo animæ purgantur, sit verus & proprius ignis, adeoque ejusdem speciei cum nostro elementari.* Bellarminus lib. II. de purg. cap. 6. *Theologi fere omnes docent, eodem in loco esse & eodem igne torqueri damnatos & animas purgatorii.* De gravitate pœnarum sentiunt, eas esse *atrocissimas, & cum illis nullas pœnas hujus vitæ comparandas. Tanta est differentia inter ignem purgatorii & eum, quo hoc in mundo homines uruntur, quanta inter prunas torrentes & oris humani halitum, nulloque tormenti genere caro humana tantum cruciatum ferre potest, quantum patitur anima illius ignis purgatorii ardore adflicta.* Cap. *Nullus in fin.* de pœnit. dist. 7. *Purgatorii pœnæ,* scribit Cosserus in ench. cap. de purg. prop. 6. *excellunt omnem pœnam, quam unquam aliquis passus est in hac vita. Nunquam in carne tanta inventa est pœna, licet mirabilia passi sint martyres, & multi nequiter iniqui tanta sustinuerint*

nuerint supplicia. De duratione pœnarum disputant, quod *tamdiu animæ in eo torqueantur, donec pro peccatis venialibus in hoc seculo patratis vel pro pœnis peccatorum temporalibus Deo fuerit satisfactum. Satisfieri autem* adserunt *vel passionibus ipsarum animarum, vel indulgentiis, missis, suffragiis, eleemosynis, jejuniis, peregrinationibus & aliis operibus satisfactoriis viventium amicorum aut sacrificulorum.* Hæc omnia breviter complectitur auctor supplementi ad commentarios Gabrielis Bielis lib. IV. sent. dist. 45. sic scribens: *Purgatorium est locus pœnæ temporalis, quam tenent purgandi, qui in caritate mortui sunt. Illos*, dicit, *pœnam habere, sed temporalem, sensus & damni, propter aliquid expiabile vel culpæ venialis vel mortalis, cujus pœna æterna commutata est in temporalem, ex divina misericordia & hominis pœnitentia dimissa culpa per gratiam gratum facientem.* Atque hoc suum dogma creditu tam necessarium esse statuunt, ut, *qui illud negat, eum in gehenna sempiterno incendio cruciandum dicant.* Bellarminus lib. I. de purg. c. 15.

Argumenta contra purgatorium:
1.) *Destituitur scripturæ suffragio.*

§. CLXXXII. Contra pontificium illud *purgatorii* figmentum producimus hæc argumenta. 1) Purgatorium *destituitur scripturæ suffragio.* Quodcunque dogma certis & perspicuis scripturæ sacræ dictis probari nequit, adeoque solido & immoto fundamento destituitur, non potest pro fidei articulo acceptari. Dogma pontificium de purgatorio certis & perspicuis scripturæ dictis probari nequit, adeoque solido & immoto fundamento destituitur. Ergo non potest pro fidei articulo haberi. *Majoris* veritas in controversia de scripturæ perfectione est demonstrata. *Minor* variis modis probari potest: 1.) Ex *ipsorum adversariorum confessione.* Irenæus lib. IV. adv. hæres. cap. 14. dicit, *probationem veram & minime contradictioni obnoxiam esse, quæ ex adversariorum dictis elicitur*; cum quo consentit illud Tertulliani, vel potius Novati de Trin. cap. 18. *Firmum est genus probationis, quod etiam ab adversario sumitur, ut veritas etiam ab inimicis probetur.* Quare si ex ipsis adversariis demonstratum fuerit, purgatorium destitui scripturæ suffragio, utique firmiter probatum fuerit, dogma illud esse ἄγραφον. Jam vero facili negotio hæc adversariorum confessio probari potest. Petrus a Soto in adsert. cath. p. 83. *Non est, cur mirari debeamus, quod nec prophetica nec apostolica scripta aliquid certi & perspicui de purgatorio tradiderint, cum certum sit, multa sine scripturis esse tradita.* p. 85. *Nec eorum, qui hoc* (purgatorium) *negant, argumenta efficacia sunt, sumta ex eo maxime, quod in scriptura nihil perspicue de eo traditur, cum jam constet, multa non scripta fuisse eorum, quæ credenda sunt, sed auctoritas ecclesiæ satis est.* Martinus Peresius in lib. de traditionibus *purgatorium ex scripturis probari non posse*, confessus est. Ante Sotum & Peresium Fischerus Roffensis contra Lutherum art. XVIII. *Tametsi ex scripturis non possit probari purgatorium, veritas ejus nihilominus cunctis christianis est credenda.* Ibidem: *Quamquam fortassis unam aliquam scripturam, quæ protervientem adigat, uti, velit nolit, confiteatur, in promtu non sit adducere: potest esse nihilominus illic aliqua, tametsi diligentissimos inquisitores hactenus illa latuerit.* Et postea: *Contemplantes igitur aliquamdiu purgatorium incognitum fuisse, deinde quibusdam pedetentim, partim ex revelationibus, partim ex scripturis creditum fuisse, & tam sero cognitum & receptum ecclesiæ universæ &c.* (sic concludo: Dogma *aliquamdiu in ecclesia intognitum, & sero ab ecclesia universa receptum*, non est in scripturis revelatum, nec pertinet ad fidem catholicam, nec constituit fundamentalem fidei articulum. Dogma pontificium de purgatorio tale est. Ergo.) Polydorus Virgilius libr. VIII. de rer. invent. cap. 1. adducit verba Roffensis: *Quamdiu nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quæsivit indulgentias, nam ex illo pendet omnis indulgentiarum existimatio. Si tollas purgatorium, quorsum indulgentiis opus erit? Cæ-*

perunt igitur indulgentiæ, postquam ad purgatorii cruciatus aliquamdiu trepidatum est. Et addit: *Hæc ille, quæ tu forte, cum tanti sint momenti, ut magis certa ex ore Dei exspectabas.* Præcipuum purgatorii fundamentum collocatur in *oratione pro defunctis.* Atqui orationem pro defunctis *non ex scriptura, sed ex traditione* esse, scribit Ludovicus Nogarola in libello de apostolicis institutionibus tradit. XXXII. 2.) Ab *improba adversariorum postulatione.* Pontificii, cum in corde suo convicti sint, dogma de purgatorio non posse ex claris & perspicuis scripturæ dictis demonstrari, improbe & absurde a nobis flagitare incipiunt, ut *negativam*, videlicet non esse purgatorium, αὐτολέξει in scripturis exstare demonstremus, cum tamen *in fidei articulis affirmative & negative ex scripturis argumenta duci posse*, recte doceat Discipulus de Tempore serm. XXIII. cumque adfirmanti probatio incumbat. Quia igitur onus probationis humeris ipsorum incumbens in nos devolvere conantur, eo ipso manifestum faciunt, quod sub onere probationis succumbant, atque ex scripturis probationem hujus dogmatis solidam ac firmam se proferre posse desperent. Petrus a Soto in adsert. cath. pag. 83. *Quare non citatis locum, ubi contrarium, videlicet purgatorium non esse docetur, sed tantum negative argumentamini, quia nec Christus nec Paulus dicit?* Jesuitæ in colloquio Durlacensi anno 1615. habendo a nostris postularunt, *ex scripturis αὐτολέξει, ac in ipsis terminis terminantibus demonstrari, purgatorium non esse.* Tilenus part. II. disp. LXV. §. 34. refert, quod *Jesuita Cotto ex ipso cacodæmone scisitari non dubitarit, ecquo totius nov. test. loco purgatorium commodissime fulciri ac statuminari posset?* ex quo adparet, quantum ipsimet confidant testimoniis, quæ dicis causa pro adstruendo purgatorio ex scriptura adducere consueverunt. 3.) Ex *nominis consideratione.* Nomen purgatorii in sensu pontificio acceptum nuspiam in scripturis sacris occurrit. Bellarminus disputationem de purgatorio exorsurus libro I. de purg. cap. 1. sic scribit: *Tria in scripturis inveniuntur, quibus tribuitur purgatio peccatorum, & purgatoria dici possunt:* Primo *Christus ipse, de quo dicitur Hebr. I. purgationem peccatorum faciens. Joh. I. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Secundo *tribulationes hujus vitæ, de quibus Mal. III. ipse sedebit quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & purgabit filios Levi &c.* Joh. XV. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit, ut fructum plus adferat. Vocatur* tertio *purgatorium locus quidam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur animæ &c.* Sed pro hac tertia purgatorii significatione adferenda nullum adfert scripturæ testimonium, neque etiam adferre potuit, quia scriptura nullam purgationis peccatorum post hanc vitam exspectandæ mentionem facit, ut suo loco plenius demonstrabimus. Quamvis vero quædam in scripturis exstent *secundum rem*, licet *secundum literam* & vocem in eis non habeantur, ac proinde a prætermissione nominis ad negationem rei ipsius non liceat absolute & simpliciter concludere, tamen cum & nomen & res ipsa purgatorii pontificii a scripturis exsulet, ut ex sequentibus adparebit, ideo merito hanc nominis prætermissionem contra pontificios urgemus. In Germanica lingua purgatorium vocatur *Fegfeuer*, quia communiter statuunt, *instrumentum illud, quo animæ post hanc vitam purgantur, esse ignem, & quidem elementarem.* At si res ita habet, cur Rossensis & alii ex pontificiis pro stabiliendo purgatorio adducunt locum Psal. LXVI. 12. *Transivimus per aquam & ignem?* Cur Gregorius lib. IV. dialogorum cap. 40. & 55. refert, *animam Paschasii & cujusdam alterius in balneis quibusdam purgatas?* Cur Petrus Damianus in epist. de miraculis sui temporis describit visionem *de purgatione animæ s. Severini in quodam flumine?* Cur Bonaventura lib. IV. sent. dist. 20. disputat, *non solum ignem, sed etiam aquam, imo umbram esse in purgatorio, & ea quasdam animas puniri?* Cur in aurea legenda memoratur, *Theobaldum episcopum ani-*

animam in fruſto quodam glaciei ante pedes jacentis cruciatam animadvertiſſe, & eam ſe adloquentem audiviſſe? Ibidemque in vita Conradi & Vdalrici, *alios in avibus, quæ in aquarum vortice crebro immergebantur, animas duas concluſas eſſe intellexiſſe, & eas miſſis liberaſſe?* Cur in ſpeculo exemplorum diſt. III. exemplo 3. refertur, *presbyterum quemdam vidiſſe in ecſtaſi animam quamdam pauperculam in ſtillicidio domus novem annos ventis, pluviis & algoribus vexatam?* 4.) Ex *teſtimoniorum pro purgatorio adductorum ponderatione.* Perionius in topicis theologic. *unicum duntaxat locum* 2. Macc. XII. pro purgatorio ſtabiliendo exſtare aſſerit, qui aperte doceat, *preces & ſacrificia prodeſſe defunctis.* Atqui liber ille eſt apocryphus, quod præter alia fundamenta probamus ex teſtimonio Gregorii magni lib. XIX. moralium cap. 13. *De qua re,* inquit, *non inordinate agimus, ſi ex libris non canonicis, ſed tamen ad ædificationem eccleſiæ ſcriptis teſtimonium proferimus,* & poſtea adducit locum ex 2. Macc. Atqui Gregorius fuit epiſcopus Romanus, ac proinde ex hypotheſi pontificiorum ejus judicium eſt infallibile. Petrus a Soto in aſſert. catholica ad verba confeſſ. Wirtenb. quod *dicta ſcripturæ, quæ ad ſtabiliendum purgatorium citari ſolent, a genuino ſenſu ad alienum torquentur.* pag. 84. ſic adnotat: *Illis ſcripturæ locis fatemur, non aperte purgatorium probari, ſed quod ex certa fidei regula credimus, id auctoritatibus illis advertimus indicari.* Bellarminus lib. I. de purg. cap. 3. §. *ad ſeptimum &c.* fatetur, *omnia vet. teſt. loca excepto unico 2. Macc. XII. ſolum probabiliter ſuadere, quod ſit ejusmodi purgatorium.* Huc pertinet etiam illud, quod quæ ſcripturæ dicta pro adſtruendo purgatorio a quibusdam pontificiis adferuntur, ea ab aliis pontificiis aliter explicantur, ut ex ſpeciali ſingulorum examine adparebit inferius. 5.) Ex *ſcripturæ præteritione.* Scriptura ſacra de purgatorio tacuit in illis locis, in quibus mentionem ejus fieri, ſi ejusmodi purgatorium eſſet, omnino oportebat. In Geneſi & aliis ſcripturæ libris deſcribuntur funera piorum patriarcharum, prophetarum, regum & aliorum ſanctorum; ſed de purgatorio, in quod animæ ipſorum deſcenderint, altum eſt ſilentium. In deſcriptione exſequiarum, quas ſancti fecerunt, & interceſſionum piorum pro aliis factarum nulla prorſus ſit mentio ſupplicationum, juſtorum ſeptendialium, trigeſimalium aut aliorum ſuffragiorum in papatu hodie uſitatorum. In Levitico deſcribuntur varia ſacrificiorum genera, ſed ſacrificii cujusdam pro animabus defunctorum in purgatorio ſudantibus verbum nullum. Lev. XXVI. & Deut. XXVIII. enumerantur *pœnæ peccatorum temporales*, ſed nulla fit mentio pœnarum purgatorii, quibus tamen vel maxime populus in officio contineri potuiſſet. Apoſtolus 1. Theſſ. IV. de *ſtatu defunctorum* ex profeſſo agit, ſed purgatorii ne verbo quidem meminit. Quod ſi purgatorium aliquod ſupereſſet, apoſtolus præpoſtere feciſſet, quod interrogatus de ſtatu defunctorum Theſſalonicenſibus non præſcribit miſſas, vigilias, eleemoſynas, indulgentias, peregrinationes &c. quibus cognatorum & amicorum defunctorum animas ex purgatorio liberarent, ſed potius bono animo eos eſſe jubet de omnibus, qui in Chriſto obdormierunt v. 13. Si apoſtolus judicaſſet, maximam eorum defunctorum partem in purgatorio detineri, conſequens fuerit, ipſum vel vana ac mendaci ſpe Theſſalonicenſes lactaſſe, dum jubet eos bono animo eſſe ob defunctos, qui tamen miſſis & ſuffragiis ad ſui liberationem vel maxime indigebant, vel obliviosum admodum fuiſſe, eum vel in ſcriptura vet. teſt. vel in tertio cœlo diſcere potuiſſet, quis & qualis ſit animarum in illo purgatorio ſtatus.

§. CLXXXIII. Ad quintam & ultimam iſtam probationem Bellarminus lib. I. de purgat. cap. 15. variis modis excipit: 1.) *non eſſe neceſſe, ut ſcriptura ubique omnia dicat. Reſp.* non quidem neceſſe eſt, ut ſcriptura ubique omnia dicat, interim tamen

Exceptiones Bellarmini ad 1. argumentum.

men neceſſe eſt, ut vel ſemel illud clare & perſpicue dicat, quod fide catholica ab omnibus credendum; ac perfectio ſcripturæ requirit, ut dogma, quod pro fidei articulo haberi & acceptari debet, expreſſo & perſpicuo quodam ſcripturæ loco probetur. Certum etiam eſt, *quodlibet fidei dogma habere propriam ſedem in certo & perſpicuo ſcripturæ loco.* Talem vero purgatorii ſedem nondum potuerunt pontificii in ſcripturis invenire. Plerique recurrunt ad 1. Cor. III. ſed ſcopus & contextus oſtendunt, ibi non de *materiali* quodam purgatorii igne, quo animæ quorumdam poſt mortem torqueantur, ſermonem eſſe, ſed de igne *metaphorico*, nec ipſi pontificii diffiteri poſſunt, locum illum eſſe obſcurum ac metaphoricum; jam vero in locis ſcripturæ figuratis non poteſt quæri propria ſedes alicujus articuli ad ſalutem creditu omnibus neceſſarii. 2.) *In Geneſi non fuiſſe occaſionem ponendi doctrinam de purgatorio, cum Geneſis non ſit liber dogmatum, ſed hiſtoria quædam patriarcharum, ac doctrina eo tempore non ſcriptura, ſed traditione fuerit conſervata, alioquin dicendum fuerit, ante Abrahæ tempora neminem fuiſſe juſtificatum, quia ſcriptura non tradit, quomodo juſtificarentur homines tempore Adæ, Noæ, Enochi. Reſp.* imo vero optima fuiſſet occaſio ponendi doctrinam de purgatorio in deſcriptione exſequiarum, quas pii defunctis ſuis cognatis inſtituerunt. Nec Geneſis eſt duntaxat *hiſtoricam*, ſed etiam *dogmaticum* ſcriptum, ut oſtendunt promiſſiones de Meſſia, in quibus nucleus evangelii continetur. Quamvis vero ante ſcripturam Moſaicam doctrina cœleſtis viva voce ſine ſcripto fuerit conſervata, tamen poſtquam Geneſis cum reliquis libris Moſaicis divino juſſu ſuit exarata, Iſraëlitæ a traditionibus ad ſcriptum Dei verbum fuere revocati, ac diſerto mandato juſſi, *nihil quidquam addere vel demere*, Deut. IV. 2. XII. 32. Modum juſtificationis in Abrahæ exemplo omnium primo deſcribi pernegamus, quia protevangelium de *ſemine mulieris conteritur caput ſerpentis* primis parentibus & patriarchis ante Abrahamum fuit notum ac revelatum, quod illi vera fide amplexi ſunt, cujus exercitia fuerunt quotidiana ſacrificia; unde epiſtola ad Hebræos fidei exempla non ſolum in *Abrahamo*, ſed etiam in *Abele, Enocho & Noaho* nobis proponit, atque ex ſcripturis Moſaicis eruit. 3.) *Implicite in Geneſi contineri mentionem purgatorii; quando enim dicitur Gen. XXIII.* Et ſurrexit Abraham ab officio funeris; *quis prohibet, per illud officium intelligere non ſolum lacrimas, ſed etiam orationem & jejunium? & cur quæſo Jacob & Joſeph in Ægypto morientes cupierunt oſſa ſua deferri in terram promiſſionis, niſi quia ibi ſolum ſacrificia pro defunctis facienda eſſe noverant? Reſp.* perquam ridiculum eſt, quod Bellarminus *officium* funeris legens de tali officio ſtatim cogitat, quale in miſſalibus & breviariis pontificiis deſcribitur, quo juſta ſtipendialia, trigeſimalia, anniverſaria, & alia ſuffragiorum genera defunctis præſtari jubentur, cum de tali officio altum in ſcripturis tam vet. quam nov. teſt. ſit ſilentium. Neque in textu Hebræo vel unum jota occurrit, quod officii ejusmodi papalis ſuſpicionem movere poſſit; ſimpliciter enim dicitur: *Et ſurrexit Abraham a facie mortui ſui.* Vulgata autem verſio, quæ officii funeralis mentionem inſerit, hiſtoricæ narrationi prorſus repugnat, quia in ſequentibus demum *officium funeris* conjugi præſtitum deſcribitur, poſtquam ſcilicet locum ſepulturæ Abrahamus ab Hethæis impetraverat. Quod Jacob & Joſephus oſſa ſua in terram Canaan ſine eo transferri voluerint, ut ſacrificiorum pro defunctis ibidem offerendorum participes redderentur, eſt manifeſta petitio principii, cum ſacrificiorum pro defunctis in lege Dei nulla fiat mentio, & turpiſſimus finis elenchus, cum ex ſcriptura & fidei analogia fines longe alii hujus teſtamentariæ diſpoſitionis erui poſſint, de quibus diximus ſuperius. 4.) *In Levitico ſacrificia pro defunctis fuiſſe inſtituta, quandoquidem illa, quæ inſtituta ſunt pro peccatis, intelligi pro peccatis tam vivorum, quam mortuorum, ut patet ex libr. 2. Maccab. XII. Reſp.* lex divina non modo in genere, ſed etiam in ſpecie exprimit, tum *materiam*, tum for-

formam, tum *finem*, tum *objecta* sacrificiorum, quæ scilicet animalia, quibus ritibus, quo fine & pro quibus sint offerenda; at de quodam sacrificio *pro defunctis* offerendo in tota lege Mosaica ne verbulum quidem continetur. Lex divina omnes peccati per sacrificia purgandi ritus exacte & κατ' εἶδος describit, sed nuspiam alicujus post hanc vitam purgationis meminit. Quare cum legi divinæ *nihil sit addendum*, frustra omnis de sacrificio pro defunctis instituto suscipitur cogitatio. De loco apocrypho 2. Maccab. XII. dicetur inferius. 5.) *Paulum 1. Thess. IV. solum voluisse dicere, non esse mortuos immoderate deflendos, quomodo ethnici faciebant; ad hoc autem propositum non solum non proderat, sed etiam oberat mentio purgatorii. Dicere enim, animas propinquorum gravissime torqueri in purgatorio, non est adferre materiam consolationis, sed majoris luctus; apostolus autem consolari eos volebat, ut patet, ideo meminit resurrectionis & gloriæ. Resp.* invertimus argumentum: Si animæ defunctorum in Christo gravissime torquerentur in purgatorio, quomodo apostolus eos quiete *dormire* diceret, quomodo Thessalonicenses ob defunctos λυπεῖσθαι prohiberet? Si animæ defunctorum in purgatorio igne æstuantes vivorum suffragiis juvari & possunt & debent, quomodo a παραπρεσβείας crimine apostolus liberabitur, quod nec vivos officii sui admonere, nec defunctis de levamine cruciatuum prospicere voluerit, cum tamen proprie & ex professo ibidem egerit de illa quæstione, quomodo erga defunctos ac de defunctis Thessalonicenses animati esse debeant? Si necessariam illam admonitionem de *suffragiis vivorum*, quibus defunctos juvari æquum est, apostolus prætermisit, qua fronte dicere potuit, se *nihil subterfugisse, quo minus omne Dei consilium hominibus adnunciaverit*, Act. XX. 27.? Sed & hoc meretur observationem, quod v. 14. apostolus dicit: *Deus illos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo*; non dicit, e purgatorio demum ad se evocabit, sed cum eo ex cœlesti gloria adducet. Quod Bellarminus addit, *apostolum aliis in locis diserte ignem purgatorii ponere*, de eo judicium fieri poterit ex sequentibus.

§. CLXXXIV. II) Purgatorium non solum scripturæ suffragio destituitur, sed etiam *cum scriptura pugnat*; est non solum ἄγραφον, sed etiam ἀντίγραφον, idque modis compluribus. Pugnat enim 1.) cum illis scripturæ dictis, quæ omnes omnino homines in duas duntaxat classes, credentes scilicet & incredulos, bonos & malos, oves & hœdos discriminant, ubi sic concludimus: Si in universum duo tantum hominum genera dantur, quorum uni cœlum, alteri infernus adsignatur, consequens fuerit, non dari purgatorium. Sed verum prius. Ergo & posterius. *Majoris* connexio probatur, quia purgatorium nititur hac hypothesi, quod tria dentur hominum genera, *perfecte* scilicet *boni*, *perfecte mali*, & *intermedii*, utrisque, optimis scilicet ac pessimis, interjecti: illis cœlum beatorum, illis infernum damnatorum, hisce purgatorium post mortem esse præparatum. Bellarminus lib. I. de purgat. cap. 11. §. *rursum &c.* "Videmus ex iis, qui „migrant ex hac vita, alios esse valde bonos, „alios valde malos, alios mediocriter bonos, „alios mediocriter malos; quocirca judicamus „naturali lumine, esse post hanc vitam pœ„nas æternas pro valde malis, præmia æterna „pro valde bonis, ac pœnas temporarias, & „per eas translitum ad præmia pro iis, qui sunt „mediocriter mali vel boni.„ Lib. II. de purgat. cap. 1. "De personis, quibus purga„tio post hanc vitam conveniat, multi exsti„terunt errores. Primus fuit, purgari debere „post hanc vitam tam bonos, quam malos, „uno Christo excepto. Secundus error est, „omnes malos tam dæmones, quam homines „tandem inferno penitus evacuato salvan„dos &c.„ Tandem subjicit: "Manet ultima „sententia vera, purgatorium pro iis tantum „esse, qui cum venialibus culpis moriuntur, „&

II) *Pugnat cum scripturis.*
1.) *Scriptura omnes homines in duas duntaxat classes dividit.*

„& pro illis, qui decedunt cum reatu pœnæ „culpis jam remissis, id est, qui sunt interme„dii inter bonos & malos, qui in Christo qui„dem & fide mortui, non tamen plene sunt „purgati.„ Adsumtum probatur ex doctrina Christi & apostolorum. Matth. VII. 13. *Lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam.* v. 14. *Angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* v. 17. *Arbor bona facit bonos fructus, mala autem arbor facit malos fructus.* v. 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere, nec potest arbor mala bonos fructus facere.* v. 24. *Qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum supra petram,* v. 26. *Qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificat domum in arenam.* Matth. VIII. 11. *Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo in regno cœlorum.* v. 12. *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Matth. XIII. 24. & 25. *In agro dominico est bonum semen & zizania ab inimico superseminata.* v. 38. *Bonum semen sunt filii regni, zizania sunt filii nequam.* v. 48. *Sagena evangelicæ prædicationis concluduntur pisces boni & putres.* Matth. XXV. 32. *Separabit Filius hominis gentes coram tribunali ejus congregatas, sicut pastor segregat oves ab hædis.* v. 33. *& statuet oves a dextris suis, hædos autem sinistris.* v. 34. *His, qui ad dextram constituti sunt, dicet: Venite benedicti, possidete regnum &c.* v. 41. *Illis, qui a sinistris erunt, dicet: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* v. 46. *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Marc. XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Luc. XVI. 8. *Filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis.* v. 22. *Lazarus portatur ab angelis in sinum Abrahæ, dives epulo detruditur in infernum.* v. 25. *Ille consolatione fruitur, hic vero cruciatur.* Joh. III. 6. *Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est.* v. 18. *Qui credit in Filium Dei, non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est.* v. 20. *Qui mala agit, odit lucem, & non venit ad lucem.* v. 21. *qui autem facit veritatem, venit ad lucem.* v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum.* Joh. V. 29. *Qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* XV. 2. *Omnem palmitem non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum.* Act. XXVI. 18. *Vt convertantur a tenebris ad lucem, & a potestate satanæ ad Deum.* Rom. II. 6. *Reddet Deus unicuique secundum opera sua*; v. 7. *iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam*; v. 8. *iis autem, qui sunt ex contentione, & non adquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* Rom. VI. 20. *Cum essetis servi peccati, liberi eratis justitiæ.* v. 22. *nunc vero liberati a peccato, servi facti estis Deo.* Rom. VIII. 5. *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt, qui vero secundum spiritum, quæ spiritus sunt, sentiunt.* v. 13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis.* Gal. VI. 8. *Qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam &c.* In his & similibus dictis est perpetua & immediata oppositio inter *credentes & incredulos, bonos & malos, facientes verba Christi & non facientes ea, intrantes per angustam portam & viam arctam, & intrantes per latam portam & viam spatiosam;* inter *arbores bonas & malas, bonum semen & zizania, pisces bonos & putres, oves & hædos*; inter *filios regni & filios nequam, filios lucis & filios seculi, filios Dei & filios diaboli*; inter *spirituales & carnales, seminantes in spiritu & seminantes in carne, veritatem facientes & mala agentes*; inter *eos, qui ambulant in luce,*

& qui adhuc constituti sunt in tenebris, viventes secundum spiritum & viventes secundum carnem, seminantes in spiritu & seminantes in carne; servos Dei & servos diaboli ac peccati &c. Stante hac immediata oppositione, corruit purgatorium; stante purgatorio corruit immediata illa oppositio.

Exceptio Bellarmini ad 1) argumentum.

§. CLXXXV. Excipit Bellarminus lib. I. de purgat. cap. 12. resp. ad 5. *in extremo judicio, de quo agitur* Matth. XXV. *recte duos tantum fieri ordines, quia tunc purgatorium finem accipiet, ac deinceps duo tantum loca remanebunt, paradisus & gehenna. Porro, qui credit, salvus erit, & non judicatur, id est, condemnatur, modo etiam addat cætera, quæ requiruntur; fides enim ex se justificat & salvat, si aliunde non sit impedimentum, quemadmodum dicere solemus, ex hoc semine nascetur arbor, si videlicet non desint calor solis, humor aquarum, & si quæ alia requiruntur, neque continuo, qui salvus erit per fidem, sine purgatorio salvus erit, multi enim salvantur, sic tamen quasi per ignem.* 1. Cor. III. Eodem modo excipit Schoppius in apolog. contra Hunnium n. 152. p. 73. *Scriptura,* inquit, *quando de duobus tantum hominum generibus agit, loquitur semper de perfecte credentibus & perfecte incredulis cum inclusione mediocrium seu imperfecte credentium, qui stipulas, fœnum & lignum super fundamentum ædificant, qui in cœlum veniunt, sed quasi per ignem.* Idem repetit Becanus de purgat. Calvin. p. 107. *Resp.* 1.) Non tantum in extremo judicio, sed etiam in *hac vita*, in *morte* & in statu, inter mortem & extremum judicium interjecto, duo tantum ordines hominum statuuntur, ut ex citatis scripturæ dictis liquido conspicitur. 2.) Si post extremum judicium nullus remanebit ignis purgatorius, utique nec ante illud erit. Ratio *connexionis* dari potest duplex: prior a *justitia Dei*, quæ non permittit, ut multa millia hominum, paulo ante novissimum diem defunctorum, citissime ex purgatorio dimittantur, at multa millia hominum, quos dies novissimus deprehendet vivos, in purgatorium non demittantur, cum iisdem peccatis fuerint polluti, quibus illi, qui ex hypothesi pontificia per centum ac plures annos in purgatorio desudarunt. Posterior ex *vi & efficacia meriti Christi.* Si enim Christi meritum in piis, paulo ante novissimum diem defunctis, vel etiam a die novissimo deprehensis adhuc vivis, tantæ est efficaciæ, ut vi illius meriti vel non descendant in purgatorium, vel citissime ex eo liberentur, utique eamdem vim obtinebit in illis, qui diu ante novissimum diem in vera fide Christi meritum amplectente moriuntur, cum unius ejusdemque perpetuo sit efficaciæ. Act. IV. 12. X. 43. XIII. 38. XV. 11. Hebr. XIII. 8. Apoc. XIII. 8. 3.) Fides non justificat per modum duntaxat *dispositionis & inchoationis*, ut hoc loco Bellarminus præsupponit, sed per modum *instrumenti & adprehensionis*, quatenus gratiam Dei, justitiam, peccatorum remissionem & salutem in Christo oblatam fiducialiter amplectitur, ut suo loco plenius fuit demonstratum. *Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam.* Qui vere credit, a peccatis plene absolvitur, qui incredulus est, condemnatur; ut ergo inter *τὸ credere & non credere* nullum datur medium, ita quoque inter absolutionem & condemnationem nullum datur tertium, ac proinde nec purgatorium. 4.) Si fides *ex se justificat*, ut hoc loco Bellarminus concedit, utique etiam ex se salvat, quia justitia & salus immediato nexu sunt conjuncta. Si fides ex se salvat, utique credentibus nullum metuendum est purgatorium, quia pugnant inter se, credentem fide salvari, absolvi, a judicio liberari, & tamen acerbissimis purgatorii pœnis adjudicari. 5.) Credere & non credere, fides & incredulitas contradictorie, ac proinde immediate sibi invicem opponuntur, & per consequens non dantur quidam intermedii inter credentes & non credentes. Mediocriter credentes, modo vere credant, etiam sunt credentes, & infirma fides etiam est fides, quia idem Christi meritum adprehendit, quod fides firma ac fortis, sicut eumdem annulum aureum

puerulus & gigas adprehendunt, licet non æquali robore. Distinguendum igitur inter fidei *objectum* & *gradus*. Ratione objecti est una atque eadem fides fortium & infirmorum, ratione graduum inter fidem fortem & infirmam distinguitur; sed hæc distinctio fidei infirmæ veritatem & justificandi effectum nequaquam tollit, unde Christus absolute pronunciat sine ullo fortis & infirmæ fidei respectu: Joh. V. 24. *Qui credit in eum, qui misit me, habet vitam æternam & in judicium non venit, quia transiit a morte ad vitam;* ac Petrus 1. epist. I. 9. de omnibus vere credentibus pronunciat, quod *finis fidei* ipsorum *sit vita æterna*. Πρῶτον ψεῦδος pontificiæ opinionis in eo consistit, quod fidem justificare statuunt *dispositive*, *inchoative*, *meritorie*, propter cujus dignitatem Deus nos in gratiam recipiat, cum tamen justificet *instrumentaliter & relative*, quatenus Christi meritum in verbo evangelii oblatum amplectitur. 6.) De loco apostolico 1. Cor. III. ex quo tertium illud hominum genus intermedium purgatorii flammis adjudicandum Bellarminus exsculpere nititur, inferius dicemus, hic illud duntaxat monemus: Si per ignem intelligitur ignis judicii divini doctrinas & opera examinaturus, quo sensu multi ex veteribus eum explicant, tum in die extremo ille non exstinguetur, sed potius accendetur, & vigebit vel maxime.

2.) *Solum hujus vitæ tempus statuit esse tempus laborandi, currendi, certandi.*

§. CLXXXVI. 2.) Cum illis scripturæ dictis, quæ docent, solum hujus vitæ tempus esse tempus *laborandi*, *currendi*, *certandi*, hoc est, resipiscendi, credendi, pie operandi, & per consequens gratiam Dei, peccatorum remissionem, pœnarum relaxationem & vitam æternam adsequendi, post mortem vero nullum amplius superesse tempus resipiscendi, credendi & bene operandi, hoc est, cœlestia illa beneficia adquirendi. Vnde tempus hujus vitæ confertur *viæ ad metam ducenti*, tempus post mortem comparatur *termino ac metæ viam finienti*; ex quo ipsimet scholastici per *viatores* non intelligunt alios, quam qui hujus vitæ & lucis usura adhuc fruuntur, ex quo sic inferimus: Si in hac duntaxat vita tempus resipiscendi ac bene operandi ac ἐπομένως peccatorum remissionem & pœnarum condonationem impetrandi conceditur, frustra in purgatorio culpæ venialis expiatio & pœnæ pro peccato mortali persolvendæ, inque temporalem mutatæ persolutio & relaxatio speratur. Sed verum prius. Ergo & posterius. *Adsumtum* probatur. Eccl. IX. 4. *Ad omnes viventes* vel in tota vita *est spes*. v. 5. *Viventes sciunt, quod morituri sunt, sed mortui nesciunt quidquam, & non ultra eis merces.* (in quæ verba sic commentatur rabbinus Salomon: "Omnibus hominibus etiam „impiis spes superest, quod possint pœniten„tiam agere, antequam moriantur. Viven„tes enim possunt meminisse mortis & pœni„tentiam agere de via sua mala, sed cum mor„tui sunt, frustra est pœnitentia, nec merce„dem illam ex operibus, quæ mortem faciant, „adquirere possunt, sed tum valebit prover„bium: Qui parat in vespera sabbati, come„det in sabbato.) v. 10. *Quodcunque facere potest manus tua, pro viribus operare, quia non opus, nec computatio, nec scientia, nec sapientia in sepulcro, quo tu vadis.* XI. 3. *Si ceciderit lignum ad austrum, & si ad aquilonem, in loco, in quo ceciderit lignum, ibi erit.* (Quamvis quidam negent, hoc dictum in sensu literali de statu hominis post mortem agere.) XII. 5. *Abit homo in domum æternitatis suæ.* Matth. XXV. 10. *Quæ paratæ erant virgines, intraverunt cum sponso, & clausa est janua;* id est, reliquis virginibus fatuis, quæ se nondum paraverunt, clausa est janua spei, janua misericordiæ, janua indulgentiæ, janua vitæ. Joh. IX. 4. *Venit nox, quando nemo potest operari.* 1 Cor. VII. 29. *Tempus est breve*; quo dicitur, qui bene agere voluerit, faciat in hac vita, quæ brevis. IX. 24. *Nescitis, quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brabeum? sic curnite, ut comprehendatis.* Eph. V. 16. *Redimentes tempus.* Gal. VI. 8. *Quæ seminaverit homo*

mo, hæc & metet. v. 10. *Dum ergo tempus habemus, operemur bonum ad omnes &c.* 2. Tim. IV. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi.* Hebr. XII. 1. *Decurramus propositum nobis certamen ac stadium?* Apoc. II. 5. *Age pœnitentiam, & prima opera fac, sin autem non, venio tibi cito.* Targum Chaldaicum verba Esaiæ LV. 6. *Quærite Dominum, dum inveniri potest, & dum adhuc prope est,* sic παραφράζει *Quærite cultum Domini, dum adhuc in vivis estis, & orate, dum adhuc superstites estis;* innuens post mortem nullum supersesse pœnitentiæ locum.

Exceptio Bellarmini ad 2) argumentum.

§. CLXXXVII. Excipit Bellarminus 1.) *ad dictum* Eccl. IX. 10. *quibusdam videri, quod Salomon hæc dixerit in persona impiorum, qui non modo purgatorium, sed etiam gehennam tollunt, & nihil omnino esse credunt præter hanc vitam; alios docere, quod Salomon loquatur ad eos, qui otiose & flagitiose vivunt, & ad gehennam recta proficiscuntur, quo in loco nullum ipsis est remedium vel solatium; quam utramque expositionem adtingat* Hieronymus in comm. Gregorium vero lib. IV. dial. c. 39. *hæc omnia satis apte adcommodare etiam ad eos, qui ad purgatorium deducuntur. Nam soli illi purgari possunt, & precibus viventium juvari, qui dum hic viverent, id meruerunt bonis suis operibus, ut in alia vita juvari possent, quare omnes debent in hac vita, quidquid possunt, boni peragere, quia in alia vita non juvabuntur, nisi per ea, quæ hic gesserunt, meruerint, ut juvari possent. Resp.* scopus & integer contextus docent, Salomonem non loqui in persona impiorum, nec ad eos solum, qui gehennæ flagitiis suis sese mancipant; sed in *genere* ad omnes homines, quos admonet, ut durante brevissimæ & fugacissimæ hujus vitæ tempore bene operentur, cum post mortem nulla bene operandi, vel ad hanc vitam redeundi supersit occasio. Ad purgatorium non nisi per insignem principii petitionem hæc adcommodantur; probandum enim erat, *hominem bonis suis operibus id promereri posse, ut in alia vita precibus viventium juvari, & a peccatis suis purgari possit,* cujus contrarium Ecclesiastes diserte adstruit. Scholastici in lib. IV. sent. dist. 20. & eos secutus Bellarminus fidem, spem, caritatem & certam de salute sua scientiam animabus in purgatorio æstuantibus tribuunt, sed Ecclesiastes negat, *apud inferos* (ut est in vulgata versione) *esse opus, rationem, sapientiam ac scientiam.* Vidit hanc difficultatem Salmeronius; ideo tom. XIV. p. 228. simpliciter respondet, *Salomonem hic non loqui de purgatorio, sed de gehenna ignis, quod scilicet sensus damnatorum ita sopiti sint dolorum ac pœnarum magnitudine, ut nequeant ad bonam operationem ratione uti.* At contextus ostendit, Salomonem in genere de omnibus mortuis loqui. Præterea, si magnitudo dolorum impedit damnatos ab usu rationis, idem metuendum erit constitutis in purgatorio, quia est idem ignis purgatorii & inferni, durationе duntaxat discrepans. Adde, quod Salmeron sibi expresse contradicat; nam pag. 232. subjungit, *epulonem in inferno intellectu sano ac ratione viguisse.* 2.) Ad dictum Eccl. XI. 3. excipit, "sapientem loqui ad literam „de morte corporali, ac velle dicere, ita ho„mines necessario morituros, & cum mortui „fuerint, per se nunquam surrecturos, quem„admodum lignum tandem aliquando cadit, „& ibi manet ac putrescit, ubi cecidit. Si „tamen velimus hæc ad statum animæ adcom„modare, dicendum esse, quod illi„ qui ad „purgatorium pertinent, ad austrum cecide„rint, id est, ad statum salutis æternæ, & in „eo statu salutis perpetuo permansuri; vel cer„te dici posse, per austrum gloriam cœlestem, „per aquilonem gehennam intelligi, sed non „omnes cadere ad austrum & ad aquilonem. „Nec hunc locum officere adsertioni purga„torii, quia alias etiam officeret adsertioni „limbi, in quem sancti patres ante Christi ad„ventum descenderunt, in quo non perpetuo „manserunt.„ Salmeronius dicto loco: "In„ter austrum & aquilonem datur locus inter„medius, qui olim fuit limbus, jam vero est

„purgatorium.„ *Resp.* Ecclesiasles non modo de moriendi necessitate omnibus hominibus communi, sed etiam de statu animæ post mortem loquitur, ut ex ipsis verbis manifestum, & omnium interpretum consensu firmatum; hortatur enim rex sapiens ad beneficentiam, argumento eo, quod in hac duntaxat vita sit tempus bene operandi, post mortem hominis animam statim devenire ad statum eum, in quo æternum sit permansura. Confer Hieronymum, (*) Bedam & glossam ordinariam in comm. illius loci. "Lignum, „inquit Hieronymus, quod in hac vita cor„ruerit, & conditione mortalitatis fuerit in„cisum, aut peccavit ante, dum staret, & in „boreæ parte postea ponetur, aut si dignos „autiro fructus tulerit, in plaga jacebit au„strali.„ Absurdum vero est statuere, eos, qui ad purgatorium pertinent, *ad statum salutis æternæ cecidisse*, quia purgatorium est *sinus quidam inferni, ac in eadem omnino voragine cum ipso inferno*, ut disputat Bellarminus lib. II. de purgat. cap. 6. quomodo igitur illi, qui sunt in purgatorio, dici possunt esse in statu salutis æternæ? Ad quem statum cupidissime animæ in purgatorio defundantes adspirant, in eo nondum possunt dici constitutæ. Sed ad statum salutis æternæ cupidissime adspirant. Ergo. Animæ, quæ torquentur pœnis, ab infernalibus flammis sola temporis duratione distinctis, non possunt dici cecidisse ad statum salutis. Sed animæ in purgatorio detentæ ex hypothesi pontificiorum ejusmodi pœnis torquentur. *Lignum ubi ceciderit, ibi manebit*, inquit rex sapiens. Quod si ergo quorumdam animæ in purgatorium descenderent, perpetuo ibi manerent, nec ad cœlum emigrarent. Textui adversum est asserere, *non omnes cadere ad austrum vel ad aquilonem*, id est, gloriæ cœlestis vel gehennæ participes fieri, quia Ecclesiastes immediate & directe hæc duo sibi invicem opponit. Ridiculum est, ex limbo patrum probare velle purgatorium, hoc est incertum per æque incertum demonstrare.

(*) De Hieronymo in h. l. vid. Sixt. Senensis lib. V. bibl. ann. 214. Lorinus in comm. h. l. Hieronymo & Olympiodoro socios addit omnes Latinos ferme. GERHARDVS.

§. CLXXXVIII. 3.) Cum illis scripturæ dictis, quæ de purgatione peccatorum loquuntur. Scriptura duplicis purgationis mentionem facit. Vna est *purgatio externa & levitica* facta ad *emundationem carnis*, altera vero *interna & spiritualis* facta ad *emundationem cordis*. Illa tribuitur leviticis ceremoniis; Levit. XII. 8. XIII. 6. XIV. 9. &c. hæc vero tribuitur Christo ut causæ *efficienti*: Esa. XLIII. 25. *Ego, ego deleo iniquitates tuas propter me.* Joh. XIII. 8. *Nisi lavero te, non habebis partem mecum.* Hebr. I. 3. *Christus per se ipsum purgationem peccatorum nostrorum fecit.* Sanguini Christi, ut causæ *meritoriæ*: Hebr. IX. 13. *Si sanguis taurorum & hircorum & cinis vitulæ adspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*; v. 14. *quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum se ipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?* 1. Joh. I. 7. *Sanguis Jesu Christi, Filii Dei, emundat nos ab omnibus peccatis.* Apoc. I. 5. *Lavit nos a peccatis suo sanguine.* VII. 14. *Dealbaverunt stolas suas in sanguine agni.* Verbo evangelii & sacramento baptismi, ut causæ *instrumentali* ex parte Dei: Mal. III. 3. *sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi.* Joh. XV. 3. *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Eph. V. 26. *Mundat Ecclesiam lavacro aquæ in verbo.* Tit. III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis.* Ac denique fidei salvificæ, ut causæ *instrumentali* ex parte nostri: Act. XV. 9. *Fide purificans corda eorum.* 1. Cor. VI. 11. *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini Jesu & in Spiritu Dei nostri.* Vtraque purgatio tantum in hac vita locum habet, tertiæ autem alicujus purgationis post hanc vitam exspectandæ nulla uspiam in tota scriptura sit mentio, ex quo sic colligimus: Si purgatio peccatorum duntaxat in hac vita sperandæ, frustra statuitur aliquod purgatorium post hanc vitam. Sed verum

3.) *Purgationem peccatorum tribuit merito Christi & fidei.*

verum prius. Ergo & posterius. Quæ contra hoc argumentum proferuntur, ex Matth. XII. 32. de *remissione peccati in futuro seculo*, suum inferius habebunt locum.

4.) *Pios læto animo mortem adire præcipit.*

§. CLXXXIX. 4.) Cum illis scripturæ dictis, in quibus præcepta, promissa & exempla εὐθανασίας proponuntur, quæ non tantum nullam futuri cujusdam cruciatus ac tormenti formidinem piis in Christum credentibus incutiunt, sed etiam spei, fiduciæ & exsultationis materiam ipsorum animis ingerunt. Job. XIX. 25. *Scio, quod redemtor meus vivit, & rursum circumdabor pelle mea.* Psalm. XXXI. 6. inquit David: *In manus tuas commendo spiritum meum.* XXVII. 13. *Credo videre bona Domini, in terra viventium.* CXVI. 7. *convertere anima mea in requiem tuam.* v. 9. *Ambulabo coram Domino in regione viventium.* Luc. II. 29. ait Simeon: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Act. VII. 58. *Domine suscipe spiritum meum.* 2. Cor. V. 1. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus tabernaculi dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus &c.* v. 2. *Nam & in hoc ingemiscimus habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes.* v. 8. *Confidimus autem, & bonam voluntatem habemus, peregrinari magis a corpore & præsentes esse ad Dominum.* Phil. I. 23. *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* 1. Thess. IV. 13. *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini sicut cæteri, qui spem non habent.* 2. Tim. I. 12. *Potens est depositum meum servare in diem illum.* IV. 6. *Ego jam immolor & tempus resolutionis meæ instat.* v. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* v. 8. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex &c.* 1 Pet. IV. 19. *Qui patiuntur, fideli creatori commendent animas suas in benefaciendo.* Apoc. II. 10 *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Ex quibus omnibus sic colligimus: Si piis in Christum vere credentibus post mortem metuendæ essent purgatorii flammæ, ab inferni igne sola duratione differentes, non possent ad lætam εὐθανασίαν divinitus animari, nec possent in pace, quiete, fiducia ac desiderio cœlestis beatitudinis discedere. Sed consequens repugnat præceptis, promissis & exemplis εὐθανασίας in scriptura propositis. Ergo antecedens adseri nequit. Si excipere velint, *aliam esse rationem illorum sanctorum, qui sine interventu purgatorii ad cælum subvolarunt, aliam vero eorum, qui cum peccatis venialibus decesserunt, quæ in purgatorio prius sunt expianda, antequam in cælum admittantur*; resp. nec illos sanctos a venialibus culpis fuisse penitus immunes, sed eas fide in Christum sibi condonari petierunt. Quare cum idem spiritus fidei sit in omnibus vere credentibus, 2. Cor. IV. 13. utique etiam omnes vere credentes peccatorum suorum condonationem impetrant, & *finem fidei*, salutem scilicet æternam absque intermedio quodam purgatorio consequuntur; 1. Petr. I. 9. ac probe notandum, quod apostolus 2. Tim. IV. 8. *coronam illam justitiæ* non solum sibi, sed *omnibus Christum diligentibus*, repositam esse doceat, ac ubique reliquos vere credentes sibi adsociet.

Dictum Luc. XXIII. 43. Hodie mecum eris in paradiso.

§. CXC. Cumprimis vero evidens est exemplum *conversi latronis*, cui Christus Luc. XXIII. 43. verissimam ac largissimam illam promissionem offert: *Hodie mecum eris in paradiso*; quorum verborum fatente Becano hic est sensus: *Non differam illud beneficium, quod a me petis in futurum tempus, sed jam tibi omnia peccata condono, & promitto, quod hoc ipso die futurus sis mecum in statu beatitudinis.* Certe si quis alius purgatione aliqua post mortem ante paradisi ingressum indigeret, hic latro vel maxime ea indigere videbatur; nullius enim boni operis, nedum plenariæ satisfactionis pro peccatis a se præstitæ sibi conscius erat; *nos*, inquit, *digna factis recipimus.* v. 41. Num vero Christus eum ablegat prius ad purgatorium, ut per illud sordes peccati in ipso prius excoquantur? minime vero, sed recta, in paradi-

radisum ipsum introducit. Num hic intervenerunt vigiliæ, missæ, justa septendialia, trigesimalia, anniversaria? minime vero, sed fides gratuitæ promissioni Christi adhærens in paradisum cœlestem ipsum transfert. Excipiunt pontificii 1.) *Quis confirmare ausit, latronem illum non venisse in purgatorium, sed recta transiisse in paradisum?* Schoppius in apolog. contra Hunnium p. 74. *Resp.* id vero Christus confirmat, dicens: *Hodie mecum eris in paradiso*; eo ipso igitur die conversus latro cum Christo adscendit in paradisum, non autem descendit in purgatorium. Vitus Miletus in specul. Colon. anno 1582. impresso p. 349. paradisum transformat in infernum, dicens, *latronem in purgatorium, vel certe in limbum eo die pervenisse, qui uterque est inferni sinus.* At ubi quæso in tota scriptura paradisus ponitur pro inferni sinu? Vnde pii veteres hunc latronem non in infernum, sed in *locum quietis & felicitatis* collocant. Clemens Romanus lib. V. const. cap. 16. *Christus concessa illi rerum præteritarum oblivione, in paradisum eum introduxit ad fruendum mysticorum bonorum suavitate.* Confer Augustinum lib. XII. de Genes. ad lit. c. 24. Chrysostomum hom. III. de pœnit. &c. Quod quidam *hodie* conjungunt cum præcedentibus: *hodie dico tibi*; id verba Christi plane insipida reddit. Quæ enim in eo emphasis, *hodie tibi dico, eris mecum in paradiso*? an non audiebat latro, Christum loqui secum in illa die? imo vero in eo nucleus hujus promissionis continetur, quod *hoc ipso die* cum Christo in regno Dei & in paradiso futurus sit, cum memoriam sui non deponi a Christo duntaxat petiisset. Et quis non videt, per adverbium *hodie* Christum respondere voluisse ad illud adverbium *quando*, quod in petitione latronis continetur: *memento mei, quando veneris in regnum tuum*? ut sit sensus, *hodie erit illud quando.* Confer Theophylactum in comm. qui diligenter hoc subterfugium refellit. Si fingas, *latronem brevissimo temporis spatio fuisse in purgatorio, & eo ipso die in paradisum perveniisse*, non poterit illud conciliari cum hypothesibus doctrinæ de purgatorio, quod, quo minor fuerit & imperfectior satisfactio pro peccatis in hac vita, eo longior in purgatorio requiratur mora, nec satis conveniet divinæ justitiæ, quod alii minoribus ac paucioribus peccatis obnoxii diutius in purgatorio crucientur, quam hic ipse latro, qui per totam vitam flagitiis fuerat infamis. Quibus igitur argumentis Bellarminus lib. I. de beat. sanctor. c. 3. refellit expositionem eorum, qui dicunt, *latroni promissum fuisse paradisum, sed dandum post resurrectionem; dixisse autem Christum, hodie mecum eris, propter rei futuræ certitudinem, quomodo prophetæ sæpe exprimunt res futuras per tempus præsens aut præteritum;* iisdem etiam refellere possumus expositionem eorum, qui putant, animam latronis prius deductam in purgatorium, postea demum emigrasse in cœlum. "Non oportet „(inquit Bellarminus) recurrere ad figuras, „& relinquere propriam verborum significatio„nem, nisi quando alioquin absurditas aliqua „sequeretur; neque ista sunt verba prophetica, „ut oportuerit ea velari obscuritate, sed con„tinent simplicem promissionem, & proinde „simpliciter intelligenda sunt.„ 2.) *Mors durissima patientissimo animo tolerata & confessio tam admiranda eo tempore, quo Christum apostoli ipsi negabant, potuit juste in plenam satisfactionem reputari.* Bellarminus lib. I. de purg. c. 12. Vnde Jesuitæ in colloquio Ratisb. sess. I. p. 46. edit. Lauing. latronem illum vocarunt *Christi martyrem. Resp.* imo vero latro verbis expressis testatur, quod nequaquam in suis passionibus ac meritis, sed in sola benignitate divina & Christi merito peccatorum remissionem & salutem unice quærat. Diserte profitetur, se *digna factis suis recipere*; quando igitur passionem suam meritoriam vel satisfactoriam judicaret? Passio hujus latronis non fuit δοκιμασία, sed τιμωρία, multo ergo minus fuit μαρτύριον, omnium minime est λύτρον pro peccatis Deo satisfaciens, quæ gloria soli passioni Christi competit. Latro sua passione non satisfecit Deo, sed legibus magistratus facinorosis mortem

tem irrogantibus; quomodo igitur ejus passio apud Deum vel meritoria vel satisfactoria esse potuit? *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maleficus*, inquit Petrus 1. epist. IV. 15. at hic latro passus est ut *maleficus*; dicit enim *nos digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit*; quomodo igitur ipsius passio in plenam satisfactionem reputari potuit, cum ne quidem piorum afflictiones, quas propter Christum a persecutoribus sustinent, meritoriæ ac satisfactoriæ dici possint, ut alibi plenius fuit demonstratum? Quod si tam seria contritio, tam admirabilis patientia & tam illustris confessio perfectæ satisfactionis loco huic latroni esse potuit, utique, proportione facta, minor contritio, minor patientia & confessio non tam illustris perfectæ satisfactionis mensuram adimplere possunt in illis, qui non fuere tam gravibus & enormibus peccatis per totam vitam obnoxii, & sic denuo purgatorio igni ab exsinctione periculum impendet. 3.) *Privilegia paucorum non faciunt regulam.* Hac exceptione utitur Becanus in adpend. disp. de purg. Calvin. p. 109. *Resp.* imo vero hoc non est *personale* aliquod privilegium, sed generalis promissionis omnibus in Christum vere credentibus factæ, Joh. V. 24. XIV. 3. XVII. 24. Apoc. XIV. 13. complementum & exemplum, scriptum non solum propter latronem, sed etiam propter nos, ut firmiter statuamus, omnes vere pœnitentes & in Christum credentes sine purgatorii interventu in paradisum post mortem pervenire. Apostolus non solum de se, sed de omnibus piis & vere credentibus dicit 2 Cor. V. 1. *Scimus, quoniam si terrestris domus dissoluta fuerit, ædificationem ex Deo habemus.* v. 2. *In hoc ingemiscimus.* v. 8. *Desideramus magis peregrinari e corpore.* Vt enim una atque eadem est Dei justificantis & salvantis misericordia, ut unum idemque Christi meritum, ut una eademque evangelica promissio, ut unus atque idem justificationis modus, ita quoque unus atque idem fidei justificantis est effectus, quod videlicet vere credentes non veniunt in judicium, nec descendunt in purgatorii tormentum, sed post mortem transeunt in paradisum. Quemadmodum igitur apostolus ex Abrahæ exemplo recte probat gratuitam ex fide in Christum justificationem, Rom. IV. 1. ita ex latronis conversi exemplo recte probare possumus vere credentium ex morte in vitam sine ullo purgatorii interventu translationem. Origenes hom. XV. in Gen. *Quod dixit ad latronem, hodie mecum eris in paradiso, hoc non illi solum dictum, sed & omnibus sanctis.* Auctor quæstionum ad Antioch. quæ Athanasio tribuuntur quæst. XIX. *Non propter solam latronis animam Christus Deus noster paradisum aperuit, sed etiam ob reliquas omnes sanctorum animas.* Confer harmon. evang. de pass. cap. XV. p. 743.

§. CXCI. 5.) Cum illis scripturæ dictis, quæ testantur, omnes vere in Christum credentes statim a morte felices ac beatos esse, ac animas ipsorum, quamprimum corporis nexu solvuntur, e vestigio & immediate, in ipso solutionis momento, sine ulla intercapedine aut intervallo in paradisum transferri, quæ ἀδιάστατος καὶ ἀνεμπόδιστος animarum in cœlum translatio purgatorii somnio directe adversatur. Sic enim concludimus: Quorum animæ sine ulla interjecta mora & impedimento ad paradisi gaudia transferuntur, illæ non detruduntur in ignem quemdam purgatorium. Sed omnium vere piorum & in Christum credentium animæ sine ulla interjecta mora & impedimento ad paradisi gaudia transferuntur. Ergo. *Adsumtum* probatur ex dictis & exemplis vet. & nov. test. Enochus a Deo *translatus est in paradisum*, Gen. V. 24. Sir. XLIV. 16. XLIX. 16. Hebr. XI. 5. Elias *curru & equis igneis subvectus est in cœlum* 2. Reg. II. 11. anima Lazari *ab angelis portatur in sinum Abrahæ*, Luc. XVI. 22. ubi *consolatione fruitur.* v. 25. Jam vero ὠδῖνι & παράκλησις sunt sibi invicem oppositæ; ergo non sensit anima Lazari ὠδῖνας in purgatorio, sed παράκλησιν in Abrahæ gremio. Christus verbis ex Psalm. XXXI. 6. *spiritum suum*

5.) *Animas piorum sine mora ad paradisi gaudia introduci adserit.*

ſuum moriens Patri commendans vocem corporis ſui myſtici in ſe transfigurat, ut Auguſtinus in expoſit. illius pſalmi loquitur; unde etiam Stephanus morti vicinus dicit Act. VII. 58. *Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Ergo ſpiritus fidelium ſtatim a morte a Domino in gloriam & beatitudinem ſuſcipiuntur. Sap. III. 1. *Juſtorum animæ ſunt in manu Dei, & non tangit illas tormentum.* v. 3. *Sunt in pace.* Atqui purgatorii tormenta ſunt omnibus hujus vitæ tormentis, adeoque ipſis mortis doloribus incomparabiliter majora. Ergo animæ juſtorum non veniunt in purgatorium. Cap. IV. 7. *Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Atqui animæ in purgatorii flammis æſtuantes non habent refrigerium. Eccl. XII. 7. *Spiritus redit ad Deum, qui dedit eum.* Atqui animæ in purgatorio *a dæmonibus torquentur, ut multæ revelationes docent*, Bellarminus lib. II. de purg. c. 13. Eſa. LVII. 2. *Juſti per mortem ad pacem veniant, requieſcunt in cubilibus ſuis.* Atqui in purgatorii flammis non eſt pax neque requies. Joh. III. 18. *Qui credit in Filium, non judicatur*, v. 36. ſed *habet vitam æternam.* At purgatorium eſt *locus judicii & ſinus inferni.* Joh. V. 24. *Amen, amen, dico vobis, quia, qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & non venit in judicium*, ſed μετάβεβηκεν, *tranſiit a morte ad vitam. Subjectum* eſt, qui verbum Chriſti audit, & credit ei, qui miſit ipſum, id eſt, omnis vere in Chriſtum credens. *Prædicata* ſunt, quod talis habeat vitam æternam: atqui purgatorium eſt *ſinus quidam inferni*; quod non veniat in judicium: atqui purgatorium eſt *locus judicii.* Bellarminus lib. I. de indulg. c. 14. *in quo non eſt locus miſericordiæ, ſed juſtitiæ*; lib. ejusdem cap. 9. quod μεταβέβηκεν a morte ad vitam; atqui in purgatorio nondum facta eſt illa μετάβασις, ſed in futuro adhuc exſpectatur, ac proinde anima in purgatorio dici nequit μεταβέβηκεν in *præterito*, ſed dicendum eſt μεταβήσει in *futuro.* Joh. XII. 26. *Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* XVII. 24. *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, etiam illi mecum ſint, & videant gloriam meam.* Jam vero in purgatorio non conſpicitur Chriſti gloria, ſed ſentitur vindex Dei juſtitia. 2. Cor. V. 1. *Si terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvitur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam æternam in cœlis.* Ergo diſſolutioni habitationis terrenæ immediate ſuccedit ædificii cœleſtis occupatio. v. 8. *Cupimus magis emigrare ex corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Phil. I. 23. *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* In his dictis emigrare & diſſolvi ex corpore cum præſentia ad Deum & cum Chriſto eſſe in gloria immediate connectuntur, Hebr. IV. 3. *Nos credentes ingrediemur in requiem*, per mortem ſcilicet. At purgatorium non eſt locus quietis, ſed laboris ac doloris. Apoc. VII. 14. *Qui dealbaverunt ſtolas ſuas in ſanguine agni*, v. 15. *illi ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die ac nocte in templo, & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos.* Atqui animæ in purgatorio deſudantes nondum fruuntur viſione Dei. v. 16. *Non cadet ſuper illos ſol nec ullus æſtus* πᾶν καῦμα. Atqui in purgatorio eſt exquiſitiſſimum καῦμα, ignis ſcilicet corporeus. Apoc. XIV. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur* ἀπάρτι *a modo, profecto dicit ſpiritus, quod requieſcant a laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur eos.* Hic piis in Domino mortuis tribuitur μακαριότης. At in purgatorio non eſt μακαριότης, ſed ἀλγηδὼν, θρῆνος, κλαῦσις; tribuitur illis ἀνάπαυσις, at in purgatorio eſt πόνος καὶ κόπος, dicuntur iidem beati a morte ἀπάρτι, id quod excludit omnia & ſingula ἀναβολῆς revolutionis intervalla inter mortem & beatitudinem interjecta. Quidam huc referunt verba pſaltis Pſal. CXVI. 15. *Pretioſa eſt mors ſanctorum in conſpectu Domini*; ac ſtatim additur v. 16. *ecce ego ſervus tuus*; ex quo colligit Auguſtinus in expoſitione illius pſalmi, *beatam eſſe conditionem morientium in Domino, quia cives ſunt ſupernæ ac cœleſtis Hieroſolymæ.* At, qui purgatorii flammis torquentur, eorum mors non eſt pretioſa, nec illi ſunt cives cœli, ſed incolæ inferni, quippe cujus

ſinus

sinus est purgatorium. Item, quod in vulgata versione latina dicitur Psalm. CXXVII. 2. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini*; ut sit sensus: *fideles post mortem statim adeunt possessionem cœlestis hereditatis, & æterna fruuntur beatitudine absque ullis intermediis cujusdam purgatorii tormentis.* Sed hæc a textu Hebræo sunt remotiora.

Exceptiones Bellarmini ad s. argumentum.

§. CXCII. Excipit Bellarminus 1.) Psalm. CXXVII. *ab Augustino exponi de generali resurrectione, ut sit sensus: Cum dormierint per mortem corporalem omnes electi, ecce hereditas Domini, id est, continuo tunc adparebit hereditas Christi resurgentibus in gloria omnibus ejus electis, quæ hereditas est etiam merces ejusdem Christi, qui passione & morte sua nos adquisivit. Resp.* nos hoc testimonio contra purgatorium κατ' ἀλήθειαν non utimur; novimus enim scopum psaltis esse, docere, non *quando* cœlestis hereditas Dei filiis sit obventura, sed quod benedictio divina citra immoderatum laborem ac dolorem necessaria ad vitæ sustentationem ipsis conferat, Prov. X. 22. Novimus in Hebræo esse, non *cum dederit*, sed יִתֵּן, *sic dabit dilectis suis somnum.* Novimus verba illa: *sic dabit dilectis somnum*; per *athnachta* distingui a verbis sequentibus: *Ecce hereditas Domini filii*; *merces fructus ventris.* Novimus, per filios hic non intelligi tantum pios & genuinos Dei filios, sed in genere omnes parentum piorum corporales filios. Sed κατ' ἄνθρωπον contra pontificios, auctoritati vulgatæ versionis per concilium Trident. adstrictos & patrum interpretationem amplectentes, hoc psaltis dicto quidam utuntur, quia verba illa, ut apud veterem interpretem ponuntur, præ se ferunt, quod somnum sive mortem dilectorum Dei filiorum statim & immediate, non autem demum post aliquot annorum tormenta in purgatorio sustinenda hereditatis cœlestis possessio consequatur. Sed de hoc loco pluribus agere non est operæ pretium; respondeat Bellarminus claris & perspicuis illis dictis, quæ, de statu piorum post mortem beato ac felici, modo enumeravimus, & res omnis erit in vado. 2.) 2. Cor. V. 1. *apostolum id solum asserere, patere domum cœlestem post mortem, non patere ante mortem*; *quod autem continuo omnes pii transferantur ad cœlum post mortem, ipsum non dicere, sed contrarium potius indicare, cum ait*: Si tamen vestiti & non nudi inveniamur. *Significat enim his verbis, eos, qui meritis & virtutibus vestiti sunt, ac proinde perfectam pœnitentiam in hac vita egerunt, mox in domum cœlestem deduci, alios autem salvari quidem, sed tamen quasi per ignem, ut idem ait* 1. Cor. III. *Resp.* apostolus in genere pronunciat: *Si domus terrenæ nostræ habitationis dissolvitur, habemus domum non manu factam, æternam in cœlis*; ac se ipsum etiam includit; non autem putamus, apostolum a Bellarmino relegatum iri in purgatorium. Neque id solum adserit apostolus, domum cœlestem non patere ante mortem, sed docet insuper, eam statim a morte omnibus piis e vestigio patere, quia immediato & indivulso nexu conjungit *terreni habitaculi dissolutionem & domus cœlestis non manu factæ, sed a Deo paratæ, beatam occupationem*, sicut etiam v. 8. immediate conjungit, *peregrinari ex corpore & præsentem esse ad Dominum.* Vtique ergo pii ex hac vita non prius abeunt in purgatorii diversorium, sed recta & immediate ad cœleste perveniunt domicilium. Quod adtinet verba, *si tamen vestiti, non nudi inveniamur*; in illis non agitur de vestitu meritorum, quibus homines possint coram Dei judicio consistere; ea enim interpretatio fidei analogiæ ac toti scripturæ repugnat: sed de veste justitiæ Christi per veram fidem induta, Esa. LXI. 10. Matth. XXII. 11. Gal. III. 27. qua veste qui destituuntur, illi non ingrediuntur purgatorium, quia ex hypothesi pontificiorum animæ in purgatorio *fide & caritate* sunt ornatæ; sed ejiciuntur in *tenebras* inferni *exteriores* Matth. XXII. 13. Quidam verba apostoli sic exponunt: *Siquidem induti corpore, non nudi, id est, exuti corpore in adventu Domini, reperiemur, quia igno-*

ignorabat apostolus, esseine victurus usque ad Domini adventum. Sed prior expositio est simplicior & scripturis convenientior. Confer Flacium part. II. clavisseq. p. 338. 3.) Apoc. XIV. *a modo non significare a morte uniuscujusque, sed ab extremo judicio, de quo in toto illo capite Johannes loquitur.* Eadem exceptione utitur Costerus in ench. cap. 16. de purgat. *Resp.* ἀπάρτι est *ab instanti*, ab illo ipso temporis momento, quo pii in Domino moriuntur, verba enim intelligenda sunt secundum subjectam materiam. Si a die demum extremi judicii beatos pronunciaret in Domino mortuos, non posset dicere, quod jamdum ante judicium *requiescant a laboribus suis.* Falsum vero est, Johannem in toto illo capite loqui *tantum* de extremo judicio, quia agit de præconio evangelii & clade antichristi judicium extremum præcessura; ideo autem consolationem illam pro morientibus in Domino inspergit, quia antichristus gravissimam contra ecclesiam persecutionem movebit, ac piorum cæde & sanguine omnia replebit v. 12. *Hic patientia sanctorum est.* Quomodo vero illud ἀπάρτι intelligendum sit, ejus rei optima interpretatio sumitur ex concione Christi Luc. XVI. 22. ubi de anima Lazari dicitur, quod *statim a morte* ab angelis portata sit in sinum Abrahæ; & ex promissione Christi, Luc. XXIII. 43. ubi latroni dicit: *Hodie mecum eris in paradiso*; imo ex ipso Johanne, qui statum animarum piarum post mortem sic describit VII. 14. *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas & dealbaverunt eas in sanguine agni.* v. 15. *Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte, & qui sedet in throno, habitat super illos.* v. 16. *Non esurient nec sitient amplius, nec cadet super illos sol, nec ullus æstus.* v. 17. *Quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos & deducet eos ad fontes vivos aquarum, & absterget Deus omnem lacrimam ex oculis eorum.* Videt Bellarminus exceptionis infirmitatem, ideo aliter excipit, *loqui Johannem de viris perfectis, ac præsertim de sanctis martyribus, qui simpliciter moriuntur cum Domino, neque aliquid purgandum secum ferunt; nam qui decedunt cum peccatis venialibus aut cum debito pœnæ alicujus temporalis, ii non simpliciter moriuntur in Domino, sed partim in Domino, ratione caritatis, quam secum ferunt, partim non in Domino, ratione peccatorum, quæ nihilominus secum ferunt. Resp.* per *mortuos in Domino* intelliguntur quidem martyres, sed *non soli*, verum in genere omnes vere pii, in fide Christi vera & viva mortui, ut manifeste colligitur ex loco apostolico 1. Thess. IV. 14. & 16. In Domino igitur moriuntur illi omnes, qui in vita & morte omnem suam fiduciam in Christum collocant, qui verbum Christi servant, qui animas suas Christo in vera fide commendant, id quod non solum martyribus, sed omnibus vere piis competit. Perquam vero absurdum est, quod Bellarminus scribit, *quosdam mori partim in Domino, partim non in Domino*; ut enim regnum Dei & regnum diaboli sibi immediate opponuntur, ita quoque immediata est oppositio inter τὸ *mori in Domino* & τὸ *non mori in Domino*, inter τὸ *cruciari in purgatorio* & τὸ *beatum esse in cælo*, inter τὸ *esse filium Dei* & τὸ *esse filium diaboli.* Augustinus quidem lib. III. contra duas epist. pelag. c. 3. dicit, *quosdam filios seculi esse etiam filios Dei*; sed ex eo nunquam exsculpere poterit Bellarminus, *quosdam mori partim in Domino, partim non in Domino*; quia infirmitas illa carnis, ratione cujus dicuntur adhuc filii hujus seculi, & peccata, quæ in carne adhuc in hac vita secum circumferunt, non impediunt, quo minus sint & dicantur filii Dei, nec efficit, ut partim non in Domino moriantur, quia peccata illa per fidem in Christum teguntur ac condonantur, quin imo in morte a peccato justificantur, hoc est, penitus liberantur a peccati fomite & radice. Rom. VI. 7. In hac quidem vita quilibet pius partim novum, partim veterem hominem circumfert, sed in termino vitæ una cum corpore peccati veterem hominem exuit, & totus efficitur novus. Alii ex pontificiis excipiunt, *mortuos in Domino requiescere a labori-*

boribus merendi, non autem a laboribus satisfaciendi ac patiendi. At spiritus sanctus absolute pronunciat, quod in ipso mortis articulo omnes labores, dolores, miseriæ & omnia mala, quæ felicitatem ac beatitudinem impediunt, a piis tollantur.

6.) *Duo tantum ψυχοδοχεῖα post mortem enumerat.*

§. CXCIII. 6.) Cum illis scripturæ dictis, quæ duo duntaxat ψυχοδοχεῖα sive *animarum* post mortem *receptacula* enumerant, tertium vero locum intermedium prorsus ignorant: 1.Sam. XXV. 29. animæ piorum *colligantur in fasciculo viventium*, impiorum vero animæ *ejaculatione* seu fundo *jaciuntur.* Matth. III. 12. *Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam. & congregabit triticum in horreum suum; paleas autem comburet igni inextinguibili.* VII. 13. *Porta una deducit ad perditionem, altera ad vitam.* VIII. 11. *Pii cum sanctis patriarchis recumbunt in regno cœlorum, impii ejiciuntur in tenebras exteriores.* XXV. 46. *Impii abeunt in supplicium æternum, justi in vitam æternam.* Marc. XVI. 16. *Qui crediderit, salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur.* Luc. XVI. 22. *Lazarus ab angelis portatur in Abrahæ sinum, dives epulo detruditur in infernum.* Joh. III. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super ipsum &c.* Confer ea, quæ superius §. 184. dicta. Excipiunt pontificii, *in his & similibus scripturæ dictis agi de locis perpetuis, non autem de statibus temporariis.* Schoppius in apol. contra Hunnium p. 73. n. 152. *Resp.* 1.) Principium in hac exceptione petitur; id enim in quæstione est, an animæ e corpore solutæ in statum quemdam temporarium & locum intermedium transferantur, antequam ad locum perpetuum sive æternum suum domicilium perveniant? Contrarium enim ostendimus in præcedentibus. 2.) Non solum post extremum judicium, in quo purgatorium finem suum accepturum dicunt, sed etiam ante illud extremum judicium duo duntaxat animarum receptacula scriptura agnoscit, ut ex dictis evidenter patet. 3.) Perpetuæ & immotæ veritatis est illud Augustini lib. I. de peccat. merit. & remiss. c. 28 *Non est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo*; quia inter regnum Christi & regnum diaboli non datur aliquod intermedium. 4.) Sicut in hac vita est immediata oppositio inter *credentes & incredulos*, inter *filios Dei & filios diaboli*, inter *bonos & malos*, ut ostendimus superius; ita quoque post hanc vitam etiam ante extremum judicium est immediata oppositio inter *salvationem* ac *damnationem*, inter *paradisum & infernum*, tormentorum locum. 5.) Quemadmodum Christus Luc. XI. 23. dicit: *Qui non est mecum, adversum me est*; ita, qui non statim a morte cum Christo esse incipit, nunquam cœlestem ejus gloriam videbit.

7.) *Peccatorum remissionem ad hanc vitam restringit.*

§. CXCIV. 7.) Cum illis scripturæ dictis, quæ peccatorum remissionem, gratiam Dei & salutem consequendam ad hanc vitam eo modo restringunt, ut ministerio verbi ac sacramentorum, itemque potestate clavis solventis, intercedente fide cujusque propria, in his terris beneficia illa obtinenda esse adserant, post mortem vero nullum tempus eadem consequendi superesse innuant. Psalm. XXXIX. 14. *Define a me, & recreabor, priusquam vadam & non sim.* XCV. 7. *Hodie si vocem ejus audiveritis &c.* Matth. IX. 6. Filius hominis habet potestatem *in terra* dimittendi peccata. XVI. 19. XVIII. 18. *Quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum in cœlis, & quod solveritis super terram, erit solutum in cœlis.* 2.Cor. VI. 2. *Ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis.* Ex quibus sic concludimus: Si in hac duntaxat vita peccatorum remissio & salus per fidem, ministerio verbi & sacramentorum accensam, obtinetur vel amittitur, frustra quædam pro peccatis satisfactio in purgatorio statuitur. Sed prius. Ergo & posterius. Possunt etiam ad hunc locum referri dicta, quæ

testantur, ea, quæ in hac vita egimus bona, ad judicium adduci, non autem, quæ vel ipsi in purgatorio fumus passi, vel alii pro nobis satisfactionis loco fecerunt: Matth. XXV. 35. *Esurivi & dedistis mihi cibum &c.* 1. Cor. III. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum ἴδιον κόπον, proprium laborem.* 2. Cor. V. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, prout gessit in corpore sive bonum sive malum.* Gal. VI. 5. *Unusquisque suum onus portabit.* v. 7. *Quidquid seminaverit homo, hoc & metet.* Apoc. XIV. 13. *Opera illorum sequuntur eos.* Ex quibus sic inferimus: Si ea tantum in judicium adducentur, quæ in hac vita quisque bona vel mala gessit, frustra in purgatorio pro peccatis solutio & satisfactio speratur. Sed verum prius. Ergo & posterius. Adde, quod scriptura non nisi hujus vitæ termino pœnas temporales circumscribat, & quæ post mortem irrogantur, æternas fore doceat. 2. Cor. IV. 18. *Quæ cernuntur, temporalia sunt, quæ vero non videntur, æterna.* Apoc. X. 7. jurat angelus, quod *tempus non erit amplius.* Augustinus de ver. relig. c. 38. *Omnia temporalia transeuntia mundus iste complectitur.* Ex quibus sic concludimus: Si daretur post hanc vitam ignis purgatorius, ille non foret temporalis, sed æternus. Consequens adversarii negant, ergo nec antecedens debent ponere.

Exceptio Bellarmini ad 7) argumentum.

§. CXCV. Excipit Bellarminus, *etiam illos, qui remissionis & purgationis locum inveniunt in futuro seculo, nihil recipere, nisi quod gesserunt in proprio corpore, id enim meruerunt perseverando in fide & caritate usque ad mortem, ut etiam post mortem purgari & juvari possent. Resp.* id ipsum vero in quæstione est, an quis bonis suis operibus hoc promereri possit, ut post mortem a peccatis purgetur, & suffragiis viventium juvetur? contrarium ostendunt modo adlata scripturæ testimonia. Quod si enim animabus in purgatorio liberatio ex pœnis per suffragia vivorum contingit, utique in judicio Dei non recipiunt ea, quæ per proprium corpus gesserunt, sed ea, quæ alii ipsarum loco præstiterunt. Si in judicio habetur duntaxat eorum ratio, quæ pii in corpore fecerunt, utique non adtenditur ad ea, quæ in purgatorio passi fuerunt.

8.) *Negat mortuos vivorum suffragiis juvari posse.*

§. CXCVI. 8.) Cum illis scripturæ dictis, quæ negant, suffragiis vivorum mortuos post hanc vitam juvari posse. Psalm. XLIX. 8. *Frater redimendo non redimet quemquam, non dabit Deo placationem suam.* v. 9. *Pretiosa nimis redemtio animæ eorum, ut quiescat quis in seculum.* v. 10. *Etiamsi adhuc vivat in seculum, nec videat sepulcrum.* Eccl. IX. 5. 6. *Mortui non habent ultra mercedem; nec partem in hoc seculo in opere, quod sub sole geritur*; quæ verba Targum Chaldaicum sic exponit: "Justi „sciunt, quod, si peccaverint, reputandi sint „pro mortuis in seculo futuro. Quare cavent „sibi a peccato, & quando peccaverunt, pœ„nitentiam agunt. Peccatores vero nihil boni „sciunt, quia non student bonis operibus, & „ideo nihil sciunt boni ad seculum futurum, „& non est eis merces bona post mortem ipso„rum, quia oblivioni data est memoria eorum „inter justos. Post mortem suam impii non „habent utilitatem ullam; etiam amor, etiam „odium, etiam æmulatio ipsorum periit de „mundo. Et non est ipsis ulla communio „boni cum justis in seculo venturo, neque „etiam ullum commodum ex iis, quæ gesta „sunt in seculo præsenti, percipiunt.„ (Bellarminus lib. II. de purg. c. 15. excipit, *sermonem esse de bonis hujus vitæ, quod mortui non sciant, quid agatur de rebus, quas hic reliquerunt. Resp.* Latina versio, quæ per concilium Tridentinum facta est pontificiis authentica, notanter dicit, quod *non habeant partem in hoc seculo in opere, quod sub sole geritur.* Ergo non est communicatio operum & suffragiorum inter viventes & defunctos. Idem ex oppositione vivorum ac mortuorum facile

facile intelligitur.) Matth. V. 26. *Non exibis inde, donec persolveris extremum quadrantem.* XXV. 8. *Fatuæ virgines dicunt sapientibus: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur;* sed v. 9. prudentes respondent: *Ne forte non sufficiat nobis & vobis.* Marc. III. 29. *Qui blasphemaverit in spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum.* Ex quibus sic inferimus: Si mortui non possunt juvari suffragiis vivorum, frustra animabus in purgatorio sudantibus spes veniæ & salutis a vivorum meritis exspectandæ proponitur. Sed verum prius. Ergo & posterius. Quæ pro adstruendis suffragiis adferuntur, suo loco postea expendentur.

2.) *Ex inferno liberationem patere negat.*

§. CXCVII. 2.) Denique cum illis scripturæ dictis, quæ conditionem degentium in inferno describunt. Cum enim *sinus* quidam *inferni* sit purgatorium, ita ut in una eademque voragine purgatorium & infernus statuatur, ideo ad animas in purgatorio æstuantes merito adplicantur, quæ de statu degentium in inferno scriptura prædicat. Psalm. VI. 6. *Non in morte memoria tui, in inferno quis confitebitur tibi?* Glossa ordinaria in morte recte interpretatur *post mortem*, quia loquitur psaltes de statu eorum, qui post mortem in infernum descendunt; illos negat *Deo confiteri*, id est, Deum laudare & glorificare. Atqui si in inferno nulla est Dei memoria, quomodo in purgatorio finguntur esse animæ fidelium ac Dei filiorum, fide, spe & caritate ornatæ, ac proinde etiam Deum glorificantes? Psalm. XLIX. 15. *Sicut pecora in inferno ponentur, mors depascet eos.* Quotquot igitur in infernum descendunt, morti æternæ sunt & manent obnoxii, nec unquam ad vitam eluctari possunt. Eccl. IX. 10. *Non opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos, quo tu properas.* Hic locus teste Bellarmino lib. II. de purgatorio cap. 2. non agit de *inferno inferiore, sed de inferno in genere, ut complectitur omnia loca, ad quæ descendebant omnes homines ante Christi resurrectionem.* Ergo ex hypothesi pontificiorum etiam ad purgatorium recte adcommodatur; in eum vero sic commentatur Olympiodorus: *In inferno cum practicæ operationes esse non possint, qui ibi propter patrata flagitia sunt sepulti, ad id tantummodo delati sunt in infernum, ut æternis torqueantur suppliciis. Resp.* Salomon in eumdem sic commentatur: *Non est opus, quo possis justificari in inferno, & quid poterit homo facere, ut illinc se liberet?* Similia habentur in Midras Misle Prov. XI. 21. Huc referenda omnia scripturæ dicta, quæ de inferno agunt; in illis enim infernus describitur, non ut carcer *temporarius*, sed *perpetuus*, ex quo non patet ad vitam & salutem reditus. Luc. XVI. 26. *Magnum chaos* inter beatos & eos, qui sunt in inferno; *firmatum est, ut hi, qui volunt ex inferno transire ad beatos, non possint, ac qui portas inferni semel ingressus est*, nunquam ex eo eluctabitur, nec per portam vitæ ingredietur, quia *clausa est janua.* Matth. XXV. 10. Confer Augustinum epist. XCIX. ad Evod. ubi multis probat, nomen *inferni* nuspiam in scripturis sacris in bonum accipi.

III) *Pugnat cum fidei analogia:*
1.) *Cum articulo de Dei misericordia.*

§. CXCVIII. III) Purgatorium pugnat cum *fidei analogia*, quia complures fidei articulos labefactat, utpote 1.) articulum de *Dei misericordia.* Ea enim in scripturis sacris nobis sic describitur, quod sit sincera, seria & perfecta, ita ut per ac propter eam vere pœnitentibus remittatur non solum culpa, sed etiam pœna; id quod constat ex parabola Christi Matth. XVIII. 27. ubi servo debitori non solum debitum donatur, sed etiam pœna carceris relaxatur. Prosper in sentent. *Ex toto veniam dabit & non dimidiabit.* In veteribus canonibus & glossis recitatur hic versiculus:

Larga Dei pietas veniam non dimidiabit.

Gloss. c. *sceleratior* dist. 3. de pœnit. *Aut nihil aut totum te lacrimante dabit.* Chrysostomus in Psalm. L. *Ubi misericordiæ, ibi pœnæ locus*

locus non est. Quæ enim hæc foret misericordia, si Deus culpam quidem remitteret, pœnam autem vel certe partem pœnæ irrogandam sibi adhuc reservaret? Pro quo adhuc vel satisfactio exigitur vel pœna infligitur, illud nondum plene ac perfecte remissum. Sic creditor, qui a debitore suo satisfactionem vel ex toto vel ex parte postulat, non potest dici totam debiti summam misero debitori condonasse. Jam vero Deus ex gratuita misericordia propter perfectam Christi satisfactionem peccatorum debita vere pœnitentibus & in Christum credentibus plene ac perfecte remittit. Ergo nec satisfactionem ab illis exigit, nec pœnam quamdam ipsis infligit. Confer [illegible] de pœnit. §. 121. 2) Articulum de *Dei justitia.* La cum IV. de pœnitentia cap. 1 & seqq. id ipsum latius deducit, & aliquot *exemplis* probare conatur, *remissa culpa manere adhuc debitum luendæ pœnæ temporalis. Resp.* 1.) Distinguendum inter calamitates *hujus vitæ* & inter pœnas *futuri seculi.* Pontificii quidem nomine pœnæ temporalis, quam post remissum peccatum Deus quibusdam irrogat, intelligunt non solum calamitates *hujus vitæ*, videlicet morbos & mortem, sed etiam pœnas *futuri seculi* in purgatorio sustinendas; sed tota scriptura pœnas temporales post mortem a piis tolerandas penitus ignorat, quia post mortem, novissimum illum hostem, & post hujus vitæ tempus statim succedit æternitas. Eccl. XI. 3. *Vbi ceciderit lignum, ibi erit.* XII. 5. *Abit homo in domum æternitatis suæ.* Gal. VI. 10. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Vana igitur & ficta sunt, quæ de pœnis temporalibus post peccati remissionem adhuc in purgatorio sustinendis pontificii nugantur. Pii enim, ut in morte a peccati radice ac fomite purgantur, Rom. VI. 7. ita quoque ab omnibus peccati pœnis perfecte liberantur. 2.) Quod calamitates hujus vitæ adtinet, quibus pii post acceptam peccatorum condonationem adhuc subjiciuntur, illæ non sunt pœnæ *proprie* & exacte *sic dictæ*, quasi scilicet Deus ea ratione culpam condonet, ut pœnam æternam mutet in temporalem, pro qua piis vel in hac vita vel

2.) *Cum articulo de Dei justitia.*

non permittit, ut remissa culpa adhuc irrogetur pœna. Inter culpam & pœnam est perpetua quædam relatio; unde scriptura sacra per unum *peccati* vocabulum & culpam & pœnam exprimit Lev. XX. Augustinus lib. I. retract. cap. 9. *Omnis pœna, si justa est, pœna peccati est.* Thomas part. I. 2. q. 87. artic. 7. *Omnis pœna, quæ mere & proprie est, pœna est propter aliquam culpam.* Pererius in Genesin IX. num. 163. p. 541. *Si pœna proprie sumatur, necessario respondet peccato, nec sine eo potest esse, siquidem per pœnam compensatur & reficitur æqualitas justitiæ per peccatum violatæ.* Bellarminus ipse lib. I. de pœnitent. c. 7. *Culpa est causa pœnæ, cum ex culpa nascatur obligatio ad pœnam.* Lib. III. de laicis c. 11. *Culpa & pœna relativæ sunt.* Vbi ergo plenaria & perfecta remissio culpæ locum habet, ibi pœna omnis proprie sic dicta est sublata. Augustinus, vel quicunque alius auctor libri de vera & falsa pœnitentia cap. 9. *Quædam impietas infidelitatis est, ab eo, qui justus & justitia est, dimidiam sperare veniam.* Quid quod culpæ remissio nihil aliud est, quam pœnæ relaxatio & condonatio. Peccatum originale quoad radicem ac fomitem (mortificatum tamen & refractum) semper manet in renatis in carne adhuc viventibus, peccatum actuale ratione actus transit; quando vero remittitur, non ex facto infectum redditur, sed tantum reatus & obligatio ad pœnam tollitur. Pugnant igitur inter se, peccatum vere remissum esse, & tamen pœnam proprie dictam propter peccatum adhuc sustinendam esse.

§. CXCIX. Excipit Bellarminus lib. I. de purg. c. 14. argumentum retorquendo: *Si post remissam culpam nulla remanet pœna, cur post remissam culpam adhuc tam multa patimur, & tandem etiam morimur? & ne dicamus, esse paternas castigationes in remedium futuri peccati, cur infantes baptizati ægrotant, qui tamen non sunt capaces peccati actualis?* Lib.

Exceptio Bellarmini.

vel in purgatorio satisfaciendum, ut sic pœnæ istæ temporales sint compensationes pœnæ æternæ, ac satisfactiones pro peccatis; sed respectu *aliorum hominum* sunt publica indicia judicii divini adversus peccata; respectu *ipsorum piorum* sunt memorialia præcedentium & cautelæ futurorum. Itemque exercitia pœnitentiæ, quæ in hac vita debet esse perpetua, fidei, obedientiæ in cruce, spei, petitionis & exspectationis auxilii divini per liberationem vel mitigationem, ut in tractat. de pœnit. §. 125. latius fuit expositum. 3.) Quod si enim calamitates illæ essent pœnæ proprie & exacte sic dictæ, tum procederent a Deo irato, ac essent signa iræ divinæ, quod scilicet persona illa sub ira Dei adhuc sit constituta, ac nondum ei reconciliata; quin etiam essent testimonia ac principia æternarum pœnarum; hæc enim duo in pœnis, quæ propter peccata impiis irrogantur, perpetuo conspiciuntur. Jam vero de calamitatibus illis sive communibus sive specialibus, quibus pii in hac vita propter peccatum adhuc subjecti sunt, neutrum dici potest. Adpellantur quidem κρίματα, 1.Cor. XI. 32. 1.Pet. IV. 17. sed quæ infliguntur non ad internecionem vel damnationem, sed ad παιδείαν & paternam castigationem, Hebr. XII. 5. quæque proficiscuntur non a Deo irato, sed placato. 4.) Inde quidam distinguunt inter pœnam *supplicii* & pœnam *castigationis*, probationis ac emendationis. Pœna supplicii est pœna proprie & exacte dicta, ac pro peccatis admissis ex ordine justitiæ divinæ debita; ea una cum ipsis peccatis vere in Christum credentibus remittitur. Pœna castigationis seu probationis proprie calamitas dicitur, ac piis etiam post peccatum remissum in hac mortalitate sustinenda relinquitur. Cyprianus lib. IV. epist. IV. *Ad hoc corripit Deus, ut emendet; ad hoc emendat, ut servet.* Chrysostomus homil. de pœn. & confess. *Deus imponit pœnam non exigens supplicia de peccatis, sed ad futura corrigens.* Idem in 1.Cor. homil. XXVIII. *Cum corripimur a Domino, magis est admonitionis quam damnationis, medicinæ quam supplicii, correctionis quam pœnæ.* Augustinus lib. II. de peccat. merit. & remiss. c. 34. *Calamitates ante remissionem sunt supplicia peccatorum, post remissionem sunt certamina exercitationesque justorum.* Tract. CXXIV. in Joh. *Etiam remissis peccatis tolerat homo miseriam, in quam tamen ex peccato venit, vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ.* (vocat quidem ibidem pœnam, sed in sensu laxiore.) Thomas II. 2. q. 108. art. 4. distinguit inter *pœnam quatenus consideratur secundum rationem pœnæ, hoc est, stricte & adcurate, & tum non debetur nisi peccato*; & inter *pœnam, quatenus consideratur ut medicina, & tum aliquis nempe pius interdum punitur sine ipsius culpa, quippe quæ per Christum ipsi condonata, non tamen sine causa.* 5.) Quamvis post peccatum remissum calamitates quædam imponantur, quas generali adpellatione *pœnas* vocari permittimus, non tamen pro illis satisfacere possunt, vel ipsi, vel per alios; talem enim satisfactionem ignorat tota scriptura: sed in vera patientia ac pœnitentia tenentur eas ex manu Dei suscipere, & sub potenti Dei manu sese humiliare, ipsique liberum relinquere, quamdiu sub hoc crucis jugo & calamitatum pondere eos velit laborare. Distinguimus igitur inter *pœnam castigatoriam*, a qua reconciliati cum Deo non sunt semper immunes, & *satisfactoriam*, quam ipsorum loco Christus plenissime persolvit. 6.) In baptizatis infantibus calamitates non solum sunt remedia futuri peccati, sed etiam indicia judicii divini adversus peccatum, tum originale, tum actuale; absit enim, ut infantes a peccatis actualibus penitus immunes cum Bellarmino statuere velimus, cum fomes peccati nunquam sit otiosus, quin & salutaria media ac remedia, per quæ ex hac vita in cœlestem transferantur, & sic ab omni peccato penitus purgentur.

§. CC. Sed enim ne pontificii ulterius clament, *remissis peccatis adhuc manere debitum luendæ pœnæ*, opponimus illis sequentia argu-

argumenta: 1.) Sublata causa tollitur effectus. Sublato fundamento in relatione, tollitur etiam terminus. Culpa est causa & fundamentum pœnæ, quæ est ejus effectus ac terminus, ut paulo ante demonstravimus. Sublata ergo culpa pœna amplius esse nequit. 2.) Contrariarum causarum contrarii sunt effectus. Retentio culpæ est causa, propter quam retinetur pœna. Ergo remissio culpæ est causa, propter quam remittitur pœna. 3.) Si Christi satisfactio est plena & perfecta, utique non solum pro culpa, sed etiam pro pœna satisfecit, & per consequens, non solum a culpa, sed etiam a pœna peccati nos liberavit. Sed verum prius. Ergo & posterius. 4.) Si Christus pœnas peccatorum nostrorum in se suscepit, utique partes satisfaciendi pro pœnis peccatorum nequaquam nobis reliquit. Sed prius, ut paulo post plenius confirmabitur. Ergo & posterius. 5.) Si quædam peccata eo modo remittuntur, ut respectu culpæ in hac vita tollantur ac deleantur, respectu pœnæ in purgatorio pro illis sit satisfaciendum, duplex peccatorum remissio dabitur, una in hac vita, altera post hanc vitam in purgatorio. Sed consequens est absurdum, utpote repugnans non solum scripturis sacris, sed etiam symbolo apostolico, in quo dicimus, nos *credere remissionem peccatorum.* 6.) Si peccati remissio est totalis ejusdem exstinctio ac deletio, ut de eo nihil supersit, consequens est, pro peccato remisso non posse irrogari pœnam. *Ratio* est, quia *non entis nulla sunt accidentia*, & justitia non admittit pœnam infligi, ubi peccatum est penitus exstinctum. Sed prius ex hypothesi pontificiorum. 7.) Si Deus remissa culpa adhuc irroget pœnas, consequens erit, adhuc aliquod κατακριμα esse in illis, qui sunt in Christo, electos adhuc posse accusari, Deum peccatorum remissorum adhuc recordari &c. Consequens repugnat scripturis sacris, Rom. VIII. 1. & 33. Jer. XXXI. 31. quod plenius in sequentibus demonstrabitur. Ergo & antecedens. 8.) Si & culpa & pœna uno *peccati* nomine apud Hebræos exprimuntur, consequens est, tantam tamque arctam esse utriusque conjunctionem, ut remissa culpa etiam pœnæ remittantur, alias enim non posset pœna ac culpa uno eodemque nomine exprimi. Sed verum prius, ut patet ex Levit. X. 19.) Si peccata venialia jamdum remissa nihilo tamen minus pœnis temporalibus subjiciuntur, nullum erit discrimen inter peccata venialia remissa & non remissa. Ratio *connexionis* hæc est, quia peccata venialia ex hypothesi pontificiorum tantum temporales pœnas promerentur. Sed consequens est absurdum. Ergo & antecedens. 10.) Peccata nostra sunt *debita* Matth. VI. 12. pœna pro peccatis est debitorum solutio. Atqui remisso debito non amplius exigitur solutio; *acceptilatione enim vel remissione omnis obligatio tollitur.* Instit. Quibus modis toll. oblig. Ergo etiam remissis peccatis non amplius imponitur pœna.

§. CCI. Insuper & alia ratione figmentum purgatorii *divinæ justitiæ* adversatur, quod sic demonstramus: Si animæ in purgatorio æstuantes per temporarii cujusdam ignis pœnam divinæ justitiæ pro peccatis satisfacere possunt, utique justitiæ divinæ congruit, ut animæ damnatorum, quæ in inferno torquentur, per pœnas diuturniores & graviores divinæ justitiæ tandem satisfaciant, & ex inferno liberentur. Consequens scripturis adversatur. Ergo & antecedens. Excipiunt pontificii, *esse rationem maxime disparem; constitutos enim in inferno esse extra statum gratiæ, constitutos in purgatorio esse in statu gratiæ: illos igitur satisfacere non posse, hos vero posse.* Atqui præterquam, quod principium petitur, urgere possumus hoc argumentum: Vbi tam rigide ac severe integri debiti persolutio exigitur, ut non pateat debitori ex carcere exitus, nisi ultimum quadrantem persolverit, ibi non dominatur indulgens gratia, sed puniens justitia. Jam vero ab animabus in purgatorio æstuantibus tam severe ac rigide integri ac universi debiti persolutio exigitur, ut non pateat illis ex purgatorii carcere exitus, *nisi ultimum quadrantem*

tem perſolverint, docente Bellarmino & aliis pontificiis, qui ex Matth. V. & Luc. XII. purgatorium accendere laborant. Ergo in purgatorio non dominatur gratia, ſed juſtitia. Quod ſi ergo animæ in purgatorio pœnis tolerandis divinæ juſtitiæ ſatisfacere poſſunt, quidni damnati in igne infernali per multas annorum myriadas excarnificati tandem poterunt divinæ juſtitiæ ſatisfacere & ex inferno liberari?

3.) *Cum articulo de meritô Chriſti.*

§. CCII. 3.) Articulum de *Chriſti merito.* Chriſtus ſanctiſſima & perfectiſſima ſua obedientia ac paſſione acerbiſſima non tantum pro originali, ſed etiam pro actualibus peccatis noſtris pleniſſime ſatisfecit, ac pœnas peccatorum noſtrorum in ſeſe recipiendo pro pœnis temporalibus & æternis, propter peccata nobis debitis, pleniſſimam ſatisfactionem Deo præſtitit, id quod in tract. de pœnitentia §. 120. hiſce confirmatum dedimus argumentis: 1.) Sublata culpa tollitur debitum luendæ pœnæ ex natura relatorum. Atqui Chriſtus in ſe ſuſtulit & abſtulit peccata noſtra, Eſa. LIII. 6. Joh. I. 29. 1. Pet. II. 24. Ergo etiam pœnam peccatis noſtris debitam in ſe transtulit, & per conſequens a debito luendæ pœnæ nos liberavit. 2.) Ipſæ peccatorum noſtrorum pœnæ dicuntur Chriſto impoſitæ. Eſa. LIII. 4. *Dolores noſtros ipſe tulit.* v. 5. *Caſtigatio pacis noſtræ* (In Hebræo *retributionum noſtrarum*, id eſt, quæ nobis erat tribuenda) *ſuper eum.* Gal. III. 13. *Factus eſt pro nobis κατάρα maledictum.* Atqui nomine maledictionis, quam lex nobis peccatoribus comminatur, pœnæ temporales & æternæ continentur. 3) Idem ex ſpeciali pœnarum enumeratione, quas Chriſtus propter nos pertulit, manifeſtum: Eſa. LIII. 5. *Vulneratus, attritus eſt propter peccata noſtra.* Gal. III. 13. *Liberavit nos a maledicto legis*, Hebr. II. 14. *a poteſtate ſatanæ*, 1. Theſſ. I. 10. *ab ira Dei*, Oſe. XIII. 14. 1. Cor. XV. 55. 56. 57. *a morte & inferno*, Rom. VIII. 1. *a damnatione &c.* atqui harum pœnarum complexu reliquæ omnes continentur. 4.) Juſtitia Dei non permittit idem peccatum bis puniri. Jam vero Deus peccata noſtra puniit in Filio ſuo, quem propter noſtras iniquitates *percuſſit*: Eſa. LIII. 4. Ergo non puniet ea in piis, per fidem in Chriſtum ſibi reconciliatis, qui ſatisfactionis a Chriſto præſtitæ facti ſunt participes. *Obligationis vis tollitur, ſoluto eo quod debetur*, ait imperator in inſtit. de ſolut. oblig. 5) Si pro peccatorum pœnis nobis adhuc ſatisfaciendum foret, Chriſti ſatisfactio nondum foret ſufficiens, nec ἀπολύτρωσις, ſed ἠμυλύτρωσις per ipſum eſſet præſtita, nec abſolutum redemtionis opus. Contrarium vero teſtatur ſcriptura: Joh. XIX. 30. Rom. III. 24. 1. Cor. I. 30. Eph. I. 7. Col. I. 14. Hebr. X. 14. 6.) Si pro peccatorum pœnis nos poſſemus ſatisfacere, pars redemtionis a Chriſto ad nos transferretur. Contrarium teſtatur ſcriptura, Eſa. LXIII. 3. Hebr. I. 3. Neque Chriſtus ſuum nobiscum ita partitus eſt officium, ut partem aliquam purgationis peccatorum præſtaret ipſe, partem vero reliquam nobis præſtandam relinqueret; ſed per *proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta ſanctorum æterna redemtione inventa*; Hebr. IX. 12. *unam pro peccatis obtulit hoſtiam*; X. 12. *una oblatione conſummavit in ſempiternum eos, qui ſanctificantur.* X. 14. 7.) Et quid multis? teſtatur ipſum jus canonicum, Chriſtum pro culpa & pœna noſtri loco ſatisfeciſſe. Cap. *Filius Dei &c.* diſt. 4. *Filius Dei carnem peccati ſuſcepit & pœnam ſine culpa, ut in carne peccati & culpa ſolveretur & pœna.* Agnoſcunt id ipſum quidam Lovanienſes. Bellarminus lib. I. de indulg. c. 4. *Quidam Lovanienſes tenuerunt ſolius Chriſti ſatisfactionibus remiſſam pœnam temporalem.* Agnoſcit ipſe Bellarminus lib. II. de indulg. c. 10. *Chriſtus ſatisfecit Deo Patri pleniſſime pro reatu culpæ & pœnæ temporalis & æternæ omnium peccatorum.* Pro quo igitur nobis vel in hac vita vel in purgatorio ſatisfaciendum? cur animæ piorum vera fide Chriſti ſatisfactionem amplectentium in purgatorium detruduntur? cur ſatisfactio exigitur pro eo, quod Chriſtus jam ante plene perſolvit?

Exceptiones Bellarmini ad 3) argumentum.

§. CCIII. Excipit Bellarminus: 1.) *Christi meritum sufficit ad omnem culpam & pœnam tollendam, sed tamen debet adplicari, ut sit efficax, alioquin omnes homines salvarentur. Adplicatio illa fit per actus & sacramenta. Voluit autem Deus, ut post baptismum per contritionem & confessionem cum absolutione sacerdotis adplicetur meritum Christi ad tollendam culpam; per opera autem satisfactoria adplicatur ad tollendam pœnam temporalem; nam pœna æterna commutatur in temporalem, quando remittitur culpa.* Salmeronius tom. XIV. disp. XXV. p. 220. *Mors & sanguis Christi non tollit illum ignem, sed potius ei virtutem tribuit, ut possit delere peccata seu pœnas peccatis debitas; nisi enim esset vis passionis Christi illi igni communicata, non purgaret; pœnæ enim illæ patienter toleratæ, per sanguinem Christi expiant animas nostras, ut sine macula adpareant ante Deum.* Eph. V. *Resp.* hæc omnia meras petitiones principii continent. Scriptura nuspiam docet, *per opera nostra satisfactoria Christi meritum nobis adplicari*, sed media adplicationis ex parte Dei statuit esse verbum evangelii, ad quod etiam pertinet absolutio sacerdotis ac sacramenta baptismi & cœnæ dominicæ; ex parte nostra unicum adplicationis medium novit fidem in Christum, cujus anteambulo ac prævia est contritio per prædicationem legis a spiritu sancto excitata, & cujus testificatio externa est peccati humilis confessio Deo vel hominibus facta. Hæc fides in solo Christi merito plenariam pro peccatis satisfactionem quærit, invenit & adprehendit, nequaquam vero vel ex toto vel ex parte propriis operibus satisfactoriis ac meritoriis confidit. Scriptura nuspiam adserit, vim passionis Christi communicari cuidam *igni*, ut possit peccata purgare, sed potius per *baptismi aquam* beneficia Christi morte & passione parta nobis communicari adserit. Mirabilis igitur metamorphosis est, quando Salmeron ad ignem adplicat, quod Paulus de lavacro aquæ in verbo adserit, qua de re in articulo de pœnitentia & justificatione latissime fuit dictum. 2.) *Homo sui ipsius redemtor & salvator adpellatur Dan. IV.* peccata tua eleemosynis redime. *Phil. II.* cum metu & tremore salutem vestram operamini; *nec tamen propterea ulla fit Christo injuria, siquidem tota virtus operum & satisfactionis nostræ a Christi sanguine pendet, & si redimimus peccata, vel operamur salutem, id facimus per ejus Spiritum nobis donatum, vel potius ipse Christi Spiritus ista in nobis operatur, sicut nihil detrahitur Deo, quod per causas secundas operatur. Resp.* Esa. XLV. 21. *Extra me non est Salvator.* Act. IV. 12. *Non est in alio quoquam salus.* Esa. LXIII. 3. *Torcular calcavi solus.* Hebr. I. 3. *Purgationem peccatorum nostrorum fecit δι ἑαυτοῦ, per se ipsum.* XII. 2. *Christus est ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς fidei nostræ.* Ergo solus Christus est noster Salvator ac Redemtor, homo vero non est sui ipsius salvator ac redemtor. Quod 1. Tim. IV. 16. Timotheus *se ipsum & auditores suos salvare* dicitur, id non intelligitur *meritorie* vel *satisfactorie*, sed ὀργανικῶς & *instrumentaliter*, quia Timotheus prædicabat evangelium, quod *est potentia Dei ad salutem omni credenti* Rom. I. 16. Dictum propheticum Dan. IV. 24. agit de signis veræ pœnitentiæ ac remotione pœnarum temporalium. In Hebræo est verbum פרק, quod non significat *redimere* vel *satisfacere*, sed *abrumpere, sistere.* Vid. tract. de pœnitentia §. 91. Dictum apostolicum Phil. II. 12. non de causa meritoria salutis, sed de curriculo & stadio vocationis, in quo fide jam justificati & salvati exclusa carnali securitate ad propositum brabeum contendere debent, agit. Vide tract. de bonis operibus §. 52. *A Christi sanguine & merito in nostra opera ac nostras passiones vim merendi ac satisfaciendi descendere*, sine scripturæ testimonio adseritur. Contrarium late demonstravimus in tract. de bonis operibus §. 96. 3.) *De adplicatione satisfactionis Christi per nostra opera ac nostras passiones tres sunt dicendi modi. Primus est eorum, qui adserunt, esse unam tantum satisfactionem, & illam esse Christi, ac nos proprie non satisfacere, sed solum facere aliquid,*

aliquid, cujus intuitu Deus adplicat nobis Christi satisfactionem, quod est dicere, nostra opera non esse proprie satisfactoria, sed tantum conditiones, sine quibus non adplicaretur nobis Christi satisfactio, vel ad summum esse dispositiones. Ita docet Michael Bajus lib. de indulg. cap. ult. Hæc sententia est tolerabilior reliquis, ac facile reduci potest ad bonum sensum, si loco operum substituatur fides in Christum; testatur enim tota scriptura, non opera, sed fidem esse unicum illud medium, per quod Deus satisfactionem Christi nobis adplicat. Sed hæc moderatio Baji Bellarmino non probatur, ideo sententiam illam vocat *erroneam.* Argumenti loco producit duo principia: primo quod *scriptura & patres passim adpellent opera nostra satisfactiones & peccatorum redemtiones*; deinde *si potest homo justus suis operibus mereri ex condigno vitam æternam, cur non satisfaceret pro pœna temporali, quod est minus?* Sed utramque hypothesin esse falsam & fictam, in tract. de pœnitentia & bonis operibus late demonstratum fuit. *Secundus modus* (inquit) *est eorum, qui statuunt, quod sint duæ satisfactiones, una Christi, altera nostra, sed quarum una pendeat ab altera.* Hic modus Bellarmino *non* videtur *improbabilis. Nam etiamsi una sufficeret, tamen ad majorem Dei gloriam, cui satisfit, & majorem honorem hominis satisfacientis, placuit Christo conjungere nostram satisfactionem suæ, quo modo una gutta sanguinis Christi sufficiebat redimere mundum, & tamen voluit totum sanguinem effundere, ut esset copiosissima redemtio, quo modo etiam homo justus adultus duplici titulo habet jus ad eamdem gloriam, uno ex meritis Christi sibi communicatis per gratiam, altero ex meritis propriis.* Respond. scriptura non nisi *unam* pro peccatis satisfactionem novit, ut argumenta nostræ sententiæ probant; ergo Christi & nostra satisfactio, Christi & nostrum meritum non sunt subordinata, sed opposita, ut in tract. de bonis operibus § 96. latius ostendimus. Quod una gutta sanguinis Christi sufficiens fuisse dicitur ad mundum redimendum, id si respectu ad *dignitatem & infinitatem personæ* habito adseratur, verissime dicitur; sin vero Dei *ordinationem & vaticiniorum prædictionem* respiciamus, non gutta duntaxat, sed rivi sanguinis propter nostram redemtionem in cruce effundi debuerunt. Quod justus adultus duplici jure, videlicet tum meritis Christi per gratiam communicatis, tum meritis propriis regnum cœlorum obtinere dicitur, id scripturis sacris directe adversatur, ut prolixe ostendimus in tract. de bonis operibus §. 100. Tertius modus videtur Bellarmino *probabilior, quod una tantum sit actualis satisfactio, & ea fiat nostra. Neque hinc excluditur Christus vel satisfactio ejus; nam per ejus satisfactionem habemus gratiam, unde satisfacimus, & hoc modo dicitur nobis adplicari Christi satisfactio, non quod immediate ipsa ejus satisfactio tollat pœnam temporalem nobis debitam, sed quod mediate eam tollat, quatenus videlicet ab ea gratiam habemus, sine qua nihil valeret nostra satisfactio. Resp.* scriptura nuspiam dicit, Christum hoc fine pro peccatis nostris satisfeciſſe, ut nostris operibus ac passionibus vim satisfaciendi ac merendi conciliaret, sed potius, ut suam satisfactionem per fidem nobis adplicaret; ipse enim *torcular calcavit solus*, Esa. LXIII. 3. ipse purgationem peccatorum nostrorum fecit *per se ipsum*, Hebr. I. 3. in ipso solo remissionem peccatorum quærere debemus, Act. X. 43. hanc gloriam & hunc honorem non communicat nostris passionibus, sed eum sibi soli reservat, ut fiducia cordis nostri non in nostra opera ac satisfactiones, sed in ipsum & in ipsius meritum unice collocetur. Augustinus lib. IV. ad Bonifacium cap. 4. *Sicut solus Filius Dei factus est Filius hominis, ut nos secum filios Dei faceret: ita pro nobis solus suscepit sine malis meritis pœnam, ut nos per ipsum sine bonis meritis consequeremur indebitam gratiam.* Si una tantum est *actualis satisfactio, eademque est nostra*, ut hoc loco Bellarminus disputat; ergo Christi satisfactio, quam sine nobis & extra nos in ara crucis præstitit, non est plenæ & perfectæ satisfactionis nomine censenda. Quanta

cum absurditate conjunctum, quod nostram satisfactionem dicit esse ipsius Christi satisfactionem? quod Christi & nostram satisfactionem vocat unam? quod perfectissimæ satisfactioni Christi nostram satisfactionem subordinat? Et quantum abest hæc adsertio Bellarmini a blasphemia Ruardi Tapperi, decani quondam Lovanienſis, tom. I. art. VI. pag. 241. „Satisfactio Christi per sufficientiam non me„retur nomen perfectæ satisfactionis, nec „redemtio, nec reconciliatio per sufficientiam „hæc merentur nomina.„ Quantum distat a pronunciato Bielis lib. III. sent. distinct. 19. concl. 5. quod repetunt Vitus Miletus in discuss. sexcent. errorum, & Salmeronius tom. VII. tract. XL. p. 208. "Etsi Christi passio sit prin„cipale meritum, propter quod confertur gra„tia, apertio regni & gloria, nunquam tamen „est sola & totalis causa meritoria, quia sem„per cum merito Christi concurrit aliqua ope„ratio, tanquam meritum de congruo vel de „condigno recipientis gratiam vel gloriam, si „fuerit adultus rationis usum habens, vel al„terius pro eo, si caret usu rationis.„

4.) *Cum articulo de evangelio.*

§. CCIV. 4.) Articulum de *evangelio*. Ostendimus suo loco, evangelium in genuina & propria significatione esse lætum nuncium, de gratuita & plenaria peccatorum propter Christum remissione. Propria igitur evangelii doctrina est offerre credentibus peccatorum condonationem, non autem pœnæ æternæ in temporariam pœnam commutationem. Si evangelium nostram *satisfactionem* vel potius *satispassionem* exigeret, ac commutationem duntaxat, non autem translationem pœnæ factam esse doceret; non amplius foret adnunciatio gratiæ & misericordiæ, sed potius supplicii ex justitia infligendi, ac pœnæ vel in hac vita vel in purgatorio sustinendæ.

5.) *Cum articulo de fructu pœnitentiæ.*

§. CCV. 5.) Articulum de *salutari fructu veræ pœnitentiæ*. Fructus veræ ac salutaris pœnitentiæ inter cæteros est *peccatorum remissio*, Psalm. XXXII. 5. Jerem. XXXVI. 3. Sap. XII. 19. Marc. I. 4. Luc. XXIV. 47. Act. III. 19. V. 31. &c. Atqui ubi peccatorum remissio, ibi non amplius est necessaria pro peccatorum pœnis satisfactio, vel in hac vita vel in purgatorio præstanda. Bellarminus hoc argumentum nostrum tali schemate format: *In baptismo remittitur omnis culpa & pœna. Sed pœnitentia est quædam baptismi commemoratio, imo est baptismus quidam. Nihil igitur post pœnitentiam remanet purgandum.* At nequaquam docemus, veram pœnitentiam esse nudam & historicam duntaxat baptismi recordationem, sine contritione, sine fide, sine vitæ emendatione, ut hoc loco & lib. I. de baptism. cap. 18. per calumniam Bellarminus nobis tribuit, sed ab illis, qui post baptismum in peccata prolabuntur, seriam ac sinceram pœnitentiam requirimus, quam, teste ipsomet Bellarmino lib. I. de pœnit. cap. 19. non nuda baptismi memoria, sed duabus essentialibus partibus, *contritione* scilicet *ac fide*, constare dicimus, ac diserte addimus, contritionem non debere esse fictam, simulatam, externam, superficiariam &c. sed veram, seriam, internam, & ex toto corde; fidem dicimus non esse nudam notitiam historicam, sed fiducialem Christi adprehensionem, quæ hominem ipsum immutat, purgat, & ad omnis generis bona opera fœcundum reddit, ac proinde cum vera pœnitentia studium novæ obedientiæ & emendationem vitæ tanquam immediatum ac perpetuum ejus consequens conjunctum esse docemus. Hoc vero est, quod contra pontificios urgemus, fidem, partem pœnitentiæ alteram, amplecti gratuitam promissionem de remissione peccatorum propter Christum, & hac ratione in vera ac seria pœnitentia non minus, quam in ipso baptismo, credentibus in Christum peccata plene & perfecte remitti, ut nulla opus sit satisfactione propria pro peccatis vel peccatorum pœnis, in hac vita vel in purgatorio præstanda.

Exceptiones Bellarmini

§. CCVI. Quas vero nebulas huic luci offundit Bellarminus? *Pri-*

contra 5) argumentum. *Primo*, inquit, *si sacramentum pœnitentiæ accipiatur catholice & integre, ut comprehendat contritionem, confessionem & satisfactionem plenam & jam perfectam, potest admitti totum argumentum.* *Resp.* pœnitentia catholice & integre definitur per *contritionem & fidem*, ex qua *nova obedientia* instar cujusdam fructus efflorescit, ut probavimus in loco de pœnitentia §. 40. & seqq. nequaquam vero per *contritionem, confessionem & satisfactionem*, ut ostendimus ibidem §. 52. Si satisfactio in purgatorio præstanda est pars pœnitentiæ, tum in purgatorio demum absolvetur vera & salutaris pœnitentia. Atqui clamat tota scriptura, tempus hujus vitæ duntaxat esse tempus pœnitentiæ. 2.) *Si vero accipiatur pro sola absolutione, in qua præcipue sacramentum consistit, negatur consequentia. Nam maximum discrimen est inter sacramentum ablutionis & sacramentum absolutionis. In sacramento ablutionis sive baptismi Deus liberalissime agit, & adplicat Christi meritum per unam illam actionem ablutionis, ad tollendum omnem culpam & pœnam futuri seculi, id est, tam gehennæ, quam purgatorii; nam pœnas temporales hujus vitæ ne baptismus quidem aufert, ut patet in pueris baptizatis ægrotantibus & morientibus. At in sacramento absolutionis Deus contrahit nonnihil manum, & adplicat Christi meritum ad tollendam culpam & pœnam æternam, tamen adhuc requirit opera pœnitentiæ, quibus redimamus temporales pœnas.* *Resp.* hæc omnia sine scripturæ suffragio, imo contra scripturam proferuntur. Spiritus sanctus enim non solum ante susceptum baptismum & in baptismo, sed etiam post baptismum prolapsos in peccata ad *unicam* Christi satisfactionem, in ara crucis pro nobis præstitam, deducit, nunquam vero & nuspiam talem differentiam proponit, ut remissionem peccatorum in baptismo dicat esse mere gratuitam & perfectam, pro illis vero, quæ post baptismum committuntur, satisfactionem ab ipsis peccatoribus exigat, aut pœnam eorum æternam in temporalem commutari asserat, pro qua ipsis hominibus satisfaciendum sit vel in hac vita vel in purgatorio. Confer Rom. III. 25. 1. Joh. II. 1. & 2. Hebr. IV. 15. & 16. &c. Quod si in baptismo tantum plena & perfecta peccatorum remissio contingit, in pœnitentia vero pœnæ peccatorum a nobis ipsis ac per nos ipsos exsolvendæ relinquuntur, consequens erit, Christum pro originali duntaxat peccato, cujus remissio in baptismo obtingit; non autem pro actualibus peccatis satisfeciisse, vel certe Christum non pro omnibus peccatorum pœnis plenam satisfactionem præstitisse; consequetur & illud, satisfactiones nostras esse duriores ac laboriosiores gravissimis passionibus Christi, de quibus ipse conqueritur Psalm. XXII. 1. Esa. XLIII. 24. Matth. XXVII. 46. &c. quinimo humanæ satisfactiones statuentur majoris meriti & efficaciæ, quam ipsius Christi satisfactio, quia per & propter illas tolluntur pœnæ peccatorum actualium, adeoque ipsa actualia delicta; sed propter hanc tollitur duntaxat peccatum originale in baptismo. Sed & dividetur opus redemtionis ac satisfactionis inter Christum & homines, imo plus præstabit homo peccator, quam Christus mediator, quia pœnæ actualium peccatorum, pro quibus satisfaciunt homines, sunt longe graviores & atrociores pœna originalis peccati, pro qua satisfecit Christus. Πρῶτον ψεῦδος pontificiæ opinionis consistit in eo, quod baptismi efficaciam & fructum restringunt ad illud temporis momentum, quo baptizato hoc sacramentum confertur, ac fœdus, quod Deus in baptismo nobiscum init, fragile ac temporarium statuunt, ita ut, nobis post baptismum peccantibus, illud plane dissiliat, ac proinde nulla consolatio ex eo in vera pœnitentia peti possit, cujus contrarium ostendimus in tract. de bapt. §. 154. Monstretur autem vel unicus scripturæ locus, in quo talis differentia inter remissionem peccatorum gratuitam & perfectam in baptismo, & inter remissionem satisfactoriam ac semiplenam in pœnitentia statuatur. 3.) Adfert locum Hebr. VI. 4. *Impossibile est, eos, qui semel illuminati, id est, baptizati, renovari ad* *Hebr. VI. 4.*

pœnitentiam. Et X. 26. *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, id est, post illuminationem baptismi non relinquitur hostia pro peccato, id est, non relinquitur alius Christus patiens & moriens, cui possimus rursum commori per baptismum.* Ex quo loco posteriore dicit, *haberi argumentum insigne pro purgatorio. Nam statim additur adversativa particula, sed terribilis exspectatio judicii & ignis æmulatio, quæ consumtura est adversarios. Si enim iste ignis significaret solum ignem gehennæ, sequeretur, omnes, qui peccant post baptismum, necessario damnandos, vel certe Paulum inepte loqui. Nec enim recte dicimus, peccanti post baptismum non relinquitur alius baptismus, sed gehenna, si præter baptismum sunt alia remedia, ut revera sunt. Oportet ergo dicere, Paulum per ignem intelligere ignem in genere, sive purgatorii, sive gehennæ, ut sit sensus: Peccanti post baptismum non relinquitur alius baptismus, neque alium remedium æquivalens, id est, æque facile, quod mox liberet ab omni pœna; sed relinquitur ignis necessario aut perpetuo, si homo non convertatur, aut temporalis, si convertatur, qui tamen ignis temporalis purgatorii erit in alio seculo, nisi adflictionis ignis voluntarie adsumtus purgaverit hominem in hac vita. Resp.* ex pumice citius aquam, quam ex hoc silice purgatorii ignis scintillam extorserit Bellarminus; uterque enim locus agit non de quibusvis peccatoribus, sed de illis, qui peccant in Spiritum sanctum, quod probamus 1.) ex consideratione *subjecti.* Loquitur enim apostolus de illis, qui primo sunt φωτισθέντες, qui per evangelii prædicationem & veritatis cœlestis cognitionem divinitus fuere *illuminati.* Secundo: *qui gustaverunt donum cæleste & bonum Dei verbum & virtutes futuri seculi,* id est, qui in Christum prius crediderunt, suavitatem evangelii intimo spiritus gustu perceperunt, & æternæ felicitatis προγευσιν quamdam in corde senserunt. Tertio: qui *participes sunt facti Spiritus sancti,* per quem scilicet spirituali & interna luce fuere illustrati, sanctificati, & gustu vitæ æternæ donati. Quarto: qui *prius fuere renovati;* id colligitur ex phrasi πάλιν ἀνακαινίζειν. Quinto: qui veræ *pœnitentiæ* prius *fuere participes;* id colligitur ex phrasi ἀνακαινίζειν εἰς μετανοιαν. Sexto: qui per *sanguinem testamenti* prius fuere *sanctificati,* Hebr. X. 29. hoc est, a peccatis purgati ac mundati, IX. 14. Septimo: qui *Spiritum gratiæ* acceperunt, sed ex hac felicitate *prolabuntur;* παραπεσόντες, significat eos, qui ab agnita & in cordibus ipsorum obsignata veritate per totalem ἀποστασίαν prolabuntur, & quidem ἑκουσίως, *data opera* ac destinata malitia; *inde crucifigunt sibi ipsis Filium Dei,* eumque ostentui habent Hebr. VI. 6. *Filium Dei conculcant & sanguinem testamenti pollutum ducunt, quo sanctificati sunt, & Spiritum gratiæ contumelia adficiunt,* hoc est, non ex infirmitate vel metu, sed voluntaria malitia contra internum conscientiæ & Spiritus testimonium ita a veritate deficiunt, ut Christum & ipsius evangelium calumniis & convitiis infectentur. Hæc omnia conjunctim sumta, in descriptione subjecti posita, nullis nisi peccantibus in Spiritum sanctum conveniunt. 2.) Ex consideratione *prædicati.* Illos, qui expositio modo prolabuntur, impossibile esse dicit apostolus *ad pœnitentiam iteram renovari,* quia scilicet medium, per quod Spiritus sanctus pœnitentiam in cordibus operatur, præfracte & pertinaciter repudiant, ac proinde quia ad pœnitentiam eos renovari ἀδύνατον, ideo etiam remissionem hujus peccati *nec in hoc nec in futuro seculo,* id est, in æternum non consequuntur, Matth. XII. 31. Marc. III. 28. proinde nihil aliud eos manet, quam *terribilis exspectatio judicii & æmulatio ignis, qui consumturus est adversarios;* quæ descriptio perquam absurde ad ignem purgatorium refertur; is enim non consumit, sed purgat; ac animæ in purgatorio æstuantes non exspectant terribile judicium, sed potius lætam ex hoc igne liberationem, unde plerique disputant, *eas de salute sua esse certas.* Confer tract. de peccat. actual. §. 109. de pœnitent. §. 16. ubi varias hujus loci interpretationes propositimus. 3.) Ex *confessione ipsius Bellarmini* lib. I. de

verbo

verbo Dei cap. 17. resp. ad 5. argumentum: *Apostolus non de quocunque peccatore loquitur, sed de eo, qui peccat in Spiritum sanctum, id est, qui voluntarie oppugnat cognitam & exploratam veritatem.* Eadem est sententia Gregorii de Valent. tom. III. comm. theolog. Vasquez, Riberæ & Cornelii a Lapide, qui in comm. Hebr. VI. eam triplici argumento probat: 1.) quia apostolus v. seq. vocat *terram maledictam*, quæ, rore cœlestis gratiæ & fidei recepto, profert tamen *spinas* apostasiæ, ideoque *reproba est & igne comburenda*; apostatæ enim fere omnes pœnitentia expiari non possunt, sed obdurati & reprobi sunt, ideoque in gehennam relegantur. 2.) Quia pœnitentia non baptismum, sed pœnitentiam significat eorum, qui in peccatum prolapsi sunt post illuminationem. 3.) Quia cap. X. 26. omnino similiter de his apostatis loquitur, quod eorum apostasia nullo sacrificio pro peccato, nulla pœnitentia expiari possit. Confer eumdem Cornelium in comm. Hebr. X. ubi itidem aliquot argumentis probat, apostolum non de quibusvis peccantibus, sed de apostatis a Christo & ecclesia loqui, ac pœnam illam ignis post extremum judicium demum (in quo juxta Bellarminum cessabit purgatorium) ipsis irrogandam. Explicationi veterum, qua hunc locum de negata iteratione baptismi accipiunt, ut sit sensus, lapsis post baptismum non esse paratum peccatorum remedium in baptismi iteratione, (quo modo eum exponunt Epiphanius contra Catharos, Cyrillus lib. V. in Johan. XVII. Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Anshelmus & Sedulius in comm. Augustinus in fine expos. inchoatæ in epist. ad Roman. ac de vera & falsa pœnit. c. 3. quos sequitur Bellarminus lib. I. de pœn. cap. 13.) illi, inquam, expositioni merito hoc obvertitur, quod apostolus non tantum baptismi iterationem, sed etiam ἀνακαινισμὸν ad pœnitentiam ejusmodi peccatoribus deneget, nec difficile duntaxat, sed ἀδύνατον esse adserat, eos iterum ad pœnitentiam renovari. Et quale fuisset hoc argumentum apostoli dehortantis ab atroci illo, de quo agit, peccato: Si prolapsi fueritis, non poteritis quidem rebaptizari, interim per reconciliationem ac pœnitentiam potestis renovari? Præterea si vel maxime illam veterum interpretationem recipiamus, ea tamen non suffragatur purgatorio. Lapsis post baptismum non patet ad baptismi iterationem aditus; interim tamen ad gratiam ac fœdus baptismi per veram pœnitentiam reditus ipsis patet. Quod autem vera ac salutaris pœnitentia complectatur satisfactionem, vel in hac vita vel in purgatorio præstandam, illud apostolus nec hoc loco nec alibi addit, sed de suo Bellarminus adnectit.

§. CCVII. 6.) Articulum de *peccatorum remissione*, in qua justificatio consistit. 1.) Deus per filium suum reconciliatus, in justificatione eo modo peccata credentibus in eum remittit, ut eorum *non recordetur amplius*, Psalm. XXV. 7. Jerem. XXXI. 34. Ezech. XVIII. 22. ut *projiciat ea post tergum*, Esa. XXXVIII. 17. *demergat in profundum maris*, Mich. VII. 19. *deleat instar nubis*, Esa. XLIV. 22. *non imputet, sed tegat*, Psalm. XXXII. 1. *ut tam longe ea removeat, quam longe distat oriens ab occidente*, Psalm. CIII. 12. &c. At si Deus post remissionem peccata adhuc punit, utique eadem imputat; si pœnas pro illis adhuc exigit, utique ad calculos revocat; si vindicat, eorum recordatur; si examinat, post tergum non projecit; si ad judicium vocat, tecta non habet &c. Tertullianus de bapt. c. 5. p. 221. *Exemto reatu eximitur pœna.* Ergo a contrario sensu posita pœna ponitur adhuc reatus. Augustinus in Psalm. XXXI. conc. II. *Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire; noluit agnoscere, maluit ignoscere.* Ergo a contrario sensu, si adhuc punit, utique nondum texit. Audiat Bellarminus Toletum lib. VI. inst. c. 22. p. 526. *Peccatum non integre remittitur, nisi cum & pœna aufertur.* Imo audiat se ipsum lib. V. de amiss. grat. & statu pec-

6.) *Cum articulo de peccatorum remissione.*

peccati cap. 20. *Tunc peccatum omnino perfecte censetur remissum, cum non solum culpa, sed etiam omnis pœna fuerit remissa.* Lib. I. de purgator. cap. 4. *Perfecta peccati remissio completitur remissionem culpæ & pœnæ.* Ergo a contrario sensu si omnis pœna nondum est remissa, ipsum etiam peccatum nondum est perfecte remissum. 2.) Deus condonat peccata ex mera gratia, inde enim debitorum *remissio*, non autem *persolutio* adpellatur. Atqui hæc gratuita peccatorum remissio cum satisfactione propria vel in hac vita vel in purgatorio præstanda nunquam conciliari poterit. Quod enim per propria merita ac per propias satisfactiones obtinetur, illud *gratis* dari nemo dicit, & vice versa, quod gratis contingit, illud non datur per & propter proprias satisfactiones. 3.) Exempla eorum, qui in vera pœnitentia Deo per fidem in Christo reconciliati sunt, testantur, absque ullis propriis satisfactionibus peccata ipsis remissa & peccatorum pœnas relaxatas. De Petro in jure canonico cap. 1. dist. 1. de pœnit. adlegatur dictum Ambrosii lib. X. in Luc. XXII. *Lacrimas Petri lego, satisfactionem non lego.* Latro in cruce sine satisfactionis propriæ interventu fide in Christum Deo reconciliatus & protinus in paradisum receptus est. Huc referenda omnia exempla reconciliatorum post baptismum, quibus nuspiam vel Christus vel apostoli opera satisfactoria impoluerunt.

Exceptiones Bellarmini contra 6) argumentum.

§. CCVIII. Excipit Bellarminus lib. I. de purgat. cap. 12. 1.) *non recordari iniquitatum nihil aliud esse, quam non servare inimicitiam cum eo, qui peccavit. Nam si recordari iniquitatum esset punire mala merita, recordari justitiarum esset remunerari bona merita, quod adversarii non concedunt.* Resp. *Si non recordari iniquitatum* est non servare inimicitiam cum eo, qui peccavit, utique calamitates, quibus pii post remissam culpam adhuc subjecti sunt, non sunt pœnæ proprie sic dictæ, nec sunt satisfactiones pro peccatis vel pœnis peccatorum adhuc persolvendæ; alias Deus partem iræ suæ adhuc reservaret, & in calamitatibus illis effunderet, adeoque iniquitatum adhuc recordaretur. Porro recte invicem hæc duo conferuntur: *recordari iniquitatum & recordari justitiarum.* Recordari justitiarum est remunerari justitias sive bona opera, quod nos libenter concedimus, quippe qui ex apostolo didicimus, *pietatem habere præmia præsentis & futuræ vitæ*, 1. Tim. IV. 8. sed ex eo nimis large infert Bellarminus, remunerationem justitiarum fieri ex *merito*, sicut pœna iniquitatum ex merito infligitur; est enim hac in parte dispar ratio inter bona & mala opera, & inter pœnam malorum ac remunerationem bonorum operum, ut alibi plenius ostendimus. Propheta nullam meritorum bonorum, sed *justitiarum* mentionem facit; de suo igitur hoc Bellarminus adjicit. 2.) *Recordari iniquitatum est quidem punire, sed non punire in æternum. Ut enim justitiæ traduntur oblivioni, quando justus a justitia se avertit, non quod non remunerentur temporali aliquo præmio, sed quod non liberent hominem a gehenna, nec remunerentur præmio sempiterno; ita quoque iniquitates traduntur oblivioni, non quod non puniantur pœna aliqua temporali, sed quod non puniantur supplitiis æternis. Resp.* contradicit hæc exceptio priori, & petit principium. Si enim Deus temporalibus pœnis proprie sic dictis adhuc vindicat peccata, utique etiam hactenus & hoc respectu eorum recordatur. Si peccatorum reatum tam perfecte Deus sustulit, ut ne recordari quidem eorum velit, quomodo adhuc infligeret pœnas easdem, quas damnati in inferno sustinent, sola duratione excepta? Si satisfactionem adhuc pro peccatis exigit, utique plene & perfecte ea nondum condonavit. Ad comparationem dicimus, quod justus a justitia se avertens & temporalia & æterna justitiæ suæ præmia amittat, quia non amplius est in statu gratiæ & υἱοθεσίας, nec amplius facit opera vere bona, quorum intuitu ac respectu Deus ipsi conferat præmia. Si quæ corporalia beneficia Deus in ipsum confert, ea non tam pietatis præmia sunt, quam inde-

indebita exuberantis divinæ gratiæ munera. Quod si vel maxime Deus ex gratia justitias eorum, qui a justitia se avertunt, temporalibus præmiis proprie & adcurate sic dictis adhuc remuneraretur, nondum tamen sequitur, ipsum etiam ex justitia iniquitates eorum, qui ab eis se avertunt, pœnis temporalibus proprie & adcurate sic dictis vindicare, quia *misericordia superexaltat judicium*, Jacob. II, 13. ac Deus *punit infra condignum*, *remuneratur autem supra condignum*, ut scholastici recte loquuntur. Denique si vel maxime post remissum peccatum pœnas temporales Deus irrogaret; ex eo tamen inferri non posset, post hanc vitam in purgatorio quasdam pœnas infligi, quia, ut superius ostendimus, omnes pœnæ temporales cum hac vita finiuntur, ac in futuro seculo absoluta regnat æternitas.

7.) *Cum articulo de statu hominum justificatorum.*

§. CCIX. 7.) Articulum de *justificationis fructu & hominum fide justificatorum statu.* Docet apostolus, fructum justificationis esse *pacem conscientiæ*, Rom. V. 1. *justificati ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum* v. 2. *per quem accessum habemus fide ad gratiam illam, in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei:* Christum esse credentibus *justitiam, sanctificationem ac redemtionem*, 1. Cor. I. 30. *nihil damnationis esse in iis, qui sunt in Christo*, Rom. VIII. 1. *sed spe illos salvos esse factos*, v. 24. nec quemquam esse, qui eos *adcuset vel condemnet* v. 33. & 34. cum certi sint *de gratia & favore Dei.* v. 38. *ac vitam æternam habeant*; Joh. III. 36. qua spe etiam *gaudent*, Rom. XII. 12. *cum fiducia ad thronum gratiæ accedunt*, Hebr. IV. 16. & Deo *sine timore serviunt*; Luc. I. 74. unde *in pace* beatam ex hac vita ἀνάλυσιν & emigrationem ad Dominum exspectant, Luc. II. 29. 2. Cor. V. 8. &c. At si fide justificati, nondum tamen plene purgati scirent, descendendum sibi esse in purgatorium quemdam ignem, cujus flammæ sola duratione ab infernalibus distant, inque eo per multas annorum δεκάδας esse desudandum & æstuandum, quomodo in conscientia pacem haberent, quomodo nihil damnationis sibi metuendum esse statuerent, quomodo sine timore Deo servirent? Pacem enim habere & inferorum cruciatus per aliquot annorum centurias perferre invicem pugnant. Si vere pii in Christum credentes sunt *dealbati super nivem*, Psalm. LI. 9. Esa. I. 18. utique nullæ in eis supersunt maculæ in purgatorio igne abluendæ. Excipit 1.) Bellarminus dicto loco, *Paulum* Rom. VIII. 1. *loqui de concupiscentia, ac velle dicere, quod ii, qui sunt in Christo, non consentiant motibus carnis suæ, nec quidquam peccati contrahant ex ejusmodi motibus. Resp.* verba illa apostolica συμπεράσματος instar ex præcedentibus inferuntur, ut ostendit particula ἄρα. Dixerat autem apostolus in præcedenti cap. VII. 25. *Gratias ago Deo per Christum Jesum Dominum nostrum, qui scilicet liberabit me de corpore mortis hujus, igitur mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*; ex quo porro infert, *nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum*; v. 2. subjicit rationem: *Lex enim Spiritus vitæ in Christo liberavit me a lege peccati & mortis.* Sensus est, quamvis in renatis adhuc hæreat peccatum, tamen ad reatum & damnationem illis non imputatur, quia sunt *in Christo*, & quia per Spiritum illud mortificant, nec patiuntur illud in corpore suo mortali regnare &c. Atqui si renati & justificati pœnis peccatorum adhuc essent obnoxii, utique κατάκριμα aliquod in illis adhuc locum haberet. Si ad purgatorium condemnarentur, utique *aliquid damnationis* in ipsis adhuc esset. Prior igitur Bellarmini explicatio, quod ii, qui sunt in Christo, non consentiant motibus carnis, vera est, sed non plena; posterior vero, quod renati ex motibus carnis nihil quidquam peccati contrahant, prorsus falsa est & præcedentis capitis septimi διηγήσει directe repugnans. 2.) Alii ex pontificiis excipiunt, *eos, qui justificati sunt justificatione prima, pacem conscientiæ habere, cum Christi passione a purgatorii*

gatorii pœnis liberati sint; justificatos autem justificatione secunda, scire quidem pœnas illas sibi luendas, sed tamen pacem habere, quia sciant, se gratiam a Deo habere pœnas illas aliis operibus redimendi vel sponte susceptis vel a sacerdote impositis, Schoppius apol. cap. LIII. n. 154. *Resp.* scriptura non nisi *unam* coram Dei judicio justificationem novit, ut in tract. de justif. §. 150. & bonis operibus §. 82. docuimus. Nec ullibi in tota scriptura adfertur, dari nobis a Deo gratiam, qua possimus vel nobis ipsis vel aliis quidquam promereri, vel qua possimus pro nostris aut aliorum peccatis satisfacere, nisi velimus dicere, nos esse a Christo factos *redemtores ac salvatores mundi*, quod non solum scriptura detestatur, hanc gloriam uni Christo passim tribuens, sed etiam Bellarminus ipse judicat esse absurdissimum. lib. II. de justif. c. 7. arg. 5. Quod si vel maxime talis gratia satisfaciendi in purgatorio nobis daretur, quomodo cum *exspectatione horribilis judicii & cruciatus in igne* illo sustinendi pax conscientiæ & læta beatæ ἀναλύσεως exspectatio consistere posset?

8.) *Cum articulo de extremo judicio.*

§. CCX. 8.) Articulum de *extremo judicio*. In ultimo illo decretorio ac censorio die omnes homines in duas classes distribuentur, & per vocem summi judicis quidam adjudicabuntur *cælo*, quidam vero *inferno*, nulli vero in purgatorium prius exurendi relegabuntur; unde Bellarminus ipse fatetur, quod *tunc purgatorium finem suum sit accepturum*, lib. I. de purg. cap. 12. resp. ad 5. object. Atqui si in extremo judicio non erit aliquis purgatorius ignis, utique nec hoc tempore aliquis erit, quia causæ justificationis & salutis, Dei scilicet misericordia, Christi meritum, verbum evangelii & vera in Christum fides sunt ejusdem & æqualis virtutis ante judicium, quam in ipso judicio; ac si justitiæ divinæ non repugnat, eos, quos vivos dies novissimus deprehendit, sine purgatorii ignis interventu in paradisum transferri, utique etiam eidem non adversabitur, eos, qui ante judicium in Domino moriuntur, a purgatorii flammis immunes ac liberos in cœlum emigrare. Excipiunt pontificii, *etiam eos, qui culpis venialibus & reatu pœnæ temporalis in die judicii inveniuntur obstricti, suum habituros purgatorium, cum in cælestem Hierosolymam nihil coinquinatum ingrediatur*, Apoc. XXI. 27. *purgandos enim ipsos esse tum gravissima illa tribulatione, quæ novissimum diem præcedet, tum igne e cœlis descendente, quando in nubibus obviam rapientur Domino.* 1. Thess. IV. 17. *Resp.* 1.) Hac ratione nondum vindicata est Dei justitia, cui non satis convenire videtur, ut multa millia hominum, paulo ante novissimum diem defunctorum, tempore brevissimo in purgatorio detineat, quin & eos, quos dies novissimus deprehendit vivos, plane in purgatorium non immittat, atque interim reliquos peccatis non majoribus obnoxios per aliquot annorum decadas imo centurias in purgatorio torqueri permittat. 2.) Eadem ratione tria statuentur purgatoria, unum intra *viscera terræ* in eadem cum inferno voragine, Bellarminus lib. IV. de Christo c. 9. & lib. II. de purgat. c. 6. alterum in *prato quodam florentissimo, lucidissimo, odorato & amœno*, idem libri ejusdem cap. 7. & tertium *in aëre vel in nubibus*, in quibus *obviam rapientur Domino* electi, qui ad extremum diem viventes pertingunt 1. Thess. IV. 17. Hisce adde visiones *de animabus in balneo purgatis, de anima Severini in flumine purgata, de anima Paschasii in thermis Puteolanis æstuante*, quas visiones ex Gregorio lib. IV. dial. c. 40. & 55. recitat Bellarminus lib. II. de purgat. c. 6. & plurima omnino habebis purgatoria. 3.) Tribulatio novissimum diem præcessura non erit purgatoria peccati, sed monitoria judicii & excitatoria spiritualis gaudii ob liberationem piorum adpropinquantem Luc. XXI. 28. ignis de cœlo descendens non erit purgans, sed consumens, quippe quo *elementa dissolventur & cæli conflagrabunt*, 2. Pet. III. 7. 4.) Si tribulatio extremum judicium præcessura sufficit piis ad extremum diem viventibus ad peccatorum purgationem, quidni etiam reliquis piis,

piis, qui ante noviſſimum diem moriuntur, calamitates, quas varias & graves in hac vita ſuſtinent, ad peccatorum purgationem ſufficerent? 5.) Flamma illa ignis, cum qua & in qua Chriſtus e cœlo revelabitur, non εἰς κάθαρσιν piorum, ſed εἰς ἐκδίκησιν impiorum atque incredulorum deſcendet docente apoſtolo, 2. Theſſ. I. 8. ſicut Sodoma & Gomorra *factæ ſunt exemplum ignis æterni δίκην ſuſtinentes*, epiſt. Jud. v. 7.

IV) *Cum propriis pontificiorum hypotheſibus.*

§. CCXI. IV) Purgatorium pugnat cum *propriis hypotheſibus pontificiorum*, utpote 1.) cum hypotheſi de *remiſſione peccati*, quam definiunt per totalem peccati deletionem & exſtinctionem. Quemadmodum enim luce fugantur tenebræ, ita per lucem habitualis gratiæ in juſtificatione infuſæ peccatorum tenebras diſpelli autumant. Bellarminus lib. II. de juſtif. c. 2. *Homo per juſtitiam ſibi a ſole donatam atque infuſam deſinit eſſe injuſtus, delente videlicet lumine gratiæ tenebras peccatorum, & incipit eſſe juſtus, ſuccedente nimirum tenebris peccatorum ipſa juſtitiæ luce.* Cap. 13. *Remiſſio peccati eſt ipſius iniquitatis & maculæ in animo reſidentis per infuſionem gratiæ & juſtitiæ mundatio.* Lib. I. de bapt. cap. 13. *Scriptura comparat mundationem juſtificationis rebus vere & proprie mundis Pſalm. L. Lavabis me & ſuper nivem dealbabor. Eſa. I. Si fuerint peccata veſtra, ut coccinum, ſicut nix dealbabuntur &c. At certe cum ſolaris radius diſſolvit nebulas calore ſuo, ita eas evaneſcere facit, ut nihil remaneat tenebrarum, ſed cœlum vere ſerenum adpareat.* Ex eo ſic concludimus: Qui in purgatorium a pontificiis ablegantur, aut ſunt Deo reconciliati & juſtificati, aut non ſunt reconciliati nec juſtificati. Poſterius dici nequit, quia, qui Deo reconciliati non ſunt, illi non moriuntur in ſtatu gratiæ, ſed in infernum præcipitantur. Si prius, quid ergo in illis remanet mundandum, abluendum, expurgandum, cum per infuſam gratiæ lucem omnes peccati tenebræ ſint penitus diſpulſæ ac fugatæ? Cum hypotheſi de *indulgentiis papalibus*. Pontificii ſtatuunt, per indulgentias contingere plenariam relaxationem a pœnis peccatorum, prō quibus vel in hac vita vel in purgatorio erat ſatisfaciendum. Bellarminus lib. I. de indulg. cap. 7. prop. 4. *Indulgentiæ liberant homines a reatu pœnæ non ſolum coram eccleſia, ſed etiam coram Deo.* Et poſtea: *Et populi, qui ſuſcipiunt indulgentias, & pontifices, qui eas tribuunt, ejus ſententiæ ſe eſſe teſtantur, ut indulgentiæ potiſſimum proſint ad pœnam purgatorii expiandam.* Item: *Per injunctas pœnitentias ſatisfit Deo, ac per hoc indulgentiæ, quæ ab ejusmodi pœnitentiis abſolvunt, expiant pœnæ temporalis reatum etiam coram Deo.* In Antidotario animæ dicuntur a Johanne XXII. pontifice Romano conceſſa decem millia dierum, indulgentiæ orationem: *Salve ſancta facies noſtri Redemtoris &c.* devote coram Veronicæ linteo recitantibus. In horis b. Mariæ virginis ad uſum Sarisbur. paulo minus quam annorum undecies mille millorum indulgentia pro recitatione certarum precularum offertur. Atqui ſi per indulgentias liberantur homines a reatu pœnæ coram Deo, cur poſt acceptas & magno ære redemtas indulgentias adhuc in purgatorium relegantur? 3.) Cum hypotheſi de *poteſtate pontificis*. Multi ex pontificiis docent, *papæ jurisdictionem eſſe illimitatam, & extendere ſe in purgatorium*, ita ut animabus in purgatorio æſtuantibus indulgentias per modum abſolutionis communicare poſſit. Godeſchalcus Hollen Domin. II. poſt Paſcha ſerm. II. Bonaventura lib. IV. ſentent. diſt. 20. q. 5. unde Theodoricus Morung, canonicus Herbipolenſis, Bambergenſis & Eichſtetenſis anno 1489. pro hæretico declaratus, quod hoc concedere noluerit. Vid. adpend. faſcic. tempor. a Johan. Piſtorio ante apoſtaſiam edit. Francof. anno 1584. Angelus de Claviſio in ſumm. *Animæ exiſtentes in purgatorio ſunt de jurisdictione papæ, & papa ſi vellet, poſſet totum purgatorium evacuare.* Franciſcus Middenſis in elucidat. cathol. verit. *pontifex omnes animas e purgatorio liberare poſſet.* Eo etiam

abeunt quidam ex Jesuitis, ut adparet ex disputatione anno 1600. de *indulgentiis* habita, quam Petrus Stevartius in censura vocat *elegantem, doctam & orthodoxæ veritati consentaneam*, in cujus thesi LII. sic disseritur: "Etsi „probabilis est sententia adserentium, restri„ctam sublatamque esse episcoporum potesta„tem ad concedendas defunctis indulgentias, „æque tamen probabilis, si non probabilior, „est eorum, qui id negant. Credibile etiam „est, pontificem summa sua potestate utentem, „tot tantasque indulgentias largiri defunctis „posse, ut evacuato purgatorio omnes animæ „ad cœlum evolent." Atqui si pontifex talem absolutam ac liberam potestatem habet animas e purgatorio liberandi, næ admodum durum, avarum ac tyrannicum oportet esse sanctissimum illum patrem, quod miseras animas ex illo igne (qui sola duratione ab infernali differt) non confestim liberat, sed propter pecunias, sibi prius in jubilæo numerandas, tam diu in eo torqueri sinit. Certe illud probat, quod non sit vicarius Christi, qui dicit Esa. LV. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, venite, emite absque argento.* Apoc. XXII. 17. *Qui vult, accipiat aquam gratis*; nec successor Petri, qui ad Simonem dicit Act. VIII. 20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem*; & ad omnes pastores 1. epist. V. 2. *Pascite gregem non turpis lucri gratia*; sed vicarius illius, qui dicit Matth. IV. 9. *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me*; & successor illius, qui dicit Matth. XXVI. 15. *Quid vultis mihi dare, & ego tradam eum vobis?* Cogitet quilibet, an non ad pontificem adcommodari possit illud, quod Ambrosius l. de Naboth de divite avaro dicit: *Infelix, cujus in potestate est tot animas a morte defendere, & non est voluntas!* Videt hanc difficultatem Antoninus, ideo part. VIII. tit. 22. c. 5. §. 6. *Dubitandum esse*, ait, *si papa Romanus omnes animas ex purgatorio liberare & ad salutem æternam promovere velit, num istam misericordiæ munificentiam Deus suo esset adprobaturus judicio ac calculo.* 4.) Cum hypothesi de *duratione meriti.* In purgatorio non est meritum. Ergo nec satisfactio; nam idem requiritur ad merendum & satisfaciendum, & omnis satisfactio est meritoria. Excipit Bellarminus, *plura requiri ad meritum, quam ad satisfactionem, videlicet libertatem & statum vitæ. Resp.* imo vero omne opus satisfactorium est etiam meritorium, ut constat ex obedientia Christi, quæ non solum est *satisfactoria*, sed etiam *meritoria*; quocunque enim opere vere satisfit Deo, eodem etiam meritum aliquod, videlicet liberatio a malo & boni donatio adquiritur. Vnde concilium Trident. sess. VI. can. 32. hæc duo conjungit, quod *renatorum operibus nihil desit, quo minus legi divinæ plene satisfeciisse, & vitam æternam vere promeruisse censeantur.* Diversitas loci non mutat ipsum boni operis effectum. Si ergo opera & passiones hujus vitæ sunt non solum satisfactoriæ, sed etiam meritoriæ, utique etiam passiones in purgatorio tales erunt. Et vicissim, si passiones in purgatorio non sunt meritoriæ, ergo nec satisfactoriæ. 5.) Cum hypothesi de *duratione pœnitentiæ.* Nec remissio culpæ venialis, nec satisfactio pro pœna locum habet post hanc vitam. Nam ejus est a culpa resurgere, cujus est in culpam incidere; sed post hanc vitam non possunt animæ committere venialia peccata. Ergo. Præterea pecta omnia remittuntur per pœnitentiam, sed post hanc vitam non est pœnitentia; *nam idem est hominibus mors, quod angelis casus*; teste Damasceno lib. II. orth. fid. cap. 4. Sed angeli per casum facti sunt immobiles in malo. Denique in hac vita sicut potest homo justus ex hypothesi pontificiorum mereri gratiæ augmentum, ita etiam remissionem venialium offensarum. At post hanc vitam nullum est meritum. De pœna probatur hoc modo: Pœna est propter culpam, & crescente culpa crescit pœna; decrescente culpa decrescit pœna. Ergo remota culpa removetur pœna. Bellarminus repudiatis aliorum scholasticorum sententiis amplectitur opinionem Thomæ lib. IV. sent. dist. 21. q. 1. art. 2. quod *dimittantur in purgatorio culpæ veniales per actum dilectionis*

flionis & patientiæ; excipit igitur, *axioma illud, quod ejus ſit a culpa reſurgere, cujus eſt in culpam incidere, habere duntaxat locum in peccatis mortalibus; poſſe enim animam in purgatorio liberari a veniali, quia habet media convenientia, id eſt, actum dilectionis peccato contrarium; poſt hanc vitam non dari locum pœnitentiæ, accipiendum eſſe tantum de peccatis mortalibus; animas purgatorii non eſſe omnino in via, neque eſſe omnino in termino, & ideo poſſe aliquid facere, quod pertineat ad peccati venialis remiſſionem, panam pendere a culpa in fieri, non in eſſe.* Sed hæc omnia meras petitiones principii continent. Quod ſi enim peccatum mortale & veniale communi genere logico participant, utique utrumque eſt vere & proprie dictum peccatum, ac proinde ſi in purgatorio non poteſt obtingere remiſſio mortalis, ergo nec venialis peccati; ac ſi non datur in purgatorio locus pœnitentiæ, ergo nec peccati ullius ſive mortalis ſive venialis remiſſio contingit, cum absque pœnitentia remiſſio peccati ſperanda non ſit. Quod Bellarminus regerit, *acceptationem pœnæ a Deo inflictæ eſſe virtualem quamdam pœnitentiam & peccati remiſſoriam, cum procedat ex caritate*, id ſine ullo ſcripturæ ſuffragio adferitur, ideo eadem facilitate, qua adferitur, poteſt repudiari. Eodem loco habenda illa axiomata, quod *animæ purgatorii nec ſint omnino in via nec in termino*, (quaſi vero inter viam & terminum ſit aliquid intermedium) & quod *pœna pendeat a culpa in fieri non in eſſe*, (quaſi vero non ſit perpetua relatio inter culpam & pœnam, ut culpæ reatu abolito pœna proprie dicta merito etiam abolita cenſeatur.)

V) *Deſtituitur patrum ſuffragio.*

§. CCXII. V) Purgatorium deſtituitur *eccleſiæ primitivæ apoſtolis vicinæ ſuffragio.* Probari id poteſt 1.) in *genere*, 2.) in *ſpecie.* In genere 1) ex *confeſſione Piſcheri epiſcopi Roſſenſis*, qui in confutat. Lutheri art. XVIII. ſic ſcribit: "Multa ſunt, de quibus in primitiva eccleſia nulla quæſtio facta „fuerat, quæ tamen poſteriorum diligentia „ſubortis diſputationibus jam evaſerunt per„ſpicua. Nemo certe jam dubitat orthodo„xus, an purgatorium ſit, de quo tamen apud „priſcos illos nulla vel quam rariſſima fiebat „mentio. Sed & Græcis in hunc usque diem „non eſt creditum, purgatorium eſſe, legat, „qui velit, Græcorum veterum commentarios, „& nullum, quantum opinor, aut quam ra„riſſimum de purgatorio ſermonem inveniet. „Sed neque Latini ſimul omnes; at ſenſim „hujus rei veritatem conceperunt." Ibidem dicit, *purgatorium ſero cognitum ac receptum.* II) Ex *ſymbolis eccleſiæ*, in quibus non ſit purgatorii mentio. In ſymbolo apoſtolico profitemur, nos credere *peccatorum remiſſionem*, non autem compenſationem vel ſatisfactionem per nos præſtandam. Credimus *vitam æternam*, non autem purgatorium. In Nicæno ac Athanaſiano ſymbolo nullum de purgatorio occurrit verbum, cum tamen ex hypotheſi pontificia, qui non credit purgatorium, deſcendat in infernum. III) Ex *confeſſione eccleſiæ Græcæ.* Græci in apolog. in concilio Baſil. exhibita purgatorium negant; ſic enim inquiunt: Πῦρ καθαρτήριον καὶ κόλασιν διὰ πυρὸς πρὸς καιρὸν καὶ τέλος ἔξεσαν ὅλως ὑμεῖς οὐδὲ ὑπὸ τῶν ἡμετέρων εἰλήφαμεν διδασκάλων, οὐδὲ τὴν τῆς ἀνατολῆς ἐκκλησίαν ἴσμεν φρονοῦσαν. *Ignem purgatorium & expiationem per ignem ad tempus & finem habentem omnino neque a noſtris accepimus doctoribus, neque eccleſiam orientalem ſcimus ſentire.* Alphonſus a Caſtro de hæreſ. tit. Purgatorium: *Vnus ex noviſſimis erroribus Græcorum & Armenorum eſt, quo docent, nullum eſſe purgatorium locum, quo animæ ab hac luce migrantes purgentur a ſordibus, quas in corpore contraxerant, antequam in æterna tabernacula recipi mereantur.* Eccleſiæ orientales *Abyſſinæ, Armeniæ, Moſchæ, Græcæ*, purgatorium non agnoſcunt. Quod Bellarminus *eccleſiam Græcam in concilio Florentino ſub pontifice Eugenio anno 1439. illud amplexam* adſerit, ad illud reſpondemus, id & priſtinæ & hodiernæ Græcorum confeſſioni nihil quidquam præ-

judicare, quia episcopus Ephesinus cum aliis nonnullis nomine orientalis ecclesiæ in frequentissimo concilio diserte contraxit. Quod vero ab aliis episcopis in gratiam occidentalium, quorum auxilium imperator orientis Palæologus contra Turcicas irruptiones implorabat, concessum est, illud ecclesiæ Græcæ ejurarunt, ac episcopos illos a pontifice Romano muneribus corruptos docuerunt. Et constat sane, quosdam eorum in Italia apud pontificem mansisse, ac magnis dignitatibus ornatos & opimis beneficiis ditatos vitam ibidem finivisse. Thomas in opusc. contra errores Græcorum hoc nomine Græcos taxat, quod *non credant purgatorium.* Alphonsus de Castro lib. VIII. de hæres. c. de indulgentiis: *Vsque in hodiernum diem purgatorium non est a Græcis creditum.* Sixtus Senensis in bibliothec. lib. VI. adnot. 259. p. 538. *Marcus, Ephesi episcopus, in apologia, quam pro Græcis purgatorium rejicientibus in concilio Basileæ obtulit, examinans verba Chrysostomi homil. IX. in 1. Corinth.* Salvus erit, quasi per ignem; *adseverat, eum nihil unquam aut verbis expressisse aut cogitasse de purgatorio.* Hanc Marci Ephesini adsertionem Sixtus Senensis *mendacii* ibidem arguit; nihilo tamen minus ex ea colligitur, quæ sit Græcæ ecclesiæ de purgatorio confessio. Confer etiam Nili, archiepiscopi Thessalonicensis, tractatum, quem contra purgatorium edidit, in quo eadem confessio Græcorum reperitur. *Ad ea,* (inquit) *quæ a vobis adlata sunt, sermo est referendus, & demonstrandum, ecclesiæ nostræ* (Græcæ) *doctores purgatorii ignis nusquam meminisse, & quæ a vobis dicta, sive testimonia prolata sunt, ad hunc adstruendum constituendumque prolata sunt, ea statim volente Deo pro viribus explicabimus.* Ecclesiæ *Moscoviticæ* purgatorium non agnoscunt, sed *unumquemque dicunt secundum opera post mortem locum designatum habere, ubi diem extremi judicii exspectet.* In opere de variis rer. Musc. aut. p. 30. 127. & 174.

§. CCXIII. In *specie* 1.) negative, 2.) adfirmative. *Negative,* quia patres non faciunt mentionem purgatorii in illis locis, in quibus purgatorium adseri necessarium videbatur. Dionysius, qui Areopagitæ titulum præfert, in lib. de eccles. hierarch. part. III. c. 7. refert, *ante sepulturam pontificem semel sacram precem super mortuum facere, ut divina bonitas cuncta dimittat peccata, quæ humana fragilitate defunctus admiserit.* At purgatorii, e quo per preces liberandus sit, nullam facit mentionem. (Excipit Bellarminus lib. I. de purg. cap. 15. resp. ad 3. arg. *ex eo ipso, quod Dionysius orationem pro peccatis defunctorum tam aperte adserit, probari posse, quod purgatorium crediderit. Resp.* Dionysius ille se ipsum satis explicat. Non enim tres more pontificiorum, sed duos duntaxat ordines ponit eorum, qui ex hac vita discesserunt, ἱερῶν καὶ ἀνιέρων, *sanctorum & profanorum.* Profanos vocat illos, *qui inquinamentis ethnicis repleti, vel qui sacramentis quidem initiati, ad damnabiles vero concupiscentias postea transfugerunt.* Eos, quando ad finem hujus vitæ perveniunt, dicit *miserabiliter & invitos ex hac vita avelli, nulla bona spe subnixos propter pessimam vitam.* Alterum vero ordinem morientium, *sacrorum* vocat, qui *pie quidem vixerunt, sed tamen pro remissione peccatorum orant,* illos dicit, *cum firma & certa spe in divina lætitia & hilaritate tendere ad mortis terminum, tanquam ad finem certaminum, cum animæ ibi non possint ad deteriora converti, & corpora beatam exspectent resurrectionem. Propter hæc,* inquit, *obdormitio sanctorum est in lætitia & spe immobili, quia pervenerunt ad finem certaminum, ac norunt, se totos percepturos* χρηστοειδῆ λῆξιν, *Christiformem requiem, quando ad terminum hujus vitæ pervenerunt. Qui ergo,* inquit, *ad terminum suorum certaminum venit, sacra impletur lætitia, magnaque cum jucunditate ac voluptate viam felicissimæ regenerationis ingreditur. Propinqui vero defuncti* μακαρίζεσι, *beatum illum prædicant, sicut & est, ut qui ad optatum victoriæ finem pervenerit,* πρὸς τὸ νικηφόρων ἐυκταίως ἀφικόμενον τέλος, *& auctori victoriæ persolvunt hymnos gratu-*

gratulatorios, χαριστηρίας, *se ipsos quoque orantes ad similem requiem admitti. Sumentes autem defunctum ad pontificem ducunt, quasi sacris donandum coronis. Is gratiarum actionem pro illa Dei pietate solvit, qua destructum est injustum & tyrannicum illud contra nos imperium, quodque non tantum, qui ad summum sanctitatis pervenerunt, sed & alii, qui summos illos gradus adtingere non potuerunt, ad remunerationem admittantur. Deinde ministri promissiones scripturæ de resurrectione recitant, & psalmos idem sonantes decantant.* Rationem Dionysius addit hanc, *quia promissionum illarum lectiones & cantiones declarant beatam illam requiem, in quam æternum subvehuntur, qui divinum exitum consecuti sunt. Illæ ipsæ vero lectiones & cantiones* ἀποδεκτικαὶ *defunctum quasi amplectuntur & suscipiunt, viventibus vero sunt exhortationes ad consimilem exitum. Postea præcipuus ex ministris dimissis cathechumenis sanctos jam defunctos* ἀνακηρύττει, *honorifica prædicatione celebrat, & cum illis etiam nuper defunctum pari celebratione prosequitur; & hanc commemorationem* Dionysius ideo dicit fieri, *ut audientes sanctorum præmia ex scripturis celebrata, & pie defunctum jam vere socium existere,* κοινωνὸν ὄντα *sanctorum, qui a seculo sunt, in ipsis etiam simile desiderium excitetur, cum audiant, quam vere beatum sit in Christo mori.* Precationem illam pro defunctis vocat εὐχαριστικὴν, non autem *propitiatoriam*, per quam defunctus e purgatorio liberetur. Hæc omnia Dionysius, ostendens defunctorum animas, pro quibus orabatur, non in doloribus, gemitibus & cruciatibus ignis, sed in requie collocatas fuisse. Confer Chemnitium part. III. exam. cap. de purg. p. 164. ubi plura de sententia Dionysii invenies.) De Irenæo scribit Erasmus, *eum ita loqui, ut qui nullum purgatorium sciverit.* Id quod in indice expurgatorio tum Belgico p. 172. tum Hispanico f. 136. ex patrum Tridentinorum decreto deleri jussum.

§. CCXIV. *Affirmative* probari id ipsum potest variis modis. Docendi causa distribuemus patrum dicta purgatorium exstinguentia in certas classes. *Prima* classis continet ea, in quibus adserunt, *in hac vita tantum esse locum pœnitentiæ, verum post hanc vitam, ut nulla amplius est facultas resipiscentiæ, ita quoque nullam restare amplius pro peccatis satisfactionem, aut ex pœnis peccatorum liberationem.* Justinus martyr in q. & resp. ad orthod. q. 60. p. 332. Διήγημα *de Lazaro & divite est evidens & illustris repræsentatio,* ὑποτύπωσις, *doctrinam illam habens, post divortium animæ a corpore providentia & studio nullo homines opem aliquam consequi posse.* (*) Cyprianus contra Demetrian. tract. I. circa finem p. 151. "Se„curitati & vitæ, dum licet, providete &c. „Hortamur, dum facultas adest, dum adhuc „aliquid de seculo supereſt, Deo satisfacere, „& ad veræ religionis candidam lucem de pro„fundo tenebrosæ superstitionis emergere &c. „Quando isthinc excessum fuerit, nullus jam „locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis ef„fectus. Hic vita aut amittitur aut tenetur, „hic saluti æternæ cultu Dei & fructu fidei „providetur. In isto adhuc mundo manenti „pœnitentia nulla sera est.„ (Excipit Bellarminus lib. I. de purgat. cap. 13. *Cyprianum loqui de satisfactione pro culpa, quæ præcedit justificationem, non de ea, quæ justificationem sequitur, qua Deo ex condigno satisfit pro pœna.* *Resp.* Cyprianus generaliter & ἀποτόμως negat, post excessum e vita pœnitentiæ vel satisfactioni adhuc esse locum. *Impios ante justificationem operibus de congruo placare, eidemque satisfacere posse*, quod Bellarminus hoc loco adserit, nec Cyprianus nec sacræ

Patres docent 1.) *in hac vita tantum esse pœnitentiæ locum.*

(*) Cyrillus Hieros. catech. XVIII *Pœnitentiæ & remissionis peccatorum in hac vita tantum præscriptum habemus. Non licet enim deinceps post mortem eos, qui in peccatis mortui sunt, sicut iis, qui bene fecerunt, laudare Deum, sed lamentari. In peccatis mortui tempus confessionis non habent.* GERHARDVS.

sacræ literæ docuerunt, sed est commentum scholasticorum.) Basilius in moral. summa I. cap. 5. "Quod post discessum ex hac vita non „est tempus recte factorum, cum Deus præ„sens tempus in longanimitate distribuerit, ad „operationem eorum, quæ ad ipsum placan„dum ac benignum reddendum pertinent.„ Gregorius Nazianzenus in metricis περὶ τῶν καθ' ἑαυτόν carm. I. v. 306.

— — — — *Post tempora noctis*
Postremæ, cum jam nemo succurrere possit.
Flentibus hic etenim nobis est promta medela;
Post autem clausa est omnis medicina salutis.

Ἐνθαδ' ἄκος μεθέπεσσι, τὰ δ' ὕστατα δέσμια πάντα. Epiphanius hæres. LIX. contra Catharos f. 218. "In futuro seculo post hominis „mortem non jejunii suppeditatio, non pœ„nitentiæ vocatio, nec eleemosynæ ostenta„tio &c.„ Et postea: "Neque pietatis neque „pœnitentiæ suppeditatio πορισμὸς post mor„tem est.„ Ambrosius lib. de bono mortis cap. 2. "Qui hic non acceperit peccatorum re„missionem, illic non erit, nimirum in patria beatorum. (Excipit Bellarminus, *loqui Ambrosium de remissione mortalium*, quia addit, *non erit autem, qui ad vitam æternam non potuerit pervenire, quia vita æterna remissio peccatorum est. Resp.* negat Ambrosius peccata mortalia post excessum ex hac vita homini remitti, sed ex eo inferri nequit, venialia remitti, quia in genere dicit Ambrosius, *qui hic non acceperit peccatorum remissionem, illic non erit*; ubi vero docet, *in purgatorio quorumdam peccatorum*, videlicet venialium remissionem sperandam?) Hieronymus in comm. Gal. VI. & adlegatur in jure canonico cap. *In præsenti* 13. q. 2. "Dum „in præsenti seculo sumus, sive orationibus „sive consiliis nos invicem coadjuvare possu„mus; cum autem ante tribunal Christi vene„rimus, non Job, non Daniel, nec Noe ro„gare poterunt pro proquam, sed unusquisque „onus suum portabit.„ (ad Christi vero tribunal deducimur statim, ut ex præsenti seculo excedimus.) (*) Chrysostomus homil. LXXV. in Matth. XXIII. p. 419. "Omni studio in„cumbamus, ut ab ægritudine iniquitatis libe„rati sani ex hac vita recedamus, & quantum „erga servos & vernas nostros, cum ægro„tant, studium adhibemus, tantam diligentiam, „cum anima nostra laboret, pro nobis ipsis „adsumamus. Certe quamquam propinquio„res nos ipsi nobis simus, quam servi nostri, „& corporibus animæ multo præstantiores sint; „optabile tamen mihi est, si saltem æqualem „utrique rei diligentiam conferamus. Quod „si modo non faciemus, cum illuc abierimus, „nihil nobis ad satisfaciendum relinquitur.„ In ferm. de euchar. in Encœn. "Veniet hora, „quando theatrum hujus vitæ solvetur, & nul„lus postea certabit, non est post hujus vitæ „finem negotiatio. Dissoluto hoc theatro co„ronas mereri non datur. Hoc tempus est „pœnitentiæ, illud judicii; hoc agonum, il„lud coronarum; hoc laboris, illud quietis; „hoc ærumnæ, illud retributionis.„ In hom. de divite & Lazaro: "Ne putemus, nobis, cum „illuc venerimus, misericordiam esse tribuen„dam, qui non agimus, ut veniam mereamur „accipere, etsi Abraham pro nobis roget, etsi „Noe, etsi Daniel. Dum igitur tempus in „manibus, plurimam nobis apud Deum fidu„ciam præparemus.„ Homil. II. de Laz. "Omnia hic dissolve, ut citra molestiam illud „videas tribunal. Donec hic fuerimus, spes „præclaras habemus, simul vero ac illuc dis„cesserimus, non est postea in nobis situm „pœnitere neque commissa diluere. Hic lu„clæ & certaminibus locus; illuc coronæ & „præmii tempus erit.„ Homil. IV. in Hebr. II. "Neque enim qui in præsenti vita peccata „non abluerunt, postea consolationem aliquam „inventuri sunt. (Excipit Bellarminus, *Chrysostomum loqui de remissione mortalium, quia exemplo epulonis, qui in gehenna cruciabatur, monet, ne differamus conversionem in aliam vitam. Resp.* imo vero nihil ad satisfaciendum

(*) Ibidem: *Tempus sementis tempus est præsens & vita, quam currimus. In hac vita licet nobis, quod volumus seminare. Cum ista vita transierit, operandi tempus auferetur.* GERHARDVS.

dum nobis relictum esse adserit, cum illuc abierimus; coram Christi tribunali, cui statim post mortem præsentamur, nihil quidquam in sanctorum intercessionibus præsidii superesse ait, ac diserte negat, vel spei, vel pœnitentiæ, vel consolationis quidquam post mortem illis reliquum esse, qui ex hac vita sine peccatorum omnium ac singulorum remissione decesserunt.) Isidorus Pelusiota, Chrysostomi discipulus, lib. III. epist. 60. *Res hujus vitæ certaminum ac non coronarum materiam præbent: res autem futuræ honorum ac præmiorum. Quocirca rerum occasionem ne perdamus, ne alioquin in futura vita inutili pœnitentia adficiamur.* (*) Augustinus in enchirid. ad Laurent. cap. 115. *Hic est omnis remissio peccatorum, hic tentationes, quæ nos ad peccandum adpellunt, hic denique malum, unde cupimus liberari, illic autem nihil est eorum.* Serm. LXVI. de temp. *In hac vita tantum pœnitentiæ patet libertas, post mortem nulla correctionis est licentia.* Ibidem: *In hoc sæculo pœnitentiam facientibus Dei misericordia subvenit: in futuro autem pœnitentia non proficit, sed rationem operum reddituri sumus.* Lib. L. homiliarum hom. V. *Hæc ergo, fratres carissimi, salubriter cogitantes, faciamus amicitias cum adversario nostro, dum sumus in via cum illo, hoc est, consentiamus verbo Dei, dum adhuc sumus in via, quia postea, cum de hoc sæculo transiverimus, nulla compunctio vel aliqua satisfactio remanebit. Judex restatur minister & carcer.* Epist. LIV. ad Macedon. *Post hanc vitam non est locus morum corrigendorum. Nam post hanc vitam quisque id habebit, quod in hac vita sibimet conquisierit.* (Excipit Bellarminus: *etsi non erit post hanc vitam locus, ubi flagitiosi convertantur, & mores suos corrigant, erit tamen, ubi peccata levia justorum, quæ flagitia dici non possint, purgentur, & pro criminibus jam dimissis pœna temporalis lui possit. Resp.* si pœnitentiæ locus non est post hanc vitam, ergo nec satisfactionis; unde Augustinus utrumque conjungit, quod nulla compunctio, nulla satisfactio post transitum ex hoc sæculo sit remansura.) Leo serm. V. in Epiph. *In inferno nulla est correctio, nec datur remedium satisfactionis, ubi jam non supereſt actio voluntatis.* Hesych. in Lev. lib. VI. c. 19. *In futuro sæculo jam non licet operari, sed qui nunc operati sunt, illi ad retributionem veniunt.* (**) Gregorius magnus lib. VIII. moral. cap. 8. ad Jobi VII. *Dum tempus vitæ præsentis abscinditur, ad operationem promerendæ vitæ ulterius non reditur.* Et postea: *Quem nequaquam modo misericordia eripit, sola post præsens sæculum justitia addicit.* Beda in comm. Psalm. VI. *Post separationem corporis & animæ nemo memor tui efficitur cum sua utilitate, id est, nemo, qui de suis peccatis in hoc sæculo non compungitur, postquam mortuus est, utiliter compungitur, quia hic tantum locus est misericordiæ, post hoc sæculum tantum est locus justitiæ.* Theophylactus in Matth. XXIII. *Fatuæ virgines ideo dicuntur, quod tunc requirent oleum, cum non sit negotiandi tempus.* Cap. Legatur in fin. 24. q. 2. ex Gelasio: *Mortuos suscitasse Christum legimus, in errore mortuos absolvisse non legi. Et qui hoc tantum faciendi solus habuit potestatem, b. Petro apostolo principaliter mandavit:* Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. *Super terram inquit, nam in ligatione defunctum nunquam dixit esse absolvendum.*

§. CCXV. *Secunda* classis complectitur illa dicta, in quibus adserunt, *unumquemque ita judicari, ut a Christo judicentur, prout in corpore gesserit, bona vel mala.* Ita Augustinus in Psalm. CXLIII. *Quisque ibi invenietur, qualis de corpore exierit.* Serm. CCCXXXII. de temp. *Quisque ibi invenietur, qualis de corpore exierit.* Lib. de fide ad Petrum cap. 26. *Ante tribunal Christi omnes sine dubitatione stabimus, ut unusquisque propria corporis recipiat, prout gesserit, sive bona sive mala.* Lib. de vera & falsa pœnit. cap. 13. *Ante tribunal Christi omnes sine dubitatione stabimus, ut unusquisque propria corporis recipiat, prout gesserit, sive bona sive mala

cari, ut a Christo in morte invenitur.

a Christo in morte invenitur. Clemens Rom. lib. VIII. constitut. apost. cap. 42. *Cui vivo offensus erat Deus, certe eidem mortuo est iratus.* Justinus in dial. cum Tryph. p. 207. *Noster Dominus Jesus Christus dixit,* ἐν οἷς ἂν ὑμᾶς καταλάβω, ἐν τούτοις καὶ κρινῶ, *in quibus vos deprehendero, in eis & judicabo.* Cyprianus serm. de mortalit. p. 213. *Qualem te invenit Deus, cum vocat, talem pariter & judicat.* Augustinus epist. LXXX. ad Hesychium: *In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies, quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur.* (Excipit Bellarminus, *Augustinum significare, quod post hanc vitam non crescant merita vel demerita, ideoque omnes judicandi sint ad gloriam vel ad gehennam. Resp.* imo vero Augustinus in genere dicit, statum animæ post mortem non mutari, sed in eodem omnino statu animas in die extremi judicii inveniri, in quem statim a suo ex corpore discessu transferuntur, utique ergo non transeunt ex purgatorio in cœlum.) Idem tract. XLIX. in Joh. *Unusquisque cum causa sua dormit, & cum causa sua resurgit.* Gregorius lib. VIII. moralium in Jobum VIII. *Salomon ait, quia lignum, in quocunque loco ceciderit, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit, quia cum humani casus tempore sive sanctus, sive malignus spiritus egredientem animam claustra carnis acceperit, in æternum secum sine ulla permutatione retinebit, ut nec exaltata ad supplicium prorsus, nec mersa æternis suppliciis ultra ad remedium ereptionis adsc ndat.* Lib. IV. dial. c. 39. *In evangelio dicit Dominus,* ambulate, dum lucem habetis. *Per prophetam quoque ait:* tempore accepto exaudivi te, in die salutis adjuvi te. *Quod Paulus apostolus exponens dicit:* Ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis. *Salomon quoque ait:* Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas. *David quoque ait:* quoniam in seculum misericordia ejus. *Ex quibus nimirum sententiis constat, quia qualis quisque hinc egreditur, talis in judicio præsentatur.* Olympiodorus in Ecclesiaste IX. *In quocunque loco deprehendetur homo, cum moritur, in eo gradu atque ordine permanet in æternum.*

§. CCXVI. *Tertia* classis complectitur illa dicta, in quibus adferunt, *nullam esse pro peccatis satisfactionem, nisi unicam satisfactionem Christi, quæ in hac vita per fidem nobis adplicatur, non autem*

3.) *Adferunt nullam esse pro peccatis satisfactionem aliam, quam Christi.*

in purgatorio vim satisfaciendi nostris passionibus impertitur. Basilius in Esa. I. *Una expiatio peccati, nimirum sanguis ille pro mundi salute effusus.* In reg. brev. q. 10. *Anima in peccatis volutata, quonam modo debet ad Deum accedere? firmissime credens, purgationem peccatorum suorum factam esse per sanguinem Christi in multitudine miserationum Dei, ut ille ipse dixit: Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Ambrosius lib. X. in Luc. XXII. & serm. XLVI. *Lacrimas Petri lego, satisfactionem non lego.* (Excipit Bellarminus, *satisfactionem eo loco significare excusationem. Resp.* nec de excusatione, nec de satisfactione Petri quidquam apud evangelistas legitur, unde Ambrosii verba de utraque recte accipiuntur.) Chrysostomus serm. de b. Phil. "Ego testificor & fide jubeo, fore, ut si nostrum quisque, qui peccatis obnoxii sumus, recedens a pristinis malis ex animo vereque promittat Deo, se „posthea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud „Deus requirat ad satisfactionem ulteriorem.„ Augustinus lib. IV. de Trinit. cap. 2. circa medium: "Iniquorum & superborum una mundatio est sanguis justi & humilitas Dei, ut „ad contemplandum Deum, quod natura non „sumus, per eum mundaremur, factum quod „natura sumus, & quod peccato non sumus. „Deus enim natura non sumus, homines natura sumus; justi peccato non sumus; Deus „itaque factus homo justus intercessit Deo pro „homine peccatore.„ Lib. ejusdem cap. 13.

„Chri-

"Christus morte sua, uno verissimo sacrificio „pro nobis oblato, quidquid culparum erat, „unde nos principatus & potestates ad luenda „supplicia jure detinebant, purgavit, abolevit, „exstinxit.„ Lib. II. de peccat. merit. & remiss. cap. 20. "Fuso sanguine sine culpa „omnium culparum chirographa deleta sunt.„ Lib. VII. de civ. Dei cap. 31. passionem Christi vocat *singulare illud sacrificium, quo a peccatis omnibus mundamur.* Serm. XXXVII. de verb. Domini: "Christus suscipiendo culpam „& non pœnam, & culpam delevit & pœnam.„ Maximus in serm. de natali Petri & Pauli: "Christi passio nobis sufficit ad salutem, sanctorum autem martyrum nobis contulit ad „exemplum.„ Leo epist. LXXXI. ad monachos Palæstinos: "Quis est, qui tradidit semet „ipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo „in odorem suavitatis? aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus „pontifex altari crucis per immolationem suæ „carnis imposuit? Quamvis enim multorum „sanctorum in conspectu Domini mors pretiosa fuerit, nullius tamen insontis occisio „propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, „non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiæ, non dona „justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuere, nec alterius quisquam debitum „suo fine persolvit, cum inter filios hominum „unus solus Dominus noster Jesus Christus exsuscitet, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt suscitati &c. fides etenim vera justificans impios „& creans justos ad humanitatis suæ tracta „participem, in illo adquirit salutem, in quo „solo homo se invenit innocentem.„ Gregorius lib. IX. moral. cap. 30. "Non valent „virtute propria ab humano genere supplicia „secuturæ mortis expleri.„ Quid quod ipsa glossa juris canonici dist. 1. de pœnit. opinionem propriæ satisfactionis excludit? "Dic, „inquit, quod nec cordis contritione, nec oris „confessione remittuntur peccata, sed tantum „gratia Dei. Sed ipsa cordis contritio signum „est, peccata esse dimissa, sicut exterior satis „factio signum est cordis contritionis; gratia „enim præcedit contritionem.„

§. CCXVII. *Quarta* classis complectitur dicta ea, in quibus negant, *post peccatorum remissionem acceptam justificatis per Christum pœnam aliquam vel in hac vita vel in purgatorio sustinendam esse.* Chrysostomus in procem. I. in Esa. *Deus, quando peccata abolet, nullam relinquit cicatricem, nullum vestigium finit manere, sed una cum sanitate eximium etiam confert formæ decus; simul enim atque exemit pœnæ, donat & justitiam. Peccatorem enim efficit parem ei, qui non peccavit.* Homil. XX. in Matth. VI. *Patrem dicendo & veniam peccatorum & pœnarum interitum & justificationem & sanctificationem & liberationem & filiorum adoptionem & hereditatem & fraternitatem cum unigenito copulatam & sancti Spiritus dona largissima unico hoc vocabulo confessus est.* Homil. VIII. in epist. Rom. *Deus credentem diligit sexcentorum criminum reum, οὐχὶ κολάσεως ἀπαλλάξας μόνον, non solum supplicio liberans, sed & justum efficiens.* Et postea: *Ubi enim gratia, ibi venia; ubi venia, ibi ἀθεμία κόλασις, nulla pœna. Sublata porro pœna ac justitia a fide accedente nihil prohibet heredes nos fieri promissionis ejus, quæ a fide datur.* Homil. XXVIII. in 1. Cor. *Cum corripimur a Domino, magis est admonitionis, quam damnationis; medicinæ, quam supplicii; correctionis, quam pœnæ.* Hieronymus in Psalm. XXXI. *Quod tegitur, non videtur, non imputatur; quod non imputatur, non punitur.* Augustinus lib. II. de peccat. merit. & remiss. cap. 33. *Res, quarum reatum Deus solvit, tamen eas ad certamen fidei finit manere, ut per illas erudiantur & exerceantur proficientes in agone justitiæ.* Cap. 34. *Ante remissionem sunt supplicia peccatorum, post remissionem sunt certamina exercitationesque justorum.* Serm. XXXI. de verb. apost. *Non hic sumus sine peccato, sed exibimus hinc sine peccato.* In enarr. Psalm. XXXI. conc. II.

4.) *Negant justificatis pœnam in purgatorio sustinendam.*

Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. *Ne sic intelligatis, quod dixi, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint & vivant. Tecta ergo peccata quare dixit? ut non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, nisi punire peccata.* (Excipit Bellarminus, *Augustinum loqui de pœna æterna; alibi enim ipsum dicere, quod temporalem pœnam Deus adhuc requirat. Resp.* utitur termino *pœnæ* in significatione latiore pro calamitatibus, quas Deus in hac vita reconciliatis imponit. *Vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ temporaliter tenet hominem pœna, etiam quem jam reum non tenet culpa*; inquit tract. XXIV. in Johan. circa medium. Sed proprie & accurate loquendo sublata culpa tollitur omnis pœna temporalis & æterna.) Fulgentius ad Venantiam epist. VII. *Non punit Deus in peccatore peccata, si peccatoris cervix non fuerit indurata.* Lombardus sent. dist. 19. lit. A. ex veteribus sic loquitur: *Si recte fidei intuitu in illum respicimus, qui pro nobis pependit in ligno, a vinculis diaboli solvimur, id est, a peccatis & ita a diabolo liberamur, ut nec post hanc vitam in nobis inveniat, quod puniat.*

Asserunt, 5.) Animas piorum statim a morte ad cœlum deduci.

§. CCXVIII. *Quinta* classis tribui potest illis dictis, in quibus *animas piorum in Christum credentium, statim ut ex corporis ergastulo discedunt, recta & sine mora ad quietem & vitæ æternæ gaudia transire asseverant.* Clemens Romanus lib. VIII. constitut. apostol. cap. 47. in oratione ad Deum loquens de piorum animabus a corpore separatis: *Omnium animæ apud te vivunt, & justorum spiritus in manu tua sunt, quos non adtinget tormentum; omnes enim sanctificati sub tua manu sunt.* Dionysius de cœl. hierarch. cap. 7. *Norunt* (pii) *se totos percepturos exactissimam ad Christi speciem requiem, cum ad finem præsentis vitæ pervenerint, viamque ad immortalitatem suam e vicino jam clarius intuentes divinitatis laudant munera, divinaque lætitia gestiunt.* Ibidem *sinum Abrahæ*, in quem pii post mortem colliguntur, sic describit: κόλποι δέ εἰσιν, ὡς οἶμαι, τῶν μακαρίων πατριαρχῶν καὶ τῶν λοιπῶν ἁγίων ἁπάντων αἱ θεωτάται καὶ μακάριαι λήξεις, αἱ τὰς θεωρεδεῖς ὑποδεχόμεναι πάντας εἰς τὴν ἐν αὐταῖς ἀγήρω καὶ μακαριωτάτην τελείωσιν. Justinus in q. & resp. ad orthod. quæst. LXXV. p. 339. *Post exitum animarum e corpore εὐθὺς γίνεται διαχωλή, statim justi ab injustis segregantur; abducuntur enim ab angelis ad condigna sibi loca. Ac justorum quidem animæ in paradisum, ubi consuetudine & adspectu fruuntur angelorum & archangelorum; per visionem autem & ipsius Salvatoris Christi pro eo atque dictum est: peregre adsumus a corpore, & præsentes adsumus apud Dominum.* Cyprianus contra Demetrian. in fine p. 151. *Tu sub ipso licet exitu & vitæ temporalis occasu pro delictis roges, & Deum, qui unus & verus est, confessione & fide agnitionis ejus implores, venia confitenti datur, & credenti indulgentia salutaris de divina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur.* Serm. de mort. circa finem p. 214. *Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur &c. non est exitus, sed transitus, & temporali itinere decursu ad æterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? quis non mutari & reformari ad Christi speciem & ad cœlestis gratiæ dignitatem citius exoptet? Venturus ad Christi sedem, ad regnorum cœlestium claritatem lugere non debet nec plangere, sed potius secundum pollicitationem Domini, secundum fidem veritatis in profectione sua & translatione gaudere.* Pag. 215. *Cum accersitionis propriæ dies venerit, incunctanter & libenter ad Dominum ipso vocante veniamus &c. Amplectamur diem, qui adsignat singulos domicilio suo, qui nos isthinc ereptos & laqueis secularibus exutos paradiso restituit & regno cœlesti &c.* Athanasius

nasius in lib. de virginit. non procul a fine pag. 831. *Non est justis mors, sed translatio, quippe qui transferuntur ex hoc mundo in requiem æternam, non aliter quam si quis de excubiis abeat, ita quoque sancti a mala ista vita discedunt ad bona, quæ illis præparata sunt, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis subierunt &c.* Nazianzenus orat. in laud. Cæsarii fratris: *Sapientum verbis adducor, ut credam, generosam omnem Deoque charam animam, posteaquam corporis vinculis soluta hinc excesserit, protinus bonum, quod eam manet, persentientem & contemplantem mirabili quadam voluptate adsiti & exsultare, atque hac vita velut gravi quodam ergastulo fuga relicto excussisque compedibus, quibus animi penna deprimi solebat, hilarem ad Dominum convolare.* Chrysostomus homil. LXIX. ad pop. Antioch. *Justos cum Deo in cælis æterna gloria frui.* Homil. III. ad Philip. οἱ δίκαιοι ἅντε ἐνταῦθα, ἅντε ἐκεῖ μετὰ τὰ βασιλέως εἰσὶ, κακεῖ μᾶλλον καὶ ἐγγύτερον, ὃ δὶ αὐτόπτου, ὃ διὰ πίστεως, ἀλλὰ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. Idem homil. XIV. in epist. Roman. *Mors magis ad eum chorum, qui cum Christo est, conjungi, gloriaque illa potiri facit.* Homil. LXI. in Johan. *Honor mortuo non fletus est, non ejulatus, sed hymni & psalmi & vita optima. Ille moriens cum angelis evolabit, etiamsi nemo exsequiis interveniat &c.* Hieronymus ad Eustach. epist. XXVII. In epitaph. Paulæ: *Amissio illius cælestis domus habitatio est &c. inter doloris aculeos, quos mira patientia sustinebat, quasi apertos sibi cælos adspiceret, loquebatur:* Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? *Nunc illa divitiis fruitur & iis bonis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt. Invidere ejus gloriæ videbimur, si voluerimus diutius flere regnantem.* Ambrosius lib. de bono mortis cap. 4. "Omnifariam igitur mors „est bonum, & quia compugnantia dividit, „ne se invicem impugnent, & quia portus „quidam est eorum, qui magno vitæ istius „jactati salo fidæ quietis stationem requirunt.„ Et postea: "Mors hæc transitus universorum „est; transitur enim a corruptione ad incor„ruptionem, a mortalitate ad immortalitatem, „a perturbatione ad tranquillitatem. Non igi„tur nomen te mortis offendat, sed boni „transitus beneficia delectent.„ Cap. 12. "In„trepide pergamus ad Redemtorem nostrum „Jesum Christum, intrepide pergamus ad illum „sanctorum cœtum justorumque conventum. „Ibimus enim ad patres nostros, ibimus ad „illos nostræ fidei præceptores, ut etiamsi „opera desint, fides opituletur, defendat he„reditas. Ibimus, &, ubi sinum suum Abra„ham sanctus expandit, ibimus eo, ubi para„disus est jucunditatis, ubi nulla nubes, nulla „tonitrua &c.„ Cyrillus lib. XII. in Joh. cap. 36. "Credere debemus, cum a corporibus „sanctorum animæ abierint, tanquam in ma„nus carissimi patris bonitati divinæ commen„dari, nec, ut quidam infidelium crediderunt, „in terris conversari, quousque sepulturæ ho„noribus adfectæ sint, nec ut peccatorum ani„mas ad immensi cruciatus locum, id est, ad „inferos deferri, sed itinere hoc nobis a Chri„sto primum præparato in manus potius patris „evolare. Tradidit enim animam suam manu„bus genitoris, ut ab illa & per illam facto „initio certam hujus rei spem habeamus, fir„miter credentes, in manibus Dei nos post „mortem futuros, vitamque multo meliorem „ac perpetuo cum Christo victuros; ideo enim „Paulus desiderat resolvi & esse cum Christo.„ Augustinus serm. XV. de sanctis: "Animæ san„ctæ, quæ in hoc seculo aut per vitæ inno„centiam puræ sunt, aut pœnitentiæ satisfa„ctione purgantur, a Salvatore nostro recipiun„tur, & cum eo esse credendæ sunt, secun„dum apostoli dictum: *Cupio dissolvi & esse „cum Christo*; animæ ergo fratrum parentum„que nostrorum minime cibis carnalibus dele„ctantur. Offendi his magis possunt, quam „delectari, si, cum illæ in sacris sedibus sint, „vos eas esse in terra credatis. (Si non sunt in terra, ergo multo minus sub terra in cavernis purgatorii. Si non sunt in terra, ergo præsligiæ dæmonum sunt, quando animæ se

in terris conſpici & audiri fingunt. Si ſunt in beatis ſedibus cum Chriſto, ergo non torquentur in igne purgatorii cum diabolo.) Anſelmus in comm. Coloſſ. I. *Morte Chriſti pax tanta effecta eſt, ut nunc animæ juſtorum, cum de corpore exeunt, mox penetrent cælos gaudentibus angelis.* Innocentius IV. in decretal. Gregorii lib. III. tit. 42. c. 4. de Judæo in articulo mortis ad Chriſtum converſo ad epiſcopum Metenſem ſic ſcribit: *Si talis continuo deceſſiſſet, ad patriam protinus evolaſſet propter ſacramenti fidem, etſi non propter fidei ſacramentum.* Excipiunt pontificii, *animas, quæ in purgatorium abeunt, itidem inter beatas numerari.* Bellarminus in conc. de quatuor noviſſ. conc. 1. §. ut igitur: *ac illum quoque ad gloriam cenſeri, qui ad purgatorium aliquo tempore relegatur.* Sandæus in caſtig. conſc. Jeſuit. pag. 205. *Reſp.* 1.) Patres expreſſe dicunt, animas fidelium transmigrare in paradiſum, ſed paradiſus non eſt in purgatorio, ſed potius purgatorium eſt in inferno, qui paradiſo directe opponitur. 2.) Patres dicunt, animas fidelium ad quietem, lætitiam & gloriam pervenire; id vero de animabus in purgatorio æſtuantibus dici nequit, quia, ſi Bellarmino lib. II. de purg. cap. 17. & Gregorio de Valentia tom. IV. diſputat. XI. quæſt. 1. punct. 3. §. *quarta;* fides eſt habenda: *pœnæ purgatorii tam graves ſunt & acerbæ, ut longe ſuperent omnes pœnas, quæ tolerari poſſunt in hac vita, quin etiam ab ipſis inferni pœnis duntaxat duratione diſtinguuntur, in ipſa autem acerbitate & gravitate conveniunt.* 3.) Ipſimet pontificii purgatorium a cœlo & gehenna diſtinguunt; quomodo igitur animæ illæ ad cœlum evolare dici poſſunt, quæ in purgatorii carcerem detruduntur? 4.) Quomodo pii & fideles contra mortem animari poſſunt, ut non ſolum voluntario, ſed & læto animo eam venientem excipiant, utque in translatione ſua gaudeant, ſi purgatorii pœnis terrendi ſunt & examinandi?

duo tantum animarum receptacula ſtatuunt, in quæ animæ ex corporibus excedentes colliguntur, *rum receptacula ſtatuunt.*

cælum ſcilicet & infernum, tertium vero locum & ſtatum intermedium diſerte excludunt. Juſtinus loco proxime citato: "Juſtorum animæ poſt exitum e corpore ſtatim „in paradiſum ab angelis ducuntur; injuſtorum autem animæ in loca inferni, pro eo „atque dictum eſt de Nabuchodonoſore, rege „Babylonis: *Infernus ſubter exacerbatus eſt in „occurſum adventus tui.* Et adſervantur quæ„que in locis ſe dignis usque ad reſurrectionis „& compenſationis diem.„ Irenæus lib. I. adv. hæreſ. cap. 2. pag. 37. "Impii, injuſti, „iniqui & blasphemi homines mittuntur in „ignem æternum; juſtis autem & præcepta „Chriſti ſervantibus & in dilectione ejus per„ſeverantibus, quibusdam quidem ab initio, „quibusdam autem ex pœnitentia, donatur vita „& claritas æterna.„ Origenes in præfat. lib. περὶ ἀρχῶν pag. 666. "Anima, ſubſtantiam vi„tamque habens propriam, cum ex hoc mun„do diſceſſerit, pro ſuis meritis diſpenſabit „ſive vitæ æternæ ac beatitudinis hereditate „poſitura, ſi hoc ei ſua geſta præſtiterint, ſive „igne æterno ac ſuppliciis mancipanda, ſi in „hoc eam ſcelerum culpa detorſerit.„ Cyprianus ſerm. de mortalit. p. 212. "Hoc quod „ſine ullo diſcrimine generis humani juſti cum „injuſtis moriuntur, non eſt, quod putetis, „bonis & malis interitum eſſe communem. Ad „refrigerium juſti vocantur, ad ſupplicium ra„piuntur injuſti, datur tutela fidentibus, per„fidis pœna.„ Hilarius in comm. Pſalm. II. circa finem p. 359. "Ne quis ſibi pœnæ lucro „inter moras judicii blandiatur, in brevi nam„que exardeſcit ira. Excipit enim illos ſtatim „ultor infernus, & decedentes de corpore, ſi „ita vixerint, confeſtim de via juſta peribunt. „Teſtes nobis ſunt evangelii dives & pauper, „quorum unum angeli in ſedibus beatorum & „in Abrahæ ſinu locaverunt, alium ſtatim pœ„næ regio ſuſcepit. Adeo autem ſtatim pœna „mortuum excepit, ut etiam fratres ejus ad„huc in ſuperſtis manerent. Nihil hic dila„tionis

6.) *Duo tantum animarum receptacula ſtatuunt.*

§. CCXIX. *Sextam* claſſem complent dicta illa, in quibus

„tionis aut moræ est &c.„ Macarius homil. XXII. cujus ἐπιγραφὴ est *de duplici statu decedentium*: "Cum anima decesserit e corpore „hominis, tunc magnum quoddam peragitur „mysterium. Nam si fuerit illa peccati rea, „accedunt chori dæmonum & angeli sinistri, „ac potestates tenebrarum adprehendunt animam illam, & imperio suo subjugatam in „suas partes pertrahunt &c. Quod autem res „ita se habeat, ex ea parte potes intelligere, „quæ felicioris est conditionis; siquidem ex „præsenti tempore sanctis Dei servis adsistunt „angeli, ac sancti illi spiritus circumdant atque „custodiunt, cumque exierint e corpore hoc, „angeli eorum adsumunt animas in suam partem in seculo puro, & sic adducunt eas ad „Dominum.„ Athanasius quæst. XIX. ad Antioch. in principio: "Ex scripturis discimus, „quod peccatorum animæ inferius omni terra „& mari existant, ut inquit psalmus: *In tenebris & in umbra mortis & lacu infimo.* Justorum autem animæ in paradiso sunt, id „quod de latrone in cruce didicimus.„ Hieronymus in comm. Amos IX. "Quando anima „vinculis laxata corporeis volandi quo velit, „sive quo ire compellitur, habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur, de quibus scriptum est: *In inferno quis confitebitur tibi?* „aut certe ad cœlestia sublevabitur.„ (Excipit Bellarminus, *Hieronymum loqui non de morte naturali, sed de solutione animæ a corpore per speculationem. Resp.* si in hac vita quælibet anima aut est *filia Dei* ad cœleste regnum pertinens, aut *filia diaboli* igni infernali mancipata, utique etiam in morte non debet statui intermedius aliquis status. Adde, quod perquam durum sit de anima per speculationem evagante accipere illud, *quod vinculis corporeis laxetur*, quodque abeat eo, quo ire compellitur.) (*) Augustinus lib. I. de peccat. meritis & remiss. cap. 28. "Nec est ullus ulli „medius locus, ut possit esse, nisi cum diabolo, „qui non est cum Christo. Hinc & ipse Do„minus volens auferre de cordibus male cre„dentium istam, nescio quam, medietatem, „quam conantur quidam parvulis non baptiza„tis tribuere, ut quasi merito innocentiæ sint „in vita æterna, sed quia non sunt baptizati, „non sint cum Christo in regno ejus, definiti„vam protulit ad hæc ora obstruenda senten„tiam, ubi ait: Qui mecum non est, adver„sum me est.„ Lib. IV. de baptism. cap. 28. "Fides catholica non novit nisi duo loca, ubi „homines sint futuri perpetuo, cœlum beato„rum, & infernum damnatorum.„ Lib. XIII. de civit. Dei cap. 8. "In requie sunt animæ „piorum a corpore separatæ: impiorum autem „pœnas luunt, donec illarum ad æternam vi„tam, illarum vero ad æternam mortem, quæ „secunda dicitur, corpora reviviscant.„ Lib. XXI. de civit. Dei cap. 25. "Manifesta sunt „opera carnis &c. quoniam qui talia agunt, re„gnum Dei non possidebunt. Hæc profecto apo„stolica falsa est sententia, si tales post quantalibet „tempora liberati, regnum Dei possidebunt. Sed „quoniam falsa non est, profecto regnum Dei „non possidebunt. Et si in regni Dei possessione „nunquam erunt, æterno supplicio tenebuntur, „quoniam non est locus medius, ubi non sit „in supplicio, qui illo non fuerit constitutus „in regno.„ (In quibusdam exemplaribus deest adverbium negandi *non*, & sic legitur: *quoniam est locus medius*; sed contextus manifeste ostendit, particulam negandi esse addendam.) Lib. V. hypognostic. contra Pelagianos pag. 957. "Primum locum fides catholi„corum divina auctoritate regnum credit esse „cœlorum, unde non baptizatus excipitur. „Secundum gehennam, ubi omnis apostata vel „a Christi fide alienus æterna supplicia expe„rietur.

(*) Ephrem Syrus tom. I. tract. de mansione beat. *Extra duos hosce ordines alius non est ordo medius. Loquor autem de altero quidem superno, altero inferno, inter quos medians est varietas differentiæ retributionum. Quod si verum sit, ut constat esse verissimum, quid insipientius absurdiusve iis, qui dicunt: Quoniam sufficerit mihi gehennam effugisse, ingredi autem regnum cœlorum mihi non est curæ, cum effugere gehennam hoc ipsum sit regnum cœlorum ingredi, quemadmodum & ab eo excidere, est gehennam introire? Neque enim nos has regiones scriptura docuit.* Gerhardus.

„rietur. Tertium penitus ignoramus, imo „nec esse, in scripturis sanctis invenimus.„ (Excipit Bellarminus: *Augustinum loqui de locis æternis, cum scribat contra Pelagianos, qui invenerant tertium locum pro parvulis non baptizatis, quos volebant fore beatos quadam naturali beatitudine extra infernum & extra regnum cælorum.* *Resp.* hanc Pelagianam opinionem pontificii fecerunt suam per hypothesin de limbo infantum. Quomodo autem penitus ignorasset Augustinus locum tertium, si credidisset purgatorium? quomodo Pelagianos solide confutare potuisset, si tertium aliquem locum temporarium vel æternum ipse agnovisset? unde Erasmus ad illa verba Augustini in margine adnotavit *purgatorium*, q. d. purgatorium est locus ille intermedius, quem ignorat fides catholica?) Tract. XLIX. in Joh. „Habent omnes animæ, cum de seculo exie„rint, diversas receptiones suas, habent gau„dium boni & mali tormenta; sed cum facta „fuerit resurrectio, & bonorum gaudium am„plius erit, & malorum tormenta graviora, „quando cum corpore torquebuntur.„ Et postea: "Requiem, quæ continuo post mor„tem datur, si ea dignus est, tunc accipit „quisque, cum moritur.„ (Excipit Bellarminus: *animabus in purgatorio etiam dari gaudium & requiem, quia certæ sunt de æterna sua salute; interim hoc gaudium non esse sine admixtione pœnarum temporalium.* *Resp.* nordum pontificii in eo conveniunt, quod animæ in purgatorio sint certæ de sua salute. Et quale potest esse gaudium, qualisve requies illis, qui pœnis æque gravibus ac ipsi damnati torquentur? Adde, quod Augustinus non bonis, sed malis tormenta adsignat; sed ex hypothesi purgatorii etiam bonis tormenta erunt adscribenda. Observa & illud, quod Bellarminus lib. II. de purgat. cap. 18. in verbis Augustini in ench. cap. 110. *pertolerabiliorem damnationem* intelligat mitigationem pœnarum in purgatorio. At quomodo potest illis gaudium & requiem tribuere, quibus damnationem tribuit?) Serm. X. de verb. apostol. "Duæ habitationes „sunt, una in regno æterno, altera in igne æter„no.„ Serm. CCCXXIII. de temp. "Dicet aliquis, „ego regnum Dei nolo, æternam requiem tan„tum obtinere desidero. Nemo se decipiat „fratres; duo enim loca sunt, & tertius non „est ullis. Qui cum Christo regnare non me„ruerit, cum diabolo absque dubitatione ulla „peribit.„ Lib. de vanit. seculi cap. 1. "Sci„tote vero, quod cum anima a corpore avel„litur, statim aut in paradiso pro meritis bo„nis collocatur, aut certe, pro peccatis in in„ferni tartara præcipitatur. Eligite modo, „quod vultis, & hoc jam in vita vestra dispo„nite, aut perpetualiter gaudere cum sanctis, „aut sine fine cruciari cum impiis.„ (In margine ad hunc Augustini locum in ipsa Parisiensi editione adnotatur: *Vbi nunc purgatorium?*) Fulgentius ad Venant. de pœnit. epist. VII. "Vt noverimus, illos, qui gaudiis tem„poralibus oblectantur, & jussa divina con„temnunt, æternis ignibus concremandos, „illos vero, qui mala temporalia cum timore „Dei patienter tolerant, æterna quiete potitu„ros, adtendamus divitem purpuratum & pau„perem Lazarum, illum post epulas flammis „perennibus traditum, istum post ærumnas in „æterna sinus Abrahæ quiete securum.„ Theophylactus in Matth. VIII. "Justorum animæ „in manu Dei sunt, peccatorum vero & ipsæ „hinc abducuntur ut anima divitis.„ (Excipit Bellarminus: *Theophylactum, quamquam non meminit nisi duorum locorum, tamen non excludere alia.* At hæc est petitio principii; ut enim justos & peccatores immediate sibi invicem opponit, & tertium genus hominum excludit, ita quoque statum justorum & peccatorum post mortem sine ulla διαζολῇ invicem opponit. Perquam absurdum est, quod Bellarminus addit, *animas, quæ ad purgatorium deducuntur, revocari posse ad quodlibet istorum duorum, quæ Theophylactus ponit.* *Nam quia justæ sunt, recte possunt dici esse in manu Dei, licet non sint in regno Dei, & similiter dici possunt esse in inferno, quia purgatorium est pars inferni, vel certe locus vicinus.* Hoc vero est ex illis, quæ Theophylactus pro oppositis habet, facere sub-

subordinata, & cœlum terræ, imo inferno miscere. De justorum animabus, quæ sunt in manu Dei, liber Sapientiæ testatur, *quod non tangat eas tormentum.* At animas in purgatorio æstuantes tangunt tormenta gravissima ab infernalibus pœnis sola duratione differentia; quomodo igitur phrasi scripturæ possunt dici *in manu Dei*? Quando tandem finis erit purgatoriarum exceptionum?) Olympiodorus in Ecclesiastæ XI. "In quocunque „loco seu illustri seu tenebroso, hoc est, „sive in turpi scelerum statione, sive in virtutum honestate deprehendatur homo, cum „moritur, in eo gradu atque ordine perma„net in æternum. Nam vel requiescit in lu„mine felicitatis æternæ cum justis & Christo „Domino, vel in tenebris cruciatur cum ini„quis & principe hujus mundi diabolo. "Bernhardus in sent. mor. cap. 9. "Tria sunt loca, „cœlum, terra, infernus, & habent singula „habitatores suos: cœlum solos bonos, terra „mixtos, infernus solos malos.

VI) *Falsis nititur hypothesibus.*

§. CCXX. VI) Purgatorium *falsis nititur hypothesibus*, iisque compluribus; utpote: 1.) *Esse quædam peccata sua natura venialia.* Contrarium ostendimus in tract. de pecc. actual. §. 92. 2.) *Pro peccatis illis homini pœnitenti ipsimet satisfaciendum esse, si non in hac vita, tamen post hanc vitam.* Contrarium probavimus in tract. de pœnit. §. 121. 3.) *Remissa culpa adhuc manere debitum luendæ pœnæ.* Contrarium demonstravimus in tract. de pœnit. §. 125. 4.) *Adplicationem meriti Christi ad tollendam pœnam temporalem fieri per opera satisfactoria propria.* Contrarium testatur universa scriptura, quæ non nisi unicum adplicationis medium ex parte nostra novit, videlicet veram in Christum fidem. 5.) *Alia ratione in baptismo, quam in vera & seria pœnitentia remitti peccata.* Atqui ut una Dei misericordia, unum Christi meritum, unum evangelium, una fides, ita quoque una peccatorum remissio. 6.) *Hominem esse sui ipsius redemtorem ac salvatorem.* At universa scriptura non nisi unum redemtorem ac salvatorem ratione meriti & efficaciæ novit, Christum scilicet Dominum nostrum. 7.) *Acceptationem pœnæ a Deo inflictæ, cum ex caritate procedit, esse virtualem quamdam pœnitentiam & peccati remissoriam.* At non humiliatio, non patientia, quæ est illa acceptatio pœnæ, sed fides in Christum est illud medium, per quod in vera pœnitentia peccatorum remissio nobis confertur. 8.) *Spiritus illos, qui se in purgatorio esse renunciant, atque opem a vivis implorant, esse animas defunctorum, & ipsorum relationi fidem esse habendam.* Contra vero Deus graviter prohibet Esa. VIII. 19. veritatem a mortuis quærere; ac Chrysostomus hom. XXIX. in Matth. recte docet, adparitiones illas esse *diabolicas illusiones*, qua de re in sequentibus plura dicentur. 9.) *Animas purgatorii nec esse in via nec in termino.* Bellarminus lib. I. de purgat. c. 14. At repugnat hoc ipsi rerum naturæ; quilibet enim est *viator* vel *comprehensor*, dicunt scholastici, unde ipse Bellarminus contrarium adserit lib. II. de purgat. cap. 3. resp. ad 1. *Dico animas purgatorii non esse in via, sed in termino, quantum ad gratiæ augmentum.* 10.) *Animas purgatorii nec ad militantem ecclesiam in terris, nec ad triumphantem in cœlis, sed laborantem infra terram pertinere*; cum hujus tertiæ partis nulla fiat in scripturis mentio.

VII) *Est figmentum ethnicum. Judaicum & Turcicum.*

§. CCXXI. VII) Purgatorium est *figmentum ethnicum, Judaicum & Turcicum.* 1.) Quod sit *ethnicum* dogma, patet tum ex *ejusdem origine*, tum ex *pontificiorum confessione.* Origo purgatorii non potest monstrari in scriptis propheticis, sed in libris poëtarum ac philosophorum gentilium. Algazel, philosophus Arabs, lib. II. philosophiæ tract. V. cap. 5. *purgatorium* statuit. Homerus odyss. XI. de Ulyssis ad inferos descensu & animarum adlocutione fide poëtica multa differit, quin & mentionem facit sacrificiorum pro mortuis, & fluviorum

vibrum infernalium & judiciorum, alias denique animas supplicio adfectas, alias temere per infernum oberrantes ac dolentes introducit. Αἱ δ' ἄλλαι ψυχαὶ, inquit, νεκύων κατατεθνειώτων ἔφασαν ἀχνύμεναι, εἴροντο δὲ κήδε ἑκάστη. Homeri vestigiis insistit Plato in Phædone & Gorgia, ubi disputat, *animas purgandorum a dæmonibus in loca sua deferri; purgari eos, qui nec valde boni nec valde mali* ac ἀνίατοι *fuerunt*, sed οἱ δόξωσι μέσως βεβιωκέναι, *qui medio modo se habuerunt, qui cum iasimois, venialibus sive sanabilibus peccatis exierunt, eosdem* φλεγομένους, *flammis ustulatos*, dicit *opem viventium implorare.* Hanc Platonis sententiam latius declarat Hermagoras, Platonicus philosophus, qui, ut est apud Macrobium in somnio Scipionis lib. II. in fin. *infinita secula* dixit *dinumeranda esse, quibus nocentum animæ in easdem pœnas sæpe revolutæ sero de tartaris emergere permittuntur, & ad naturæ suæ principia, quod est cælum, tandem impetrata purgatione remeare.* Confer Eusebium lib. XI. de præparat. evangel. c. ult. Augustinum lib. XXI. de civit. Dei. c. 13. & Chemnitium part. III. exam. de purgat. cap. *Historia de orig. purg.* ubi de Platonico illo purgatorio latius differitur. A *Græcis* purgatorii dogma propagatum fuit ad *Romanos*, qui & ipsi talem peccatorum quorumdam post mortem κάθαρσιν crediderunt. Cicero in somn. Scipion. *Eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministros præbuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium deorum & hominum jura violavere, corporibus elapsi circa terram ipsam volutantur, nec in hunc locum nisi multis agitati seculis revertuntur.* Virgilius lib. VI. Æneid.

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Claudianus lib. II. in Ruffin. circa finem:

Et quos per varios amnes per mille figuras
Egit Lethæo purgatos flumine &c.

Confessionem pontificiorum exponit Bellarminus lib. I. de purgat. c. 11. rat. 3. *Purgatorium*, inquit, *confitentur gentiles tam philosophi, quam poëtæ, ut patet ex Platone, Cicerone, Virgilio & Claudiano.* Ingolstadienses in disp. de purgatorio dicunt: *exstare purgatorium apud Homerum, Virgilium & Aristotelem.* Salmeronius tom. XIV. disp. XXV. p. 226. addit *Senecam & Plinium.* Neve de consensu Platonicorum & pontificiorum in hoc doctrinæ capite dubites, ideo Bellarminus adsertionem Augustini lib. XXI. de civit. Dei c. 13. *quod Platonici nullam post hanc vitam agnoverint pœnam, nisi purgatoriam;* lib. I. de purgat. c. 2. §. *Quanquam &c.* eo modo corrigit, ut statuat, *Platonem non minus, quam Romanam ecclesiam tria hominum genera, qui post mortem ad judicium evocantur, statuisse. Unum eorum, qui pie juste que vixerunt, quos statim ad insulas beatorum transmitti adserit. Alterum eorum, qui peccata curabilia perpetrarunt, quos ad tempus pœnis exerceri adserit, donec scelus eluatur. Tertium eorum, qui peccata incurabilia commiserunt, quos in tartarum in æternum puniendos dejici dicit, quorum supplicia ipsis quidem nihil prosint, sed aliis tamen prosint ad exemplum.* Vtque eo magis de conformitate doctrinæ pontificiæ atque ethnicæ constare possit, confer *pratum illud florentissimum, lucidissimum, odoratum, amœnum, in quo degunt animæ visioni divinæ nondum idoneæ*, quod describit Bellarminus lib. II. de purgat. c. 7. cum descriptione camporum Elysiorum apud Virgilium lib. VI. Æneid.

Devenere locos lætos & amœna vireta
Fortunatorum nemorum sedesque beatas.
Largior hic campos æther & lumine vestit
Pur-

Purpureo, ſolemque ſuum, ſua ſidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæſtris &c.

§. CCXXII. 2.) Quod ſit dogma *Judaicum*, itidem probatur, tum ex *doctrinæ Judaicæ & papiſticæ collatione*, tum ex *pontificiorum confeſſione*. Thalmud tres claſſes Judæorum reſurgentium conſtituit, primam *piorum*, alteram *impiorum*, tertiam *mediorum*, qui non nili per purgatorium ſalvantur. In libr. Roſch. haſchana c. 1. tradunt, *illos, qui nec perfecte boni nec extreme impii ſunt, in inferno expiare reſiduas ſordes poſt mortem per duodecim menſes, poſtea liberari, poſſe etiam eos juvari precibus, quæ recitantur ſingulis ſabbatis; & huic rei deſtinata eſt certa quædam orationis formula*, in libro הַפְלָוֹת, quam קַדִּישׁ adpellant, *eamque quilibet filius, non autem filia, quotidie pro defunctis parentibus per undecim menſes a morte recitare tenetur*. Habent vero & alia multa figmenta de diſcrimine pœnarum, quæ videre licet in dicto libro. - *Confeſſionem* pontificiorum exponit Bellarminus lib. I. de purg. cap. 11. *Purgatorium*, inquit, *confitentur Hebræi, ut patet ex 2. Macc. XII. nam ſaltem eadem fides adhibenda eſt ei libro, quæ adhibetur Livio. Præterea Joſephus, filius Gorionis, in lib. de bello Judaico cap. 19. indicat, Judæos conſuevisſe orare pro mortuis, non tamen pro illis, qui ſe interimunt.* 3.) Quod ſit dogma *Turcicum*, patet ex alcorano azoar. X. in qua purgatorium confirmatur: *Crede, quod omnes tranſibunt per purgatorium, & ibi ſtabunt, alii plus, alii minus.* Azoara XXIX. *Sciendum quidem, neminem eſſe, qui non ad ignem, quoniam hoc Deus mandavit, proficiſcatur, ubi corporaliter etiam increduli perſeverabunt.* Bellarminus d. l. *Mahumetani purgatorium in alcorano diſerte confitentur.* Salmeronius tom. XIV. p. 225. *Purgatorium etiam impurus Mahumet teſtatur.*

VIII) *Laborat perpetuis contradictionibus.*

§. CCXXIII. VIII) Purgatorii dogma *perpetuis laborat contradictionibus*. Diſſentiunt enim pontificii: 1.) de *probandi principio*, ex quo purgatorii dogma ſtabiliendum. Roſſenſis, Petrus a Soto & Pererius fatentur, *ex ſcripturis non poſſe probari purgatorium*, ut ipſorum verbis oſtendimus ſuperius. Sed reliqui ſcriptores pontificii magno conatu varia ſcripturæ teſtimonia conquirunt; ac ſynodus Tridentina ſeſſ. XXV. eccleſiam *ſacris literis edoctam* purgatorium ſtatuere adſerit. In vet. teſt. non fuiſſe purgatorium, quidam ex pontificiis ſtatuunt. At reliqui multa vet. teſt. dicta ad purgatorium adplicant. Primitivæ eccleſiæ doctoribus ignotum fuiſſe purgatorium, fatetur Roſſenſis, ut oſtendimus ſuperius. Sed reliqui ſcriptores pontificii ex omnibus patribus Græcis & Latinis per ſingula ſecula pro purgatorio adſtruendo teſtimonia anxie conquirunt. Salmeronius in comm. 1. Cor. XV. diſp. XXV. in fine: *Omnes veteres Græcos patres & agnoviſſe purgatorium, & ſcriptis ſuis luculentiſſime prodidiſſe* adſerit. Quidam purgatorium probant ex Zach. IX. *Eduxiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Alii aliud probant ex dicto Pſalm. LXVII. *Tranſivimus per aquam & ignem, & eduxiſti nos in refrigerium.* At hæc dicta non poſſunt ſimul utraque ad purgatorium adplicari. Si enim in purgatorio *non eſt aqua*, quomodo de animabus in purgatorio dici poteſt, quod *per aquam & ignem tranſeant?* Denique quæ ſcripturæ dicta a quibusdam pontificiis ad purgatorii ignem ſuccendendum & alendum adhibentur, ea ab aliis de purgatorio agere negantur, ut ex ſequentibus adparebit. 2.) De *objecto* ſeu perſonis in purgatorium relegandis. Bellarminus lib. II. de purg. cap. 1. *Multi patres, Origenes*, hom. XIV. in Luc. & in Pſalm. XXXVI. *Ambroſius*, in Pſalm. XXXVI. & ſerm. XX. in Pſalm. CXVIII. *Hilarius*, in Pſalm. CXVIII. *Lactantius* lib. VII. div. inſt. c. 21. *Hieronymus*, in c. VII. Amos. *Rupertus* lib. III. in Geneſ. c. 32. *ſtatuunt purgari debere poſt hanc vitam tam bonos quam malos uno Chriſto excepto, adeo ut ipſa quoque Maria per ignem illum purgatorium tranſeat.* Hanc ſententiam acceptam, ut ſonat, Bellarmi-

minus dicit *continere errorem*; sic tamen patres, uno Origene excepto, excusat, quod Hilarius & Hieronymus loquantur de *igne divini judicii*; Lactantius, Ambrosius & Rupertus per ignem intelligant *verum ignem purgatorium*, per quem tamen dicant sanctos sine ulla læsione transire, ita ut transeant per purgatorium *materialiter*, non *formaliter*, cui sententiæ conformem esse dicit visionem b. Fursæi, quam describit Beda lib. III. hist. c. 19. *Ille enim vidit in via ad cælum maximos ignes, per quos necessario transeundum erat, sed vidit simul, eos, qui nihil haberent combustibile, hoc est, nullum culpæ aut pœnæ reatum, illæsos transire, alios vero magis minusve exuri, prout plus minusve materiæ combustibilis offerebant.* In epicrisi de hac sententia ferenda Bellarminus totus dubius est; neque enim audet eam pro vera adserere, nec tamen ut errorem improbare. Franciscus Middensis in elucid. verit. cathol. in adnot. disertis verbis eam confirmat. *Claret*, inquit, *quod omnes post hujus seculi vitam transire habeant per illum ignem; addit tamen, quod bonis non fiat ex hac re aliqua injuria, cum absque læsione per illum transeant, & sine retardatione mercedem accipiant.* Et sane si per *ignem* 1. Cor. III. 13. pontificii intelligere velint ignem purgatorium, statuere coguntur, tam eos, qui *super fundamentum ædificarunt aurum, argentum & lapides pretiosos*, quam eos, qui *fœnum & stipulas superædificarunt*, hoc est, tam bonos, quam malos, in illum ignem descendere. 3.) De *ministro* seu tortore ac carnifice purgatorii. Salmeronius tom. XIV. p. 232. "Non „desunt quidam ex nostris, qui adserunt, dæ„mones adsistere his, qui purgantur, partim „ut pœnis illorum satientur, partim quia ipsis „impellentibus quædam peccata admiserunt, „a quibus ibi expiantur, & ideo ut victores „illis insultant. Quam tamen sententiam alii „forsan melioribus rationibus respuunt, ut mi„nus probabilem." Bellarminus lib. II. de purg. c. 13. "An in purgatorio animæ tor„queantur a dæmonibus, res est omnino in„certa. Nam quod non torqueantur a dæmo„nibus nec ab angelis, sed a solo igne, do„cent scholastici, ut Thomas lib. IV. sent. dist. „20. art. 5. & rationem reddunt, quia omnes „animæ purgatorii in ultimo conflictu diabo„lum superarunt, ideo non decet divinam ju„stitiam, ut sinat eas ab hoste devicto vexari. „Deinde hic in terris etiam perfectos viros „dæmones vexant, qui sperant, se posse eos „ad peccatum pertrahere; at animas purgato„rii sciunt in gratia confirmatas non posse ca„dere, & vexationem illis necessario profutu„ram ad celeriorem purgationem; non igitur „credibile est, dæmonum opera animas illas „cruciari. Ex altera parte quod a dæmonibus „torqueantur animæ purgatorii, docent multæ „revelationes, ut illa b. Fursæi apud Bedam „lib. III. hist. c. 19. & apud Dionysium Car„thusianum lib. de quatuor Novissimis," & lib. I. vitæ Bernhardi c. 10. Thomas Morus contra Lutherum scribens in eamdem inclinat sententiam, quod scilicet dæmones puniant animas in purgatorio. *Maneat igitur & hoc inter secreta*, (inquit Bellarminus,) *quæ suo tempore nobis aperientur.* Quatuor in universum opiniones de hac quæstione apud pontificios deprehenduntur. Quidam enim ex relatione diaboli putant animas sui duntaxat exilii vi & ignis vehementia adfligi. Specul. exemplorum dist. 4. ex 44. & dist. 6. ex. 89. Quidam ignem flatu omnipotentis excitari & accendi statuunt; ita sentit legenda aurea hist. CLVIII. Bonaventura lib. IV. sent. dist. 40. §. 29. animas ab angelo bono in purgatorium duci ac educi adserit. Alii ex revelationibus probare conantur, animas purgatorii a dæmonibus torqueri. Et sane si purgatorium est sinus quidam inferni, si locum Matth. V. 25. *ne tradat te judex ministro*; ad purgatorium adcommodare velimus, si diabolum divinæ justitiæ exsecutorem agnoscimus, eccur torquendi partes alteri, quam diabolo, adsignabimus? Contra vero cum justorum animæ sint *in manu Dei*, cur eas subjicere velimus manui ac potestati diaboli? & si dæmones sunt in purgatorio, cur non & ipsi purgatorii ignis flammis tandem expurgantur? 4.) De *materia* sive igne

igne purgatorii. Albertus lib. IV. sent. dist. 20. *Ego dico, quod non arbitrer, quemquam scire, qualis sit ignis ille, nisi cui Deus revelaverit.* In concilio Florentino aperte definitur, *non esse ignem* in purgatorio. Quidam, ut ostendimus superius, etiam *aquam* in purgatorio agnoscunt, nec solum igne, sed etiam aqua & flumine quasdam animas purgari adstruunt. Illis opponit se Thomas Morus, qui contra Lutherum scribens pertinaciter contendit, in purgatorio non esse aquam, idque probat ex Zach. IX. Bellarminus lib. II. de purg. cap. 10. "Certum est, in purgatorio, sicut „etiam in inferno esse pœnam ignis, sive iste „ignis accipiatur proprie sive metaphorice, „& sive significet pœnam sensus sive damni, „ut quidam volunt.„ Cap. 11. "Communis „sententia theologorum est, verum & pro„prium esse ignem & ejusdem speciei cum „nostro elementari, quæ sententia non est quidem de fide, tamen est probabilissima.„ Sed hic nova oritur difficultas, *quomodo ignis corporeus urat animas?* Respondet Bellarminus cap. 12. "non posse in hac vita sciri, quomo„do ignis corporeus agat in animam incorpo„ream; sed licet non sciamus, quomodo id „fiat, posse tamen fieri, ut constet ex quo„dam simili. Videmus autem animam incor„poream uniri corpori humano & ei vitam „dare, & cum illo simul gaudere & pati, „cum tamen modus hujus unionis sit plane in„effabilis. Quis capiat, quomodo spiritus sit „forma corporis, cum inter corpus & spiri„tum nulla sit proportio? Sicut ergo potuit „uniri spiritus carni, ut illi vitam communi„caret, ita potest uniri spiritus igni, ut ab illo „pœnam trahat, licet modus utriusque sit pla„ne incognitus.„ Atqui dispar ratio est inter animam ἐνσώματον, corpori unitam, & ἀσώματον, extra corpus subsistentem. Anima ἐνσώματος ignis corporei flammis adficitur non immediate, sed mediate ratione corporis, cui arctissime est unita, de quo tractat Augustinus lib. XXI. de civ. Dei cap. 10. (quem locum pro sua sententia Bellarminus adducit, cum non de pœnis animarum in purgatorio, sed damnatorum in inferno ibidem agatur,) sed animam ἀσώματον corporeo quodam igne immediate torqueri posse, nondum est demonstratum. Ecquis enim non rideat illud, quod in speculo exemplorum dist. 3. exempl. 3. commemoratur, *presbyterum quemdam vidisse animas verubus adfixas ad ignem fuisse assatas, & tortores adipem destillantem iterum in eas refudisse.* Antoninus part. IV. tit. 14. cap. 10. §. 4. *ignem purgatorium eumdem esse* dicit *cum infernali ac gehennali*; unde ad purgatorium adcommodat dictum Christi Matth. X. *Timete eum, qui animam & corpus potest perdere in gehenna.* At si ex hoc Christi dicto purgatorium probatur, non erit ex eo liberatio, quia ex gehenna nulla speranda liberatio. 5.) De *statu animarum* in purgatorio. Quærunt, *an animæ purgatorii possint mereri?* Thomas adfirmat lib. IV. dist. 21. q. 1. art. 3. ad 4. ubi dicit, *post hanc vitam non posse reperiri meritum respectu præmii essentialis, sed tantum respectu accidentalis.* Idem confirmant alii hoc argumento: *Animæ in purgatorio habent omnia necessaria ad meritum; nam habent gratiam, fidem, spem, caritatem, & liberum arbitrium, saltem quoad exercitium, cur igitur non merentur? Deinde beati mereri possunt, ut patet de Christo, qui semper fuit beatus, & tamen merebatur. Ergo multo magis animæ purgatorii mereri poterunt.* Antiochorensis in summa lib. IV. refert quorundam sententiam, quod statuerint, *animas in purgatorio posse mereri vel demereri.* Sed contrarium statuit Bellarminus lib. I. de purg. c. 3. *videlicet in purgatorio non amplius esse locum meritis.* De Thoma respondet, quod sententiam suam mutaverit. Quærunt, *an animæ in purgatorio pro nobis orent?* Thomas II. 2. q. 83. art. 11. ad 3. diserte negat. Quomodo enim pro nobis orarent animæ destitutæ *speculo illo*, in quo nostras intueantur miserias? quomodo orarent destitutæ Dei visione & adspectu? Bellarminus lib. II. de purg. c. 15. §. *quod autem &c.* adfirmat. *Non est*, ait, *incredibile, etiam animas purgatorii pro nobis orare & impetrare, quandoquidem animæ Pa-*

schasii & Severini miracula operabantur, etiamsi in purgatorio degerent, ut patet ex Gregorio lib. IV. dialogorum c. 40. Probat id ipsum ex eo, quod *dives in inferno orabat pro fratribus suis* Luc. XVI. At qualis intercessio, talis etiam probatio. Dives ille pro fratribus intercedendo nihil impetrat; metuendum igitur, ne & animæ in purgatorio pro nobis orantes frustra intercedant; unde Bellarminus huic intercessioni parum fidens ac tribuens subjungit: *Quamquam hæc vera sint, tamen superfluum videtur ab eis ordinarie petere, ut pro nobis orent, quia non possunt ordinarie cognoscere, quid agamus in particulari, sed solum in genere sciunt, nos in multis periculis versari, sicut nos de illis in genere scimus, eas valde torqueri; nam nec rebus nostris intersunt, nec in Deo orationes nostras vident, nec est verisimile, eis revelari ordinarie, quid agamus vel petamus.* Sed huic discursui Bellarmini contradicit legenda aurea CLVIII. ubi traditur, *animam animæ nunciare & revelare, quæ in mundo aguntur, & quæ pro singulis vota fiunt.*„ In speculo exempl. dist. 3. exempl. 123. *Anima cujusdam in purgatorio subsultabat subito, & cum ab animabus vicinis interrogaretur, quamobrem id faceret; respondit, illa ipsa hora sibi natum posthumum, qui in prima sua missa ipsum ex purgatorio esset liberaturus.* Quærunt, *an animæ in purgatorio certæ sint de sua salute?* Salmeronius tom. XIV. p. 231. *Quidam catholici sentiunt, aliquos defunctos salutis ignoratione puniri, & illo vehementissimo dolore, qui inde exsurgit, adfligari. Quidam catholici*, inquit Bellarminus lib. II. de purgat. c. 4. *docent, non esse certas; existimant enim, inter purgatorii pœnas esse unam maximam incertitudinem salutis. Ita videtur sentire Dionysius Carthusianus ob quasdam visiones, quas ipse refert* lib. de quatuor noviss. art. 47. *Idem docet Michaël Baji* lib. II. de merit. c. 8. *Idem videtur deduci ex sententia Gersonis* lect. I. de vit. spir. *& Johannes Roffensis* contra artic. XXXII. Lutheri &c. *At communis theologorum sententia est, omnes animas, quæ in purgatorio sunt, habere certitudinem suæ salutis;* ita enim definivit Leo X. in bulla sua contra Lutherum art. XXVIII. quam tamen certitudinem Bellarminus dicit esse *mediam inter eam, quæ est beatorum & in vita æterna, & piorum in hac vita, quam vocat conjecturalem.* Quanta vero hæc absurditas, majorem salutis certitudinem tribuere animabus, quæ in purgatorio a diabolis torquentur, quæ justitiam Dei vindicem potius, quam gratiam sentiunt, quæ puniuntur igne sola duratione ab infernali differente, quæ non amplius sunt in statu merendi &c. quam piis in hac vita, quibus in verbo evangelii gratia Dei, remissio peccatorum & vita æterna offertur, qui habent vitam æternam, quibus Spiritus sanctus interius confirmat, quod sint Dei filii & hæredes vitæ æternæ? Quod si animæ in purgatorio sunt certæ de sua salute, cur ecclesia Romana pro eis hac precationis forma orat: *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum?* Bellarminus anxie quærit varias responsiones, sed nec lectori nec sibi ipsi satisfacit. Nota etiam illam contradictionem: Pœnæ purgatorii sola duratione differunt a pœnis damnatorum inferni ex hypothesi pontificiorum. Atqui pœna damnatorum *essentialiter includit desperationem salutis*, docente Bellarmino lib. IV. de Christo cap. 8. quomodo igitur animæ in purgatorio possunt esse certæ de salute? 6.) De *loco purgatorii* Thomas lib. IV. sent. dist. 21. *de loco purgatorii non invenitur aliquid determinatum in scripturis, nec ad hoc possunt rationes efficaces induci.* Contrarium statuit Becanus de purg. Calvin. cap. III. p. 32. qui inter ea, quæ de purgatorio apud catholicos certa sunt, etiam hoc numerat, quod *sit in loco subterraneo.* "De eo ecclesia nihil „definivit,„ inquit Bellarminus lib. II. de purg. c. 6. (ejus, quod nusquam est, locus definiri non potuit.) "Sunt autem multæ opiniones: *Pri*„*ma* quorumdam, qui putant, ibi animas pur„gari, ubi peccaverunt, hoc est, variis in lo„cis. Et quidem quod variis in locis animæ

„pur-

„purgentur, satis probabiliter colligitur ex „Gregorio lib. IV. dial. cap. 40. & 55. qui „refert, animam Paschasii & cujusdam alterius „in balneis fuisse purgatas; nec non ex epistola Petri Damiani de miraculis sui temporis, „ubi describit visionem de purgatione animæ „s. Severini in quodam flumine. At quod „omnes ibi puniantur, ubi peccaverint, non „est probabile; nam contingit aliquem in multis locis peccasse, nec est verisimile in omnibus illis purgandum. *Secunda* opinio, loca „animarum non esse corporalia. Ita Augustinus lib. XII. de Genes. ad lit. c. 33. sed re„tractavit lib. II. retract. c. 24. *Tertia*, loca „pœnalia animarum esse hunc mundum, in „quo animæ manent in corpore tanquam in „carcere. Hanc refert & refellit Irenæus in „lib. V. *Quarta*, infernum & purgatorium „animæ nihil aliud esse, quam conscientiam „adcusantem & punientem peccata; ita Philo „& Origenes. *Quinta* est, infernum & pro„inde purgatorium, sunt enim loca vicina; „fore in valle Josaphat: ita refert Chrysosto„mus, sensisse veteres aliquos, homil. de præ„miis beator. tom. III. Similem sententiam „refert Gregorius lib. IV. dial. c. 42. *Sexta*, „infernum esse statum animæ extra corpus; „ita refert Theophylactus in Luc. XVI. *Septima* est, locum pœnalem animarum non esse „terram, sed aërem istum caliginosum, ubi „dæmones versantur; ita Gregorius Nyssenus „in lib. de anima & resurr. ac Chrysostomus „homil. de præm. beator. & auctor imperf. „oper. in Matth. hom. LIII. cui sententiæ favet historia s. Fursæi apud Bedam lib. III. hist. „angl. c. 19. illo enim defuncto, cum ab angelis in cœlum deduceretur, ostensi sunt maximi ignes supra aërem, qui servabantur, „ut angelus dicebat, ad mundi conflagrationem, & interim examinabantur ibi opera hominum. *Octava* est communis scholasticorum, purgatorium esse intra terræ viscera „inferno ipsi vicinum. In legendis & specu„lis exemplorum memoratur, quod aliæ animæ relegatæ fuerint in vepres, aliæ in mon„tes, aliæ in convalles, aliæ in puteos, aliæ „sub umbras arborum, aliæ in aërem, aliæ „sub stillicidia, aliæ in glaciem, aliæ in flumina, aliæ in antrum Patricii &c.„ Rationem diversæ illius circumgyrationis exponit Bonaventura lib. IV. sent. dist. 4. §. 34. "Diversis diversa loca sunt concessa, vel propter „eorum celeriorem liberationem, ut aliis possint suam indigentiam revelare, sicut docet „exemplum de Paschasio, vel propter nostram „instructionem, ut aliquando recogitemus, „magnam post hanc vitam pœnam infligi pec„catoribus, vel propter cujusdam sancti impetrationem, sicut legimus, quod Patricius „impetravit cuidam, quod puniretur in quo„dam loco in terra.„ Albertus lib. IV. sent. dist. 20. sic distinguit, quod *purgatorii locus alius est ex ordine divinæ justitiæ determinantis receptaculum animæ puniendæ, alius vero ex dispensatione.* Majolus in dieb. canicul. colloq. II. p. 61. *Thomas cum Bonaventura dicit, quod particularia purgatorii loca in superficie terræ specialiter Deus ordinavit.* Quærunt porro, *an præter cælum & purgatorium sit post hanc vitam aliquis alius locus pro animabus justis?* Bellarminus lib. II. de purg. cap. 7. dicit, "hic subesse difficultatem satis „magnam, quia ex una parte omnes theologi „docent, non esse alia receptacula præter quatuor enumerata, quæ sunt limbus patrum, „limbus infantum, purgatorium & infernus; „concilium Florentinum sess. ult. definit, animas, quæ nihil purgandum habent, mox recipi in cœlum. Ex altera parte narrat Beda „lib. V. hist. cap. 13. visionem valde probabilem, cui ipse fidem adhibere non dubitavit, „in qua ostensum fuit cuidam animæ, quæ ad „corpus postea rediit, præter infernum, purgatorium & regnum cœlorum, quoddam „quasi pratum florentissimum, lucidissimum, „odoratum, amœnum, in quo degebant animæ, quæ nihil patiebantur, sed tamen ibi „manebant, quia nondum idoneæ erant divinæ visioni beatificæ; cui revelationi multas „alias conformes adducit Dionysius Carthusianus in dialogo de judicio particulari art. „XXXI. & Ludovicus Blosius in monili spiri„tuali

„tuali cap. 13. Videtur mihi dicendum, (ait „Bellarminus) non esse improbabile talem ali„quem locum reperiri, cæterum ejusmodi lo„cum ad purgatorium pertinere. (mirum verum, quod flammæ purgatorii illud pratum non exurant ac deturpent.) Etsi enim ibi „nulla sit pœna sensus, tamen est pœna damni. „Pœna autem non convenit nisi animæ, quæ „nondum plene purgata est; itaque erit locus „ille mitissimum purgatorium, & quasi carcer „quidam senatorius ac honorarius.„ (Atqui si omnis locus, in quo est pœna damni, pertinet ad purgatorium, etiam limbus patrum, limbus infantum ad purgatorium pertinebunt, sicque duo tantum remanebunt receptacula, infernus scilicet & purgatorium.) 7.) De *tempore purgatorii*, tum ratione *initii*, tum ratione *finis*. Salmeronius tom. XIV. disp. 25. p. 220. refert, quosdam asserere, *quod ante Christi mortem quidem fuerit purgatorium, quia nondum fuerat consummata iniquitas, nec finem acceperat peccatum, verum post Christi passionem ac mortem sublatum esse de medio*; quibus opponit locum 1. Cor. III. & ecclesiæ confessionem. Dominicus a Soto lib. IV. sent. dist. 19. q. 3. art. 2. disputat, *tempus purgationis non durare ultra decem annos*. Rationem addit hanc, *quia si hic in terris aliquibus pœnis brevi tempore liberari possumus ab omni pœna, quare non multo citius in purgatorio, cum illæ pœnæ in infinitum graviores & intensiores istis? Præterea hic sunt prolixæ pœnæ, quia non possunt esse multum intensæ; nam subjectum destruerent. At post hanc vitam possunt esse intensissimæ, quia subjectum est incorruptibile. Ergo credibile est, Deum illas animas ad gloriam anhelantes brevissimo tempore per intensissimas pœnas purgare*. Sed hanc Dominici opinionem Bellarminus lib. II. de purg. c. 9. repudiat, eidemque opponit *visiones sanctorum, quæ testantur, quasdam animas usque ad diem judicii in purgatorio mansuras; item ecclesiæ Romanæ consuetudinem, quæ anniversaria sacra celebrat pro defunctis, etiamsi constet, eos ante centum vel ducentos annos esse mortuos*. Concludit igitur, *rem esse incertissimam nec nisi temere definiri posse*. Antoninus part. IV. tit. 14. c. 10. §. 6. *Unicuique tempus purgationis ad illud, in quo peccavit, dimensum est*. Quod si ita est, quorsum igitur prodest, per centum, ducentos, vel plures annos missas, vigilias, septendialia & anniversaria pro defunctis celebrare? *In extremo judicio finem suum habiturum esse purgatorium* adserit Bellarminus lib. I. de purg. c. 12. resp. ad 5. Sed veteres, quorum auctoritatem in hac controversia nobis opponunt, (Origenes, Ambrosius, Lactantius,) ultra finem seculi extendunt quorumdam purgationem. Nec potest dari evidens ratio, cur in fine seculi purgatorium sit exstinguendum, cum tamen multi paulo ante novissimum diem mortui reatu peccatorum venialium & debito pœnarum temporalium pro peccatis suis persolvendarum adhuc teneantur obstricti. Sed & pontifices Romani *in multa annorum millia*, & sic ultra finem seculi indulgentias suas protendunt, quod impostura perquam adfine, si in fine mundi purgatorium penitus cessabit. 8.) De *gravitate pœnarum* in purgatorio. Omnes quidem statuunt, *pœnas purgatorii esse majores pœnis hujus vitæ*; *unde* Antoninus part. IV. tit. 14. c. 10 §. 4. refert, *aliquando ægrotum mutasse suum morbum pœna purgatorii, at mox morbum eumdem, licet acerbissimum repetivisse*, ac dis. de tem. serm. LX. dicit: *Si cui brevissimus dies in purgatorio transigendus esse, mallet is centum annos in acutissimis spinis incedere, pede nudo, nihil quam atrum panem vorare, nihil quam fel aceto mixtum potare, lapidemque pro pulvinari habere*. Dubitant tamen ac disceptant, *quomodo pœnæ purgatorii majores sint hujus vitæ pœnis*? Thomas lib. IV. sent. dist. 20. q. 1. art. 2. docet, *pœnam damni esse maximam pœnarum, tam quæ in purgatorio, quam quæ in hac vita reperiri possint, ac minimam pœnam purgatorii esse majorem maxima pœna hujus vitæ, quod utrumque certis rationibus conficere nititur*. Sed Bonaventura in lib. IV. sent. dist. 20. art. 1. q. 2. statuit, *pœnam damni in purgatorio non esse majorem omni pœna sive purgato-*

gatorii, sive hujus vitæ: ac purgatorii pœnas esse majores pœnis hujus vitæ solum in hoc sensu, quia maxima pœna purgatorii est major, quam sit maxima pœna hujus vitæ, licet aliqua pœna purgatorii reperiatur minor aliqua pœna hujus vitæ; quæ sententia Bonaventuræ Bellarmino magis probatur lib. II. de purgat. cap. 14. Quærunt etiam, *an pœnæ purgatorii semper crucient æque graviter ab initio usque ad finem purgationis, an vero paulatim minuantur, donec finem accipiant?* Bellarminus d. l. respondet, *de eo adhuc superesse quæstionem; interim probabilius esse, quod pœnæ paulatim remittantur*, quod tamen non nisi ex revelatione quadam facta Malachiæ probat. 9.) De *liberatione animarum ex purgatorio.* Animas sanctorum defunctorum cum Christo regnantes orare pro animabus in purgatorio laborantibus, ut eo citius ex eo liberentur, negat Dominicus a Soto lib. IV. sent. dist. 45. q. 3. art. 2. contrarium adferunt reliqui pontificii. Ex purgatorio animas liberari posse, ex inferno non posse, communis est fere omnium sententia. Sed in missæ sacrificio pro defunctis hoc modo orant: *Domine, libera animas fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum*; in quibus verbis dextre explicandis plurimum laborant Bellarminus & Salmeronius, nec tamen sibi ipsis satisfaciunt. Damascenus in orat. pro mortuis dicit, *orationibus Teclæ liberatam de inferno animam cujusdam Falconillæ, fœminæ paganæ, & orationibus Gregorii papæ animam Trajani imperatoris*, quam historiam defendit Andradius Payva, imo & Salmeronius tom. XIV. disp. 27. p. 236. Ranulphus lib. VI. in polychr. cap. 8. *impii regis Eduini animam Dunstani precibus ab inferno liberatam, ac in pœnitentium animarum sortem translatam esse* memorat. Gregorius lib. I. dial. cap. 12. scribit, *a S. Severo excitatum quemdam virum pessimum, qui a dæmonibus in infernum deducebatur.* Bellarminus lib. II. de purg. cap. 8. dubius est: *Si hæc* (inquit) *Damasceni historia defendi debeat, oportet dicere, Trajanum non fuisse absolute damnatum ad inferos; sed solum punitum in inferno secundum præsentia ejus demerita, & suspensam sententiam propter prævisas Gregorii preces, & præterea non immediate ex inferno ad cœlum transiisse, sed prius corpori unitum, & tunc baptizatum, & pœnitentiam in hac vita egisse. Ista enim est communis solutio Thomæ, Durandi, Richardi & aliorum lib. IV. sent. dist. 45.* Atqui sacræ literæ ne ipsius quidem Christi meritum eo extendunt, ut si quis in finali impœnitentia decedat, præsertim hostis christiani nominis ac sanguinis, ex gehennæ flammis rursum eripiatur; unde Bellarminus tandem propendet in Cani & aliorum sententiam, quæ hanc historiam rejicit ut confictam, qua ratione apertis tibiis Andradio, Alphonso, Salmeronio, Ciaconio & aliis pontificiis contradicit. Sic ergo nuspiam inveniunt, ubi pedem figant. Inter remedia, quibus animæ in purgatorio æstuantes juvantur, referunt *indulgentias pontificis.* Sed quomodo illæ animabus defunctorum *adplicentur*, de eo non conveniunt. Quidam existimant, *papæ jurisdictionem extendere se in purgatorium, ita ut animabus in purgatorio per modum absolutionis ejus communicare possit.* Quidam vero, inter quos Bellarminus lib. I. de indulgent. cap. 14. & lib. II. de purgat. cap. 16. Förnerus de jubilæo p. 207. statuunt, *jurisdictionem papæ non extendere se ad purgatorium, ideoque indulgentias defunctis concedi non per modum absolutionis, sed per modum suffragii.* Si quæras, ubi modus ille suffragii fundatus? quidam recurrunt ad scripturas male detortas, quidam ad patres, quidam ad Romanæ ecclesiæ auctoritatem. Antoninus, archiepiscopus Florentinus, part. I. tit. 10. c. 3. *De indulgentiis nil expresse habemus ex scriptura sacra, nec etiam ex dictis antiquorum doctorum, sed modernorum.* Alphonsus de Castro lib. VIII. contra hæreses p. 255. *Inter omnes res, de quibus in hoc opere disputamus, nulla est, quam minus aperte sacræ literæ prodiderint, & de qua minus vetusti scriptores dixerint* (quam indulgentiæ.) Dissentiunt etiam de *suffragiis*

particularibus. Nam Cajetanus tom. I. opuſculor. tract. 16. quæſt. 5. docet, *omnes quidem animas juvari poſſe & juvari etiam communibus ſuffragiis. At particularibus, quæ pro illis fiunt, non juvari, niſi illas, quæ particulariter meruerunt, ut ſibi talia prodeſſent.* Dicit autem eas peculiariter mereri, quæ hiſce in terris habuerunt ſpecialem devotionem ad claves eccleſiæ, & ſoliciti fuerunt pro animabus aliorum. Sed Præpoſitivus, presbyter Leodienſis, in comp. theol. & alii, quos citat Thomas in lib. IV. ſent. diſt. 45. q. 2. art. 4. dicunt, *ſuffragia, quæ fiunt pro uno, non ei ſolum prodeſſe, verum etiam omnibus aliis, nec minus omnibus aliis, quam illi, ſicut lucerna accenſa pro Domino æqualiter illuminat ſervos, qui in eo loco ſunt, & ſicut lectio pro uno prodeſt omnibus cum illo exiſtentibus, quia vox una omnibus communicatur.* Bellarminus lib. II. de purgat. cap. 18. ſententiam communem dicit eſſe *in medio*, quod nimirum *ſuffragia particularia omni & ſoli illi proſint in ratione ſatisfactionis, pro quo fiunt.* Probationis loco addit, *quod adplicatio ejusmodi bonorum pendeat ex intentione adplicationis*, ac proinde non debere comparari iſta ſuffragia lumini lucernæ, ſed potius *pecuniæ*, quæ ab uno pro altero ſolvitur. Quærunt inſuper, *an ſuffragia præſtita ab iis, qui ſunt in peccato mortali, proſint defunctis?* Quidam in adfirmantem, quidam in negantem abeunt ſententiam. Ex quibus omnibus conſtat, dogma pontificium de purgatorio meris ac perpetuis contradictionibus eſſe involutum.

Argumenta pontificiorum pro ſtabiliendo purgatorio: A) ex vet. teſt. 1) ex 2. Maccab. XII. ſancta & ſalubris eſt cogitatio &c.

§. CCXXIV. Reſtat, ut fundamenta purgatorii videamus. Bellarminus lib. I. de purg. cap. 3. quinque genera argumentorum adfert: 1.) ſcripturas vet. teſt. 2.) ſcripturas nov. teſt. 3.) concilia, 4.) patres, 5.) rationes. A) Ex *vet. teſt.* 1) adducit hiſtoriam 2. Maccab. XII. ubi, poſteaquam ſcriptura narravit, *Judam Maccabæum miſiſſe in Hieruſalem 12. millia drachmarum argenti in ſacrificia pro mortuis expendenda*, ſubjungit: *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis ſolvantur.* Ex quo colligit Bellarminus, 1.) *poſſe mortuos a peccatis poſt hanc vitam ſolvi, & proinde eſſe purgatorium*; 2.) *ſacrificia & orationes vivorum prodeſſe defunctis*; 3.) *non expiari ſemper in morte omnes peccatorum reliquias*; *nam iſti, pro quibus orari juſſum, mortui erant morte violenta & pro religione, & tamen credebat Judas, adhuc illos non eſſe plene purgatos*; 4.) *poſſe hominem ſancte & pie mori, & tamen habere debitum aliquod ſolvendum vel propter venialia peccata non remiſſa in vita, vel propter ſatisfactionem pro peccatis mortalibus non plene expletam*; *dicit enim ſcriptura, eos, pro quorum peccatis juſſit orari Judas, cum pietate dormitionem accepiſſe*; 5.) *hoc eſſe de fide.* Huic argumento, quod Bellarminus habet pro primario ac principali ex vet. teſt. (reliqua enim tantum probabiliter purgatorium ſuadere adſerit) primo omnium reſpondemus, librum illum non eſſe in canone, id quod ſuo loco demonſtravimus ſequentibus fundamentis: 1.) non eſt ſcriptus a propheta, quia ſcriptus eſt poſt tempora Malachiæ, qui fuit ultimus vet. teſt. propheta. Hieronymus in catal. viror. illuſtr. & lib. II. contra Pelag. & alii ſtatuunt, *Joſephum* eſſe horum librorum auctorem. At Joſephus vixit poſt Chriſtum natum, nec fuit prophetica auctoritate conſpicuus. Ergo librum aliquem propheticum ſcribere non potuit. 2.) Auctor hujus libri ſatis manifeſte indicat, ſe non ſcripſiſſe prophetico ſpiritu; petit enim a lectore veniam, quod a Spiritus ſancti amanuenſibus alienum, Macc. XV. 39. *& ſi quidem bene, & ut hiſtoriæ competit*, (hæc ſcripſiſſem) *hoc & ipſe velim*; *ſi autem minus digne, concedendum eſt mihi.* v. 40. *Sicut enim vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam, contrarium eſt, alternis vero uti delectabile: ita legentibus, ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus.* Macc. II. 27. conqueritur de difficultate hujus operis: *Et nobis quidem ipſis*, inquit, *qui hoc opus breviandi cauſa ſuſcepimus, non faci-*

facilem laborem, imo vere negotium plenum vigiliarum & sudoris adsumsimus. At Spiritui sancto, canonicorum librorum auctori, nihil est difficile, nihil laboriosum, nihil molestum. Denique v. 24. profitetur, quod in compendium redigere velit quinque libros Jasonis Cyrenæi. At Spiritus sanctus non consuevit in epitomen redigere historiam profani alicujus scriptoris. 3.) Liber hic non est scriptus lingua prophetica, scilicet Hebræa, sed constat idiomate Græco. 4.) Continet quædam, libris explorato canonicis & historicæ veritati repugnantia. Narratio de sacro igne & arca & tabernaculo & altari in monte quodam a Jeremia positis, & absconditis 2. Macc. II. 4. non convenit cum historia in canonicis libris adnotata. Aut enim hæc contigerunt, antequam urbs a Chaldæis caperetur, quod fieri non potuit, quia Jeremias fuit in carcere usque ad urbis excidium, Jerem. XXXVII. 18. aut contigerunt, postquam capta est urbs, quod commode dici nequit, quia Chaldæi *omnia vasa templi* diripuerunt 2. Reg. XXV. 13. 2. Paral. XXXVI. 18. Jerem. LII. 17. Præterea in eodem cap. II. 8. addit auctor, quod *Jeremias prædixerit, in congregatione populi ea iterum esse manifestanda*; at post captivitatem Babylonicam Judæi illam arcam, illud tabernaculum, illud altare non invenerunt, nec habuerunt, quod ipsimet rabbini fatentur. Kimchi ad Hagg. I. Galatinus lib. IV. de arcan. cap. 10. Drusius lib. XV. observat. cap. 16. ex Massechath. Joma. 5.) Adprobat quædam cum fidei analogia pugnantia: cap. XIV. 42. 43. & 46. prædicatur Raziæ fortitudo, quod sibi ipsi violentas manus intulerit, cum tamen αὐτοχειρία pugnet cum præcepto divino: *Non occides.* Hoc ipsum, quod de sacrificio pro mortuis oblato ex hoc libro affertur, pugnat cum fidei analogia, quia Deus nuspiam in tota lege sacrificia pro mortuis offerri præscripsit. 6.) Continet quædam cum primi libri historia pugnantia: 1. Macc. VI. 8. & 16. Antiochus dicitur exstinctus præ animi ægritudine, quam ex infausto nuncio conceperat, idemque Babylone in lecto, quando filium tradidit Philippo, quem regno præfecerat, IX. 28. peregre in montibus miserabili obitu functus dicitur. Sed 2. Macc. I. 16. in fano Naneæ obtruncatus, & membratim concisus dicitur. IX. 9. de ipso refertur, quod mortuus sit dolore viscerum, ita ut vermes ex corpore ejus adhuc viventis erumperent, & fœtor horribilis in totum pene exercitum redundaret, quæ narratio convenit cum eo, quod Dan. VIII. 25. de Antiocho prædictum, *conteretur sine manu & fœdo morbo contabescet*; falsum igitur, quod de obtruncatione ejusdem habetur 2. Macc. I. 16. Sic 1. Macc. IX. 3. Judas dicitur occisus anno 152. regni Seleucidarum; sed 2. Macc. I. 10. anno 188. literas scribit ad Aristobulum magistrum Ptolomæi, nimirum annis 36. postquam erat mortuus. 1. Macc. IV. 36. Judas templum purgasse dicitur ante mortem Antiochi post fugatum Lysiam. At 2. Macc. X. in principio post mortem Antiochi dicitur facta templi purgatio. 2. Macc. X. 11. Antiochus Eupator, Epiphanis filius, suscepto regno Lysiam regni negotiis præfecisse dicitur. At 1. Macc. VI. 17. Lysias diu ante reipublicæ præfuit, & Antiochum regem instituit, eumque Eupatorem vocavit. Summatim, cum liber secundus easdem historias, quæ in primo descriptæ sunt, retexat, multa admiscet, utpote de admirandis adparitionibus in conflictibus, de numeris interfectorum &c. quorum nec primus Maccabæorum, nec Josephus meminerunt. 7.) Non est receptus in canonem ab ecclesia Judaica, cui τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ fuere concredita, Rom. III. 2. Augustinus lib. XVIII. de civ. Dei c. 36. lib. II. cont. epist. Gaud. cap. 23. 8.) Non habet testimonium Christi vel apostolorum in nov. test. 9.) A primitivæ ecclesiæ doctoribus extra canonem ponitur. Videatur Clemens Rom. lib. I. const. c. 7. Origenes apud Euseb. lib. VI. c. 25. in Gr. Athanasius in synopsi concil. Laodicen. can. 59. Concilium Carthaginense apud Balsamon. cap. 47. Hilarius in prol. sub. Psal. Nazianzenus in carmin. Amphilochius in Jambis ad Seleuc. Cyrillus Hierosolym. catech. IV. Ruffinus in symbol. Hieronymus præfat. in lib. Reg. in Proverb. & in Sapient. librum, qui dicitur Εὐνοδικός, Richardus Victor. lib. II. except. cap. 9. &c. 10.) Ipsimet Romani pontifices, quorum judicium

dicium ex hypothesi papistarum est infallibile, ἔξω τῦ κανόνος hunc librum posuerunt. Gregorius magnus lib. XIX. moralium cap. 13. *De qua re*, inquit, *non inordinate agimus, si ex libris non canonicis, sed tamen ad ædificationem ecclesiæ editis, testimonium proferamus;* cujus dicti perspicuitate motus Melchior Canus lib. II. locor. cap. 10. fatetur, *Gregorium hos libros a canone removisse.* Gelasius cum 70. episcopis unum tantum Maccabæorum librum in canonem recipit. 11.) Quidam ex pontificiis canonicam ejus auctoritatem enervant. Occamus part. III. dial. tract. I. lib. III. cap. 16. Lyranus in Esdram I. *Non sunt in canone* (Maccabæorum libri) *nec apud Judæos, nec apud christianos.* Carolus Sigonius in comm. in Sever. Sulpit. *propter dissonantiam* ex libris canonicis eos removet. Bellarminus lib. I. de verbo Dei cap. 17. citat & adprobat sententiam Josephi lib. I. contra Appion. *non haberi apud Hebræos in canone sanctorum scriptorum eos libros, qui post tempora Artaxerxis Longimani scripti sunt; siquidem* (addit Bellarminus) *librorum sacrorum canonem Esdras composuit, cujus vita non extenditur ultra tempora Longimani.* Atqui res in libris Maccabæorum descriptæ longissime post Artaxerxis tempora evenerunt, circa annum 140. monarchiæ Græcorum, ita ut Esdras hos libros videre non potuerit, nisi fingatur, ad annos prope trecentos vitam produxisse.

Exceptiones Bellarmini ad hanc responsionem.

§. CCXXV. Excipit Bellarminus, *librum Maccabæorum non esse canonicum apud Judæos; sed apud christianos, siquidem ecclesia universa legit hunc librum in missa, & numerat eum cum divinis libris.* Concilium Carthag. III. can. 47. Innocentius in epist. ad Exuperium, Augustinus lib. XVIII. de civ. Dei cap. 36. Ad probationem dicit, *auctorem non petere veniam errorum, sed elocutionis, quo modo etiam Paulus excusat sermonis sui imperitiam. Resp.* 1.) Si hoc sensu canon Judæorum a canone christianorum circa vet. test. libros distinguitur, quod præter libros vere & proprie canonicos, qui soli sunt ad dogmata fidei probanda efficaces, ecclesia christiana quosdam *ad morum ædificationem* utiliter legendos receperit, distinctionem concedimus; sed addimus, hanc ecclesiæ receptionem nequaquam efficere, ut pro canonicis proprie sic dictis & divina inspiratione editis haberi possint, quia teste ipsomet Bellarmino lib. I. de verbo Dei cap. 10. §. *itaque &c. ecclesia nullo modo facere potest librum canonicum de non canonico.* Vt una est ecclesia vet. & nov. test. ita quoque unum eundemque oportet esse canonem librorum vet. test. & veteris & novæ ecclesiæ judicio; nam populus nov. test. a populo Israëlitico canonem vet. test. accipit. Confer. Augustinus lib. XVI. de civ. Dei cap. 37. lib. XII. contra Faustum cap. 23. &c. 2.) Si partem aliquam scripturæ canonicæ ecclesia Judaica tempore Christi respuisset, utique hoc nomine a Christo & apostolis fuisset taxata, cum de erroribus longe minoribus tam acriter sacerdotes & pharisæos reprehendant. Ita concludit Origenes in octavo volumine explanationum Esaiæ referente Hieronymo in Esaiæ VI. Ipse Bellarminus lib. III. de ecclesia cap. 16. §. *ad tertiam &c.* disputat, *ecclesiam Judæorum ante Christi adventum non defeciisse.* Ergo testimonium ejus de libris canonicis repudiari non debet. Quod si enim libros quosdam ὄντως & vere canonicos non recepisset, utique gravissime errasset. 3.) Pii veteres non solum ex *canone Judæorum*, sed etiam ex *canone christianorum* hos libros excludunt. Concilium Laodicenum præscribit, qui libri pro canonicis in *ecclesia christianorum* legi debeant. Melito *in orientem profectus est*, ut libros vet. test. canonicos adcurate disceret; id vero plane frustraneum fuisset, si alium Judæorum, alium christianorum canonem statuisset. Idem ex verbis Athanasii, Cyrilli, Rufini & aliorum colligitur. Bellarminus ipse, respectu ad Hieronymi sententiam habito, vanitatem illius distinctionis repudiat lib. I. de verbo Dei cap. 10. "Non est verum, inquit, „quod alii respondent, Hieronymum dicere,

„eos

„eos canonicos fuisse apud Judæos, ac certe „in prologo galeato Hieronymus numerans li„brum pastoris omnes simul dicit non esse in „canone; non ergo de canone Hebræorum „loquitur.„ 4.) Augustinus & pauci alii, qui a christianis libros hos pro canonicis haberi dicunt, nomine *canonici* utuntur in sensu latiore, quem exponit Cajetanus in comm. hist. vet. test. "Ne turberis, inquit, novitie, si ali„cubi repereris libros illos Judith, Tobiæ, „Maccabæorum &c. inter canonicos supputari „vel in sacris conciliis vel in sacris doctoribus. „Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt „tam verba conciliorum, quam doctorum, & „juxta ejus sententiam libri illi, & si qui alii „in canone bibliæ similes non sunt canonici, „hoc est, regulares ad firmanda ea, quæ sunt „fidei, possunt tamen dici canonici, hoc est, „regulares ad ædificationem fidelium, utpote „in canone bibliæ ad hoc recepti & autorisati.„ Veritas hujus responsionis patet ex ipso Augustino, qui de libris Maccabæorum sic loquitur lib XVIII. de civit. Dei cap. 36. "Quo„rum supputatio temporum non in scripturis „sanctis, quæ canonicæ adpellantur, sed in „aliis inveniuntur, in quibus sunt & Macca„bæorum libri, quos non Judæi, sed ecclesia „pro canonicis habet propter quorumdam mar„tyrum passiones vehementes atque mirabiles.„ Lib. II. cont. epist. Gaudent. cap. 23. "Et hanc „quidem scripturam, quæ adpellatur Macca„bæorum, non habent Judæi, sicut legem & „prophetas & psalmos, quibus Dominus testi„monium perhibuit, tanquam testibus suis; „sed recepta est ab ecclesia non inutiliter, si „sobrie legatur vel audiatur maxime propter „illos Maccabæos, qui pro lege Dei, sicut „veri martyres a persecutoribus tam indigna „atque horrenda perpessi sunt.„ Ex quibus manifeste adparet, Augustinum nomine *canonici libri* uti in significatione generaliori pro libro, qui in ecclesia legitur *ad morum ædificationem*; ita tamen ut cum libris reliquis proprie dictis canonicis non habeat parem auctoritatem. Confer lib. XVII. de civ. Dei cap. 20. ubi dicit, *minus firma esse, quæ non sunt scripta in canone Judæorum;* lib. II. de mirab. scrip. ubi libros Maccabæorum a divino canone distinguit. 5.) Nec Paulus 2. Cor. XI. 6. nec ullus scriptor canonicus erratorum veniam petit, si quid minus digne vel dextre scriptum sit; sciunt enim se dictante & inspirante Spiritu sancto scripsisse, ideoque omnia utpote a Spiritu sancto profecta esse ἀξιόπιστα & θεόπνευστα, proinde nec in rebus nec in verbis veniam petere necesse habent. Paulus dicto loco nequaquam se excusat, quod *tenuiter aut exiliter scripserit, aut minus præstiterit, quam sibi habuerit propositum*, sed vocat se ἰδιώτην λόγῳ, quia talis videbatur pseudo-apostolis, cum non sectaretur sermonis subtilitates. Plura de hac exceptione disputantur in quæstione de canonicorum & apocryphorum librorum discrimine. Accedimus ergo ad membrum responsionis secundum.

§. CCXXVI. 2.) Clausula illa de sacrificio, pro defunctorum peccatis oblato, videtur adjectitium quoddam glossema, quod ex margine in textum irrepsit, 1.) quia eadem narratio exstat in 1. Maccab. V. sed ibi nulla fit mentio de sacrificiis. 2.) Nec in Josepho Gorionide Hebraice scripto, ubi eadem historia lib. III. cap. 19. narratur, quidquam de sacrificio habetur; 3.) sed nec apud Josephum Græcum quidquam de eo legitur. 4.) Santes Pagninus testatur, se ea non reperisse in autographo. 5.) Judæi non fuerunt soliti pro mortuis sacrificia offerre aut precari, cum in propria sede doctrinæ de sacrificiis, in Levitico scilicet, nullum hac de re institutum divinum habeatur. Ergo non est verisimile, Judam Maccabæum contra gentis suæ & ecclesiæ Israëliticæ consuetudinem mandasse, ut Hierosolymis offerretur sacrificium pro peccatis mortuorum, aut sacerdotes in hoc Judæ mandatum consensisse. 6.) Conclusio illa: *sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur;* non videtur historice convenire, quippe cujus est historiam narrare, non autem de suo ἐπίκρισιν adjungere. 7.) Eadem verba sententiam reddunt confra-

grosam, quibus demtis tota oratio recte cohæreret. Excipit Bellarminus, *in Græco textu non haberi particulam* ergo, *sensum Græci textus ac Latinæ versionis esse eumdem, neque esse historicis insolitum, aliquid interdum colligere ex rebus gestis, quod ad imitationem & bonos mores pertineat. Resp.* 1.) Græca sic habent: εἶτ' ἐμβλέπων τοῖς μετ' εὐσεβείας κοιμωμένοις κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον, ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἐπίνοια, ὅθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξιλασμὸν ἐποιήσατο τῆς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι. *Deinde considerans, his, qui cum pietate obdormierant, optimam repositam gratiam, sancta & pia consideratio; unde pro mortuis propitiationem fecit, ut a peccato solverentur.* Hic cuivis manifestum, verba illa ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἐπίνοια posse a contextu sejungi, ut sententiæ nihil omnino decedat, videntur igitur adjectitia. 2.) Non licet Bellarmino ad fontem Græcum provocare, ne incurrat anathema concilii Tridentini. 3.) Græcus textus a versione Latina discrepat, ut ipsa collatio manifeste ostendit. 4.) Et quis certos nos reddet, quod non in ipsum Græcum textum hoc glossema irrepere potuerit? 5.) Spiritus sanctus in libris canonicis nihil quidquam a norma legis divinæ devians laudat, quod cum ab auctore hujus scripti fieri videamus, pro θεοπνεύστῳ illud habere non possumus.

§. CCXXVII. 3.) Si vel maxime demus, Judam sacrificia pro mortuis offerri jussisse, & sacerdotes Hierosolymitanos mandatis sese obsequentes præbuisse; non tamen sequitur, ipsos pie ac laudabiliter egisse, atque hoc ipsorum factum imitatione dignum esse, quia fecerunt illud sine mandati divini suffragio; jam vero in civitate Dei non exemplis hominum, sed legibus Dei est vivendum. Constat exemplo Gideonis, idololatriæ occasionem bona sua intentione suppeditantis, Jud. VIII. 27. præclaros duces populi Dei post impetratas victorias quandoque graviter lapsos esse, quale quid etiam Judæ Maccabæo hic contingere potuit. Excipit Bellarminus, *argumentum non sumi ab exemplo unius hominis, sed partim ab antiquo & solemni ritu ecclesiæ vet. test. partim a testimonio infallibili scriptoris sacri. Quod enim hic fuerit solennis ritus ecclesiæ, patet, cum hoc loco dicitur: Omnes qui cum Juda erant ad preces conversos, & deinde collatione facta, hoc est, singulis conferentibus aliquid, collectam esse multam pecuniam & missam a Juda nomine omnium in Hierusalem ad sacrificia pro mortuis; & hoc quidem magnum est argumentum, sed majus est ad fidem catholicam faciens, quod sumitur a verbis scripturæ sacræ laudantis orationem pro peccatis mortuorum tanquam sanctam, piam & religiosam. Resp.* 1.) Scriptura hæc non pollet auctoritate canonica ac prophetica, ut invictis argumentis superius ostendimus. 2.) Verba illa ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἐπίνοια in textu Græco commode referri possunt ad superiora hoc sensu, quod *sit sancta & pia cogitatio, statuere, his, qui cum pietate obdormierunt, optimum repositum esse* χαριστήριον. Latinus interpres ad sequentia eadem retulit, ut ex Judæ exemplo orationem pro mortuis laudaret. 3.) A Maccabæis usque ad Christum tanto temporis intervallo nullus legitur hoc exemplum imitatus. 4.) Nec milites illi pro mortuis leguntur orasse, *sed pecuniam ad sacrificium contulisse*; nec militum turba ecclesiam catholicam constituit, nec unus aliquis actus solennem & perpetuum ecclesiæ ritum introducit. Frustra igitur Bellarminus gloriatur, ab antiquo & solenni ecclesiæ ritu argumentum suum esse petitum. 5.) Ritus ecclesiæ destitutus manifesto & expresso Dei verbo non potest confirmare dogma catholicum, ad salutem scitu & creditu necessarium. In Levitico sacrificia per genera, per species, ad individua usque describuntur, quæ pro singulis peccatis & in quibusvis casibus offerenda sint, sed de sacrificio pro mortuis nec in Levitico nec in ullo canonico vet. test. libro ullum exstat verbulum, imo nec ullum exemplum. Judas ergo sine mandato, sine exemplo fecit, quidquid hujus fecit. Precatio & sacrificia sine fide oblata Deo placere non possunt. Precatio & sacrificia pro defunctis

functis sine fide offeruntur. Ratio est, quia nullum de hac precatione & de his sacrificiis habetur Dei mandatum, nulla promissio. Ergo. 6.) Auctor libri manifeste indicat, non ex legis divinæ præscripto, sed ex humanæ rationis dialogismo a Juda illud esse factum. 7.) Negari nequit, tunc temporis ex parte labefactatam fuisse in ecclesia Israëlitica doctrinæ ac religionis sinceritatem, quia Judæi ex Græcorum ac gentilium consuetudine multa sibi quasi adfricuerant. Sic 2. Maccab. IV. 10. Jason cum sacerdotium & principatum obtinuisset, statim *ad gentiles ritus contribules suos transferre cæpit.* v. 12. *Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium instituere, & optimos ephebos sub ornabat, ut ibi se exercerent &c.* 8.) Ex eodem fonte, videlicet ex gentilium καινοζηλίᾳ profluit, quod auctor hujus libri Raziæ αὐτοχειρίαν laudat. Bellarminus quidem regerit, *Raziam laudari, quod fortiter & viriliter egerit, non quod pie & sancte, vel si probetur hoc factum ab auctore hujus libri, dicendum esse, quod Razias habuerit peculiarem inspirationem & præceptum Dei, ut hoc faceret, sicut habuit Simson.* Sed prior exceptio contradicit verbis textus 2. Macc. XIV. 42. *Razias gladio se petiit eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos injuriis agi.* v. 43. *præcipitavit se ipsum viriliter in turbas.* v. 46. *invocans dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet, vita defunctus est.* Posterior exceptio priori contradicit, & principium manifeste petit, cum non ad peculiarem Spiritus sancti inspirationem, sed ad gloriæ cupiditatem & servitutis fugam causa hujus propositi in textu referatur. 9.) A tempore reditus Israëlitarum e Babylone, quando adhuc prophetas habebant, usque ad tempora Judæ Maccabæi effluxerant anni 372. quibus nullum habuerant prophetam, qui divini cultus reformationem & sinceritatis doctrinæ instaurationem susciperet; quid ergo mirum, quod labis aliquid cultus divini exercitio insederit? 10.) Quam exigui fuerit judicii libri hujus auctor, vel ex eo adparet, quod in fine libri XV. 39. dubitat, an bene vel male historiam scripserit, ac veniam erratorum suorum petit.

§. CCXXVIII. 4.) Illi, pro quibus Judas voluit sacrificium offerri, mortui erant in peccato mortali; acceperant enim ἱερώματα idolis Jamnienſium consecrata. Quam vero grave & enorme fuerit istud delictum, adparet non solum ex legis divinæ prohibitione, Deut. VII, 25. sed etiam ex ipsius auctoris exaggeratione 2. Macc. XII. 40. *Omnibus manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse.* v. 41. *Omnes itaque benedixerunt justum judicium Dei, qui occultum fecerat manifestum.* v. 42. *Ad supplicationem conversi sunt rogantes τὸ γεγονὸς ἁμάρτημα factum delictum omnino deleri.* Ergo hoc exemplum Judæ non est adcommodatum ad stabiliendum purgatorium pontificiorum; negant enim, pro iis, qui in peccato mortali decesserunt, sacrificium esse offerendum. Excipit Bellarminus, *peccatum illorum aut fuisse veniale, quia forte ignorabant legis prohibitionem, & non acceperunt ex donariis illis in honorem idolorum, sed solum ditescendi cupiditate, quæ venialis esse potest,* (petitum hoc ex Thoma lib. IV. sent. dist. 45. q. 2.) *aut certe si mortale fuit, in mortis articulo milites illos doluisse de peccato, & quoad culpam remissum illis fuisse juxta illud Psalm. LXXVIII. 34.* Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur; *aut saltem Judam Maccabæum ita existimasse, alioquin non diceret scriptura, eum considerasse eos, qui cum pietate obdormierant, optimam habere repositam gratiam. Denique saltem incertum fuisse statum illorum, & propterea licuisse pro illis orare, etiamsi damnati fuissent.* Salmeronius tom. XIV. disp. 25. p. 219. eodem fere modo excipit: *Cum homini non possit citra revelationem constare status mortuorum, an in gratia migraverint, an ullo mortifero delicto inquinati, debet semper in meliorem partem interpretari & de divina misericordia præsumere. Resp.* hæc omnia meris conjecturis ac suspicionibus nituntur, ac sine ullo scripturæ suffragio adseruntur. 1.) Sub palliis mortuorum

rum inventa fuerunt illa ἱερώματα, ergo in flagranti crimine absque ulla pœnitentiæ significatione fuere mortui. 2.) Justum Dei occulta facinora manifestantis judicium in illorum occisione commendatur. Quod si pœnitentiam egissent, Deus propter illud ipsum peccatum eos e medio non sustulisset. 3.) Ne ipsi quidem pontificii sacrificium missæ pro illis offerrent, quos in flagranti crimine mortuos viderent. 4.) Quantum peccatum sit, coram Dei judicio de anathemate aliquid usurpare, Achanis supplicium ostendit, Jos. VII. 25. XXII. 20. qui itidem non in honorem idolorum, sed ex diteſcendi cupiditate spolia quædam occultaverat. 5.) Ignorantia juris & adfectata non efficit, ut delictum aliquod grave & externum legi divinæ repugnans & sua natura mortale fiat veniale. Jam vero auctor libri diserte dicit, quod interfecti illi contra legem Dei deliquerint. 6.) Dictum Psalm. LXXVIII. 34. plane ἀπροσδιονύσως adducitur; neque enim de unis iisdemque hominibus dicitur, quod *Dominum quæsiverint, quando eos occidit*, hoc est, quod in mortis articulo pœnitentiam egerint, ut Bellarminus explicat, sed de hominibus plane diversis, quod scilicet reliqui exemplo occisorum territi ad Deum sese converterint.

§. CCXXIX. 5.) Nec purgatorii nomen nec ullum ejus in textu est vestigium. Neque enim mortui illi in purgatorio fuisse dicuntur, nec, ut e purgatorio liberarentur, sacrificium pro ipsis oblatum esse dicitur. Ex oratione insuper pro defunctis non posse statim purgatorium inferri, inferius ostendemus. Excipit Bellarminus, *pontificiorum consequentiam non esse istam: Orarunt pro illis, ergo erant in purgatorio, sed orarunt pro quibusdam defunctis. Ergo existimarunt posse fieri, ut illi essent in purgatorio. Vel istam, laudatur in scriptura oratio pro defunctorum peccatis; ergo purgatorium est in alia vita; nam alioquin frustra oraretur, & scriptura erraret laudando ejusmodi orationem. Quod autem hoc loco laudetur oratio pro expiatione peccatorum, & non pro humano adfectu ostendendo, patet tum ex eo, quod occasio hujus orationis fuit peccatum illorum mortuorum detectum ob donaria inventa sub vestibus eorum, tum ex eo, quod expresse dicitur Judas misisse duodecim millia drachmarum offerri sacrificium pro peccatis mortuorum, ut peccatis solvantur.* Salmeronius dicto loco sic concludit: *In peccatis aliquis mortuus est, ita ut hæc sibi remitti possint. Ergo est in purgatorio; nam talis non ingredietur cælum, in quod nihil coinquinatum intrabit, nec infernum, ubi nihil remittitur. Resp.* tres causæ in textu exprimuntur, propter quas Judas sacrificium illud Hierosolymis offerri voluerit. Prima est *iræ divinæ averſio.* Noverat Judas, peccatum ab interfectis militibus in donariorum illorum idololatricorum furtiva abscondione commissum tam grave & atrox esse, ut propter illud in totum populum vindicis Dei ira desævierit Jos. VII. 12. orat igitur & sacrificium offerri curat juxta præscriptum legis, Lev. IV. 13. ut ira Dei a reliquo exercitu, qui superstes manserat, avertatur, nec pœnæ gravissimi illius delicti subjiciatur. Hæc causa exprimitur v. 42. *Conversi sunt ad supplicationem rogantes factum delictum τελείως ἐξαλειφθῆναι perfecte deleri*; hoc est, pœnæ hujus delicti a superstite exercitu averti. Quædam exemplaria legunt μὴ διὰ τὸ γεγονὸς ἁμάρτημα τελείως ἐξαλειφθῆναι. Biblia Græca edit. Francof. anno 1597. quæ lectio nostræ sententiæ manifestius suffragatur; sensus enim est, superstites in vera conversione Dominum rogasse, ne propter commissum illud delictum sese penitus perderet. Altera est *populi superstitis a simili peccato præservatio.* Hæc causa exprimitur, v. eodem in Judæ exhortatione ad populum, ὁ δὲ γενναδας (aliis γενναῖος) Ἰούδας παρεκάλεσε τὸ πλῆθος συντηρεῖν ἑαυτὲς ἀναμαρτήτως εἶναι ὑπ' ὄψιν ἑωρακότας τὰ γεγονότα διὰ τὴν τῶν προπεπτωκότων ἁμαρτίαν. *Generosus Judas hortatus est multitudinem, ut conservarent se fine peccato, sub oculis videntes, quæ facta erant ob prostratorum peccatum.* Quia vero non sufficit exhortatio exterior, nisi adsit gratia Dei interior, quæ nos custodiat

diat & præservet, ne in peccata prolabamur; ideo Judas post illam ad populum exhortationem, mox confugit ad Deum precibus & sacrificio, ut ista ab eo impetraret, videlicet ne propter peccata demortuorum superstitem populum deleret, sed eumdem potius a peccato & pœnis peccati præservaret. Tertia causa est *publica fidei & spei de resurrectionis articulo testificatio.* Vt enim Judas publice testificaretur, & se & populum credere peccatorum remissionem & carnis resurrectionem, ideo curavit interfectorum cadavera honeste sepeliri, ac sacrificium pro mortuis suo tempore in vitam revocandis offerri. Hæc causa exprimitur v. 43. Πάνυ καλῶς καὶ ἀξίως πράττων ὑπὲρ ἀναστάσεως διαλογιζόμενος. *Valde bene & urbane faciens de resurrectione cogitans.* v. 44. Εἰ μὴ γὰρ τοὺς προπεπτωκότας ἀναστῆναι προσεδόκα, περισσὸν καὶ ληρῶδες ὑπὲρ νεκρῶν εὔχεσθαι. *Nisi enim eos, qui ecciderant, resurrecturos speraſſet, superfluum & vacuum pro mortuis orare.* Salmeronius tom. XIV. disp. 25. p. 219. resurrectionem accipit *pro liberatione a peccatis*, Apoc. XX. 6. sed resurrectio illa prima sive liberatio a peccatis per pœnitentiam non habet amplius locum post hanc vitam, verum duntaxat liberatio a peccatorum pœnis, ut ipsi pontificii concedunt; unde Bellarminus & alii Romanenses pro resurrectione secunda sive corporum accipi debere fatentur. Quod ergo Judas dicitur pecunias Hierosolymam misisse προσαγαγεῖν περὶ ἁμαρτίας θυσίαν, id tum de pœna peccati a populo superstite avertenda, (quia peccatum phrasi scripturæ pro pœna peccati sæpius accipitur) tum de futuro peccato vitando accipiendum, (vulgata versio addidit *pro peccatis mortuorum sacrificium offerre*, sed vox *mortuorum* non habetur in textu Græco) ac quod sub finem hujus historiæ dicitur, *Judam voluisse fieri* περὶ τῶν τεθνηκότων ἐξιλασμὸν τῆς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι, id hoc sensu intelligi potest, quod Judas piis precibus & sacrificiis Deum placare voluerit, ne peccatum mortuorum populo superstiti imputaretur. Hæc Chemnitius in exam. concil. Trident. quæ si alicui videbuntur a simplicitate literæ paululum abire, eum ad priora responsionis nostræ membra remittimus.

§. CCXXX. 6.) Continetur in hoc ipso textu aliquid, quod purgatorium evertit. 1.) Dicitur enim Judas consideraſſe, his, *qui cum pietate obdormiunt*, κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον v. 45. Hoc Bellarminus accipit de illis interfectis, pro quibus Judas sacrificium offerri voluit. Stante hac hypothesi interfecti illi non fuerunt in purgatorio, quod sic demonstramus: Quibus post mortem optima reposita est gratia, illi non torquentur flammis purgatorii, sed ad cœlestem gloriam perveniunt. Quæ enim hæc foret gratia, quodve præmium, torqueri in purgatorii flammis eodem igne, quo damnati in inferno cruciantur, a beata Dei visione esse remotum, & a dæmonibus horribiliter excarnificari? Atqui juxta Bellarmini sententiam Judas existimavit, interfectos illos cum pietate mortuos, ac optimam gratiam ipsis fuisse repositam. Ergo nequaquam sensit, illos purgatorii flammis torqueri. Vlterius: Qui μετ' εὐσεβείας obdormiunt, illi non puniuntur in altero seculo. Ratio est, quia μετ' εὐσεβείας κοιμᾶσθαι est in Domino mori; jam vero *qui in Domino moriuntur, beati sunt* ἀπάρτι, *& requiescunt a laboribus suis*, Apoc. XIV. 13. qui cum pietate moriuntur, illi etiam in justitia & Dei gratia moriuntur, jam vero *justorum animæ* post mortem *sunt in manu Dei, & non tangit illas tormentum*, Sap. III. 1. Interfecti illi, pro quibus Judas sacrificium offerri voluit, juxta Bellarmini hypothesin μετ' εὐσεβείας fuere mortui. Ergo non fuerunt puniti in altero seculo, & per consequens non fuerunt in purgatorio. Denique qui in pietate moritur, non moritur in peccatis, quia hæc duo invicem pugnant. Qui non moritur in peccatis, ille etiam non potest in altero seculo puniri propter peccatum. Qui non punitur in altero seculo, non descendit ad purgatorium. Ergo qui in pietate moritur, non descendit in purgatorium. 2.) Qui pro peccato suo tempo-

rali

rali pœna a Deo adfecti, illi pro eadem culpa non puniuntur post hanc vitam in purgatorio, *quia Deus eamdem culpam nunquam bis ulciscitur*, ut docent pontificii. At milites illi temporali pœna ob peccatum suum a Deo adfecti erant v. 42. Ergo non fuit alia pœna temporali in purgatorio opus.

II) *Ex Tob. IV. 18. Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue.*

§. CCXXXI. II) Secundus vet. test. locus, ex quo purgatorium succendere cogitant, habetur Tob. IV. 18. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. Hujus loci* (inquit Bellarminus) *non potest esse alius sensus, quam is: Instrue convivium & voca fideles pauperes, ut ipsi post acceptam eleemosynam orent pro anima defuncti.* Hunc locum urget etiam Costerus in enchir. de purg. prop. 7. *Resp.* 1.) Liber Tobiæ est extra canonem, cum non sit a prophetis, nec lingua prophetica scriptus, cum contineat quædam cum veritate historiæ & fidei analogia pugnantia, cum ab ecclesia Israëlitica vet. & primitiva christiana nov. test. a canone excludatur, ut suo loco plenius fuit demonstratum. 2.) Adludit Tobias ad morem in populo Israëlitico receptum, ut, demortuo aliquo, vicini ac amici ad ædes ejus convenirent, cibos secum adferrent, & cum superstitibus in domo ad consolationem comederent. Mandat igitur, ut filius homines pios de obitu amici lugentes convivio funerali excipiat, & caritatis officia erga eos exerceat, quem morem in populo Judaico usitatum fuisse, ex sequentibus locis colligitur: Deut. XXVI. 14. *Non dedi ex illa* (sanctitate sive cibis sacris) לַמֵּת, *mortuo.* Pagninus: pro *defuncto*; hoc est, non celebravi ex illis convivium apud mortuos, nec dedi aliquid de decimis illis ad procurandum funus defuncti, quia tristibus ac mœstis non licebat vesci de cibis sacris. Jer. XVI. 5. *Non ingrediaris domum feralis epuli.* v. 7. *Non dabunt eis potum calicem consolationum super patre suo.* v. 8. *Et domum convivii non ingrediaris, ut sedeas cum eis ad comedendum ac bibendum*; in quem locum sic commentatur Hieronymus: *Quin lugentibus cibos ferunt conviviaque præparant, quæ Græci περίδειπνα vocant, & a nostris vulgo adpellantur parentalia, eo quod parentibus justa celebrentur.* Ezech. XXIV. 17. *Ne facias luctum mortuorum, ne operias labium superius & panem hominum* (lugentium, ut Pagninus recte addit) *ne comedas*; hoc est, ne acceptes convivium, quod amici ad levandum tuum luctum exhibere velint. Ose. IX. 4. mentio fit *panis lugentium.* 3.) Nequaquam vero cibum ac potum ad sepulcra pie mortuorum posuerunt propter *ipsos defunctos*, ut solatii ac levaminis aliquid ad eos in purgatorio sudantes inde perveniret, vel ut pauperes pro liberatione defuncti ex purgatorio intercederent, sed convivium illud funerale *ob vivorum consolationem* fuit institutum, ut Jerem. XVI. 7. manifeste docetur. Et quia alias juxta mandatum Dei pauperibus ex conviviis quædam fuere danda, Neh. VIII. 10. ideo etiam ex convivio illo funerali pro sustentatione pauperum quædam cibaria forte ad sepulcra fuere delata vel ante ædes defuncti pauperibus distributa, ut superstites offenderent, sese mortalitatis suæ memores pauperum preces expetere, quo & ipsis aliquando feliciter ex hoc mundo emigrare concedatur. Münsterus in h. l. sic commentatur: *Non fit tibi durum effundere panem*, q. d. *Si non paveris, occidisti. Suppeditabis de tua justitia pauperibus justis, ne ob defectum victualium perveniant ad portas mortis.* In argumento igitur Bellarmini: *Veteres panem & vinum super sepulcra constituerunt, ut pauperes reficerentur. Ergo hoc fecerunt, ut orarent pro defunctis*; est fallacia consequentis, itemque secundum non causam ut causam. 4.) Quidam existimant, Tobiam loqui de quadam consuetudine a gentilibus ad populum Dei traducta. Gentilibus enim mos erat, ferales cœnas, lentes & offas ad sepulcra eorum deferre, quibus parentare instituebant. Judæos igitur, ne erga parentes minus officiosi viderentur, cibos pauperibus distribuisse.

buisse. Gyraldus syntagm. XVII. Vnde Hugo Cardin. in h. l. sic commentatur: *Nota, quod non præcipit fieri parentalia, quæ prohibita sunt, sed ritum aliquem nobis ignotum innuit.* Sed præstat priorem sequi explicationem scripturis conformem; unde Hugo ibidem subjungit: Vel *forte ad consolationem parentum post sepulturam jubet fieri convivia, quod est opus misericordiæ.* 5.) Tobias panes dicit esse *conflituendos*, vel ut Græcus textus habet, *fundendos super sepulcrum justorum.* Atqui justi sine peccatis venialibus ac sine reatu pœnæ temporalis ex hoc seculo discedentes non veniunt in purgatorium, ac proinde non indigent orationibus vivorum. 6.) Addit Bellarminus locum ex Chrysostomo homil. XXXII. in Matth. *Cur post mortem tuorum pauperes convocas? Cur presbyteros, ut pro eo velint orare, obsecras?* At Chrysostomus morem illum non magnopere laudat, & quædam ibidem addit, quæ purgatorium penitus exstinguunt. Dicit enim, quod *pie defunctos excipiat quies angelica*, quod *proficiscantur ad requiem & coronas*, quod *perveniant ad tranquillum omnium miseriarum portum*, quod *contingat eis μετάστασις πρὸς τὸν ἀρανὲν*, quod *abeant in prata florentia &c.* & concludit, *pie defunctorum gratia non esse plorandum.*

III) *Ex 1. Sam. XXXI. Habitatores Jabes Gilead audita morte Saulis jejunaverunt septem dies. 2. Sam. I. David flevit & jejunavit pro Saule, Jonatha & aliis occisis.*

§. CCXXXII. III.) 1. Sam. XXXI. *Habitatores Jabes Gilead audita morte Saulis jejunaverunt septem dies.* Et 2. Sam. I. *David flevit & jejunavit pro Saule & Jonatha, & aliis occisis, quod idem fecit pro Abner.* 2. Sam. III. *Quamvis enim hæc videbantur fieri in signum doloris & tristitiæ, tamen credibile est, præcipue facta esse ad juvandas animas defunctorum, id quod colligitur 1) ex eo, quod irrationabile fuisset in signum doloris septem dies jejunare; 2) ex eo, quod David 2. Sam. XII. jejunavit & oravit pro filio suo infantulo, dum ægrotaret; postea vero, quando audivit eum esse mortuum, non amplius jejunavit, quo facto suo ostendit, se jejunare solitum, ut aliquid a Deo impetraret; ideo enim pro morte pueri non jejunavit, quia sciebat, non esse puerum ad vitam redituram, & præterea eum suffragiis non egere; quo etiam pertinet illa solicitudo patriarcharum, qui cupierunt in terra promissionis sepeliri* Genes. XLVII. & L. *nimirum ut essent participes precum & sacrificiorum, qui ibi offerebantur. Resp.* perquam vero jejunum est illud Bellarmini argumentum, quod ex jejunio doloris & tristitiæ causa suscepto purgatorium probare satagit. Nam 1) Spiritus sanctus non reliquit nostris conjecturis causam illius fletus & jejunii, sed diserte eamdem exposuit. 2. Sam. I. 17. *Planxit David planctum hujusmodi super Saul & super Jonathan filium ejus.* v. 18. & ait: *Considera Israël pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati.* v. 19. *Inclyti Israël super montes tuos interfecti sunt, quomodo ceciderunt fortes?* v. 24. *Filiæ Israël super Saul flete, qui vestiebat vos coccino decore.* v. 25. *Quomodo ceciderunt fortes in prælio?* 2. Sam. III. 32. *Cum sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, & flevit super tumulum Abner.* v. 35. *jurat se ante occasum solis non gustaturum panem.* v. 37. *& cognovit omne vulgus & universus Israël in die illa, quoniam non actum fuisset a rege, ut occideretur Abner.* David igitur hoc fletu, planctu & jejunio testatum reddere voluit, se nec Saulis nec Abneris interitu delectari, multo minus internecionis illius consortem ac participem esse; quod autem ex purgatorio eorum animas jejunii sui suffragiis redimere voluerit, de eo nec gry nec my in scripturis exstat. 2.) Et planctus & fletus & jejunii & sepulturæ in illis exsequiis fit mentio. Sed orationis ac suffragiorum pro defunctis plane nulla. Ergo piis in vet. test. illa fuere ignota. 3.) In epicedio, quod David in obitum Saulis ac Jonathanis composuit, nihil quidquam occurrit, quod ad orationem pro mortuis aut purgatorium adludat. 4.) Jejunarunt Gileaditæ ob dolorem & reverentiam erga regem, jejunavit David ad testificandum

suum erga Jonathanem amorem, qui ab incircumcisis misere trucidatus erat. 5.) Saul in desperatione mortuus erat, ac sibi ipsi violentas manus intulerat; ergo anima ejus non descendit in purgatorium, sed in infernum. 1. Paral. XI. 13. *Mortuus est Saul propter iniquitates suas*, vel in iniquitatibus suis, *eo quod prævaricatus erat mandatum Domini.* Quid vero significet *in peccatis suis mori*, colligi potest ex verbis Christi Joh. VIII. 24. *Si non credideritis, quod ego sim, moriemini in peccatis vestris.* Nequaquam igitur vel David, vel Gileaditæ jejuniis suis ex purgatorio Saulem liberare sibi propositum habuerunt. 6.) David ac habitatores Jabes Gilead non solum propter Saulem, sed etiam propter Jonathanem planxerunt & jejunarunt. Quod si hoc jejunium ad animas ipsorum juvandas susceptum, utique in uno eodemque loco ac statu, videlicet in purgatorio ipsos constitutos fuisse oportuit. Sed consequens adversatur non modo diversæ conditioni Saulis ac Jonathanis in vita & morte, sed etiam ipsius Bellarmini verbis lib. II. de purg. cap. 6. resp. ad 3. *Cum inter filios Saulis esset etiam Jonathan justus, non erant descensuri ad eumdem locum Saul & Jonathan.* 7.) Si irrationabile est, in signum doloris septem dies jejunare, quanto magis irrationabile dicendum fuerit, quod Daniel *trium hebdomadarum diebus luxisse, panem desiderabilem non comedisse, & a carne ac vino abstinuisse* memoratur Dan. X. 3. Sed consequens disertis verbis prophetæ contrariatur. Notandum vero, quod pii vet. test. per dies complures jejunium continuantes non ab omni plane cibo, sed a delicatiore & lautiore usque ad vesperam abstinuerint, qua ratione per septem ac plures dies jejunii tempus protrahi potuit. 8.) Si ex jejunio septem dierum a civibus Jabes Gileaditicis post mortem Saulis ac Jonathanis suscepto colligi potest, animas eorum in purgatorium descendisse, utique etiam ex planctu totidem dierum ac fletu septuaginta dierum, quo filii Israël ac Ægyptii exsequias Jacobi patriarchæ prosecuti leguntur Genes. L. 3. & 10. colligi potest, animam Jacobi itidem in purgatorio fuisse detentam, ac per suffragia viventium ex eo liberandam. Contrarium statuit ipse Bellarminus, quia lib. I. de Christo c. 11. *in limbum patrum* eamdem collocat, qui a purgatorio est distinctus quidam sinus, & ex quo ante Christi ad inferos descensum patriarchæ non potuerunt liberari. 9.) Idem statuendum de Mose, quem Israëlitæ 30. diebus luxisse dicuntur Deut. XXXIV. 8. ac de Aarone, quem totidem diebus luxerunt Num. XX. 29. num vero etiam Mosen & Aaronem in purgatorium relegabunt? 10.) Ex eo, quod David vivente adhuc filiolo luget ac jejunat, eo vero mortuo a fletu abstinet, & cibi adsumtione jejunium solvit, contra Bellarminum colligimus, quod nullum crediderit purgatorium. Quod si enim judicasset, animam infantuli post mortem in purgatorio torqueri, utique fletibus ac jejuniis eo magis indulsisset, ac votis ardentioribus pro ipso apud Deum intercessisset, ut eo citius liberatio ipsi contingere potuisset. Si dicere velint, animam hujus infantuli descendisse non in purgatorium, sed in limbum puerorum, ac proinde suffragiis non indiguisse, obvertimus illis verba Davidis 2. Sam. XII. 23. *Ego vadam ad eum, ille vero non revertetur ad me.* Atqui David non descendit in limbum puerorum, sed in limbum patrum, vel in purgatorium ex pontificiorum hypothesi. Ergo nec infantulus ille in limbum puerorum descendit. 11.) Jejunium adhiberi solet, non solum in feria oratione, ut animus ad Deum in precibus magis elevetur, ac spiritus ferventior reddatur, quod vocare possumus *jejunium orationis*, sed etiam in vera ac feria pœnitentia, quando præ dolore ac luctu *obliviscimur comedere panem nostrum*, Psalm. CII. 5. quod vocare possumus *jejunium contritionis.* Ad hoc posterius genus pertinent jejunia in luctu suscepta; quia enim funera amicorum & cognatorum sunt *reales conciones de ira Dei & mortalitate*, ideo conspectus eorum ad pœnitentiam & serium de peccatis dolorem nos excitat. Frustra proinde ex jejunio orationem pro defunctis extruere Bellarminus adlaborat. 12.) Patriarchas

ideo

ideo *in terra promissionis sepeliri voluisse, ut precum & sacrificiorum, quæ ibi fierent, participes redderentur*, figmentum est pontificium, non solum scripturæ sacræ, (ut superius ostendimus,) sed ipsi etiam pontificiorum hypothesi adversum. Patriarchæ enim post mortem non descenderunt in *purgatorium*, ex quo per preces & sacrificia erant liberandi, sed in *limbum*, ex quo non nisi per Christi ad inferos descensum liberari potuerunt.

IV) *Ex Psal. XXXVIII. 2. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

§. CCXXXIII. IV) Psalm. XXXVIII. 2. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*; quæ verba Augustinus sic exponit: *ut in furore argui a Deo, sit in æternum damnari, in ira corripi sit severe puniri post hanc vitam, ad correctionem tamen & emendationem, unde subdit: In hac vita purges me, talem me reddas, cui jam emundatorio igne non sit opus. Eodem modo exponunt Beda, Haymo, Dionysius, Carthusianus. Resp.* 1.) Bellarminus dicit, *hæc verba varie exponi posse*, ergo ad purgatorium fulciendum parum roboris habebunt, quia dogmata fidei ex claris & perspicuis scripturæ dictis probari oportet. 2.) Vbi Augustinus secutus LXX. interpretes legit *furorem*, ibi Hieronymus hebraice doctus, quod non erat Augustinus, exponit *iram*, & ubi ille *iram*, hic *furorem*. Quinimo ne ipse quidem Augustinus dissimulat, has duas voces θυμὸν & ὀργὴν unam censeri, ac monet exemplaria variare, ita ut in quibusdam *ira* præcedat, in quibusdam *furor*. Sed & voces illas invicem transponit. Citans enim Psalm. VI. *Ne*, inquit, *in ira tua arguas me, nec in furore tuo corripias me*. Ac XXXVIII. adlegat hoc modo: *Ne in indignatione tua arguas me, neque in ira tua emendes me*. Quæ transpositio indicat, nullam in vocibus illis diversitatem magnopere quæsitam ab Augustino fuisse, id quod ex verbis ipsius manifeste patet. Sic enim scribit in Psalm. VI. *Ego puto, unam rem duobus verbis significatam. Nam in Græco* θυμὸς, *quod est in versu primo, hoc significat, quod* ὀργὴ, *quod est in versu secundo. Sed cum Latini vellent etiam ipsi duo verba ponere, quæsitum est, quid esset vicinum iræ, & positum est furor, ideo varie codices habent. Nam in aliis prius invenitur ira, deinde furor: in aliis prius furor, deinde ira: in aliis pro furore indignatio ponitur aut bilis; sed quidquid illud est, motus est animi provocans ad pœnam inferendam &c. in qua ira non solum argui se non vult anima, quæ orat, sed nec corripi, id est, emendari vel erudiri, nam in Græco est* παιδεύσῃς. 3.) Augustinus τὸ *in ira corripi* ad ignem in die extremi judicii, non ad purgatorium pontificium in judicio exstinguendum adcommodat. *Arguuntur*, inquit, *in die judicii omnes, qui non habent fundamentum, quod est Christus; emendantur autem, id est, purgantur, qui huic fundamento superædificant lignum, stipulam, fœnum; detrimentum enim patientur, sed salvi erunt tanquam per ignem*. Adde, quod ignis ille Augustini *emendatorius* etiam in eo differt a purgatorio igne pontificiorum, quod in illo locus sit vitæ emendationi & correctioni, in hoc vero minime. Denique pro eo, quod in Augustino legitur, *talem me reddas, cui emendatorio igne non opus sit*, quædam exemplaria legunt, *cui jam emendato igne non opus sit*. 4.) Augustino ac paucis quibusdam recentioribus opponimus nubem veterum ac recentiorum interpretum, qui *iram ac furorem* pro verbis unam eamdemque rem significantibus accipiunt. Origenes homil. I. in Ezech. Arnobius in Psalm. VI & XXXVII. Hieronymus ib. Chrysostomus, Theodoretus in Psalm. VI. Basilius in Psalm. XXXVII. Euthymius in Psalm. VI. Bernhardus in Cant. serm. 69. Lombardus in Psalm VI. & XXXVII. Lyranus in Psalm. VI. Cajetanus, Eugubinus, Folengius, Genebrardus, Jansenius & alii in Psalm. VI. 5.) Hanc sententiam probat phrasis in scriptura, præsertim Davidica usitatissima, qua membrum posterius in uno eodemque versiculo est ἐξηγητικὸν prioris, probat, vocum Hebraicarum proprietas. Sic enim ad verbum habent

Hebræa Psalm. VI. 2. *Domine, ne in naso tuo arguas me, neque in excandescentia tua corripias me.* Psalm. XXXVIII. 2. *Domine, ne in furore tuo arguas me, nec in excandescentia tua corripias me*, ut sit sensus, interprete Theodoreto: *Paterne me corripias, non judicis ritu; medici more, non tortoris; ne metiaris vindictam peccato, sed benignitate justitiam tempera. Ne me castiges, ut merui, a facie tua me abjiciendo, sed potius paterne castigando; non enim deprecatur prorsus correptionem, sed eam petit paterna castigatione emendari*, ut Genebrardus in comm. recte admonet. 6.) *Post hanc vitam non erit locus, ubi flagitiosi convertantur, & mores suos corrigant*, fatente Bellarmino lib. I. de purg. cap. 13. resp. ad 8. Ergo post hanc vitam non amplius locum habebit castigatio illa ad correctionem & emendationem, de qua psaltes loquitur.

V) *Ex Psalm. LXVI. 12. Transivimus per aquam & ignem.*

§. CCXXXIV. V) Psalm. LXVI. 12. *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*, ubi Origenes homil. XXV. in Num. & Ambrosius in Psalm. XXXVI. ac serm. III. in Psalm. CXVIII. exponit per aquam *baptismum*, per ignem *purgatorium*. *Resp.* 1.) Bellarminus diserte adlerit, *hunc locum posse varios habere sensus*; quomodo igitur immotum purgatorio substernere poterit fulcrum? Quidam interpretes adcommodant ad *servitutem Ægyptiacam*, qua Israëlitæ misere pressi & adflicti fuerunt. Chaldæus paraphrastes: *Humiliasti nos, jussisti equitare auctorem exactionis super caput nostrum, judicasti nos tanquam fornace & aqua, & eduxisti nos in latitudinem.* Lyranus in comm. *Transivimus per ignem, id est, laborem ignis ad coquendum, & aquam, quam portabant propriis humeris ad commiscendum cum terra, ut inde lateres formarentur.* Quidam ad tribulationes populi Israëlitici, quas tum in *Ægypto*, tum in *deserto* sustinuit. Cajetanus h. l. *Reliquas omnes tribulationes tum in Ægypto, tum in via usque ad Jordanem summarie describens colligit ad duo contraria, ignem & aquam, ita ut metaphoricus sit sermo describens universa mala per ignem & aquam.* Genebrardus in comm. *Transivimus per contraria mala, at ex iis nos eripuisti in refrigerium, Hebraice, in irrogationem, id est, in resocillationem. Adlusio ad terram promissionis, quæ erat irrigua, fertilis & fœcunda.* Quidam ad *martyria* sanctorum adcommodant. Hieronymus in comm. *Martyrum hic ostendit victorias, quas in diversis passionibus meruerunt, & ad unum eos ducit refrigerium, id est, Christum Dominum per laqueos, per cruces, per verbera, per ignes, æstusque & alia diversa supplicia, per quæ & holocaustum acceptum effecti sunt, pervenisse.* Hilarius eodem fere modo. Haymo in h. l. *Quia multi martyres aquis submersi sunt, nec tamen igne vel aqua eorum cursus potuit impediri.* Glossa ord. *Transivimus per ignem, ut Laurentius & plures alii, per aquam, ut b. Clemens & plures alii.* Quidam de *baptismo* locum explicant. Arnobius h. l. *Transivimus per ignem martyrii & aquam baptismatis, & induxisti nos in refrigerium; nam & in baptismo sacrosancto & igne censiti sumus, quando intravimus domum tuam in holocaustis.* Quidam in genere de *passionibus* & adversitatibus accipiunt, ut sit metaphora ab auri & argenti excoctione desumta. Cyrillus Hierosol. catech. V. *Vides ipsos libere de transitu tentationis loquentes ac profitentes, se in illa non hæsisse; educi enim in refrigerium est liberari a tentatione.* Euthymius h. l. *Per ignem & aquam varias calamitates intellige, & quia animam incendunt, & quia demergunt ac suffocant.* Chrysostomus hom. V. oper. imperf. in Matth. *Sicut aurum vel argentum combustis in fornace sordibus colatur, sic homo in fornace tentationis depositis peccatis sanctificatur.* Beda h. l. *Fecisti nos incudem omnium tribulationum, & eduxisti nos in refrigerium, id est, ut refrigeratam habeamus conscientiam.* Haymo h. l. *A similitudine viatoris hic loquitur, quia sicut viator neque per æstum neque propter pluviam vult dimittere, quin*

quin viam suam pergat, sic iste justus non potest impediri, quin cursum suum perficiat. Quidam per ignem *adversa*, per aquam intelligunt *prospera.* Augustinus h. l. *Ignis urit, aqua corrumpit, utrumque metuendum, & ustio tribulationis & aqua corruptionis. Quando sunt res prosperæ, & abundantia seculi circumfluit, quasi aqua est.* Rufinus, Cassiodorus, Hugo Card. Augustinum sequuntur. Bernhardus serm. in transit. Malach. *Transivit per ignem & aquam, quem non tristia frangere, nec detinere mollia potuerunt.* Hanc interpretationem adprobat Blasius de Viega in Apoc. X. p. 418. 2.) Simplicissima ac textui accommodatissima est interpretatio illa (quam ex ipsis pontificiis sequuntur, Ribera in comm. Zach. XIII. n. 17. & Hector Pintus in comm. Es. XLIII.) qua per *ignem & aquam* metaphorica loquendi consuetudine omnis generis adversitates intelliguntur, quibus David, Israëlitæ & omnes pii in hac vita sunt subjecti, sed divina benignitate in illis conservantur, atque ex illis tandem liberantur; præcedit enim v. 10. *probasti nos; examinasti nos, sicut examinatur argentum.* Ac Spiritus sanctus alibi similibus verbis piorum calamitates describit: Esa. XLIII. 2. *Cum transieris per aquas, tecum ero, & per flumina, non operient te; cum ambulaveris per ignem, non combureris, & flamma non ardebit in te.* 2. Sam. XXII. 17. *Extraxit me de aquis multis.* Psalm. CXXIV. 5. *Pertransivit anima nostra aquam.* Psalm. XVII. 3. *Igne me examinasti.* Dan. XII. 10. *Quasi ignis probabuntur.* 1. Pet. IV. 12. Μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει &c. 3.) Bellarminus sequitur Origenem & Ambrosium, qui ad ignem purgatorium hæc adcommodant. At qua fronte illorum auctoritatem nobis opponere potest, quorum sententiam, quod scilicet *omnes tam boni, quam mali, post hanc vitam igne illo purgari debeant*, inter errores recenset lib. II. de purg. cap. 1. ac diserte addit, *verba Origenis non pati commodam expositionem? Omnes*, inquit Origenes hom. XXV. in Num. *purificatione indigemus. Omnes*, ait Ambrosius in Psalm. XXXVI. *igne examinabimur, igne purgabuntur filii Levi, igne Ezechiel; igne Daniel.* 4.) Ambrosius non de igne quodam *purgatorio*, qui post hujus vitæ decursum animas excipit, sed de *igne extremi judicii* loquitur. Sic enim scribit serm. III. in Psalm. CXVIII. *Post consummationem seculi missis angelis, qui segregent bonos & malos, hoc futurum est baptisma, quando per caminum ignis iniquitas exuretur, ut in regno Dei fulgeant justi sicut sol, in regno Patris sui, adeo ut si aliquis ut Petrus sit, ut Johannes, baptizatur hoc igni.* Neutrum horum de purgatorio suo dicunt pontificii; fingunt enim in illud non descendere sanctos prophetas & alios valde bonos, sed tantum mediocriter bonos, neque in extremi judicii die illud succendendum, sed potius exstinguendum fore autumant. 5.) Psaltes non modo *ignis*, sed etiam *aquæ* mentionem facit. Num vero ut ignis quidam purgatorius, ita etiam aqua purgatoria datur? num ignis purgatorii incendia aquæ adfusione velut in balneis mitigantur? an non metuendum, ne aqua purgatorii flammas exstinguat? 6.) Psaltes de se ipso dicit: *Transivimus per ignem & aquam.* Quod si ergo de purgatorio loquitur, etiam sanctissimis prophetis in purgatorium erit descendendum. 7.) Nec in *futuro* demum se per ignem illum transiturum dicit, sed in *præterito* se transisse adserit. Ergo jamdum in hac vita purgatorii pœnas sustinuit. 8.) Ordo verborum non admittit Bellarmini expositionem. Quod si namque per *ignem* intelligitur purgatorium, per *aquam* baptismus, consequens fuerit, nos prius purgatorii igne, quam baptismi aqua mundari. Præterea si ignis significat purgatorium, aqua baptismum, consequens fuerit, etiam in vet. test. per baptismum non minus, quam per purgatorium, peccata fuisse emundata & expurgata. 9.) Apud psalten sequitur: *Introibo in domum tuam cum holocaustis.* At num ex purgatorio patet reditus in Hierosolymitanum templum ad offerenda sacrificia? λίαν λιχνώδης. 10.) In eodem psalmo additur: *Imposuisti homines super caput nostrum.* At animæ in purgatorio non ab hominibus, sed a dæmoni-

monibus cruciantur. Merito igitur hunc locum deserit Fischerus Roffensis art. XXXVII. scribens: *Quod alii sic nugantur*, (purgatorium ex hoc dicto eliciendo) *ego non probo.* Roffensis igitur judicio nugatorem Bellarminus agit.

VI) *Ex Esa. IV. 4. Purgabit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion, &c.*

§. CCXXXV. VI) Esa. IV. 4. *Purgabit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion, & sanguinem emundabit de medio eorum spiritu judicii & spiritu combustionis.* Hunc locum Augustinus lib. XX. de civ. Dei c. 25. de pœna purgatorii exponit. *Resp.* 1.) Nec hic consentientem & unanimem veterum interpretationem Bellarminus urgere poterit, cum in hujus loci explicatione plurimum varient. Quidam referunt ad *aquisitionem*, quidam ad *applicationem* beneficiorum Christi, sed quæ fit in hac vita per evangelii prædicationem, baptismi administrationem, spiritus sancti donationem, non autem ad peccatorum ablutionem post hanc demum vitam a Christo exspectandam. Irenæus lib. IV. adv. hæres. c. 39. „In novissimis temporibus cum venit plenitudo temporis libertatis, ipsum verbum per se „ipsum sordes abluit filiorum Sion manibus „suis lavans pedes discipulorum &c. Qui enim „pedes lavit discipulorum, totum corpus sanc„tificavit, & emundationem adduxit.„ Clemens Alexandrinus lib. III. pædag. c. 9. "Optimum lavacrum expurgat sordes animæ, esti„que spirituale, de quo aperte dicit prophe„ta: Abluet Dominus sordes filiorum Israël.„ Hieronymus in comm. "Quod leve est, lava„tur; quod gravius exuritur; de quo judicii „& combustionis spiritu Johannes baptista in „evangelio loquebatur: *Ego baptizo vos in „aqua; qui autem post me venit, ipse vos „baptizabit in Spiritu sancto & igne*; ex quo „discimus, quod homo tantum aquam tribuat, „Deus autem Spiritum sanctum, quo & sor„des abluuntur, & sanguinis peccata purgan„tur.„ Chrysostomus in comm. dicit, *esse metaphoram ab his, qui conflant metallicas materias, derivatam.* Cyrillus Alexandrinus lib. I. in Esa. orat. III. cap. 4. "Judicii spiritum „dicimus ex judicio recto & justitia latum in „nos Dei calculum &c. ardoris vero gratiam „in sacrosancto baptismo non absque spiritu „nobis ingeneratam. Baptizati enim & loti „sumus, non aqua nuda &c. sed spiritu & igne „divino ac intelligibili, qui sordes vitiositatis „in nobis deterit & absumit, & peccati inqui„nationem liquat & excoquit.„ Haymo in hunc locum: "Idem spiritus dicitur spiritus „judicii & spiritus ardoris. Spiritus judicii, „quia in eo baptismate diabolus judicatur, & „quasi damnatur, dum potestate hominis pri„vatur. Spiritus ardoris, quia accendit corda „hominum in dilectionem conditoris, ac con„sumit peccatorum rubiginem.„ Lyranus ibidem: "Abluit sordem filiarum Sion, id est, „ecclesiam spiritu judicii, quia Christus per „viam justitiæ pro nobis satisfecit, & spiritu „ardoris, quia hoc fecit ex maximo fervore caritatis.„ 2.) Ex contextu adparet, prophetam vaticinari de Messia (in versu enim proxime præcedente dicitur: *In die illa erit germen Domini pulcrum & gloriosum*, ubi per germen paraphrastes Chaldæus & rabbi Kimchi recte intelligunt *Messiam*) ac de ipsius beneficiis, inter quæ eminet mundatio ab inquinamentis peccatorum, quæ per *sanguinem* in scripturis sæpius denotantur, Psalm. LI. 16. Esa. I. 15. Ezech. XVI. 6. illa vero expurgatio fit *in spiritu judicii & ardoris*, quia Christus ardentissimo & igneo zelo satanam in passione adgressus, potenter eum devicit, & justo judicio infernalibus cruciatibus addixit, ecclesiam vero ab ejus tyrannide liberavit, Esa. IX. 7. Johan. XII. 31. XVI. 11. &c. ac a peccatorum sordibus mundavit, 1. Cor. VI. 11, Eph. V. 27 &c. 3.) Augustinus nequaquam ad purgatorium pontificium hunc locum propheticum adplicat, ut mala fide Bellarminus ipsi tribuit, sed ad *ignem extremi judicii*; sic enim loco citato loquitur: *Propheta Malachias judicium novissimum prophetavit, dicens*: „Ecce venit Dominus omnipotens. Et quis „sustinebit diem introitus ejus? quia ipse ingredie-

„gredietur quasi ignis conflatorii &c.„ *Dicit tale aliquid & Esaias*: "Lavabit Dominus sor„des filiorum & filiarum Sion &c.„ *nisi forte sic eos dicendum est emundari a sordibus & eliquari quodammodo, cum ab eis mali per pœnale judicium separantur, ut illorum segregatio atque damnatio purgatio sit istorum, quia sine talium de cætero commixtione victuri sunt.* At pontificium purgatorium in die judicii exstinguetur. 4.) Per *sanguinem* non intelliguntur venialia ac levia quædam peccata, sed gravia ac mortalia. Ea vero juxta pontificiorum hypothesin non abluuntur in purgatorio, sed per pœnitentiam in hac vita sunt delenda & expianda. 5.) Purgatio illa, de qua propheta loquitur, insignis beneficii loco promittitur. Sed purgatorium non tam beneficii, quam supplicii loco habendum.

VII) *Ex Esa. IX. 18. Succensa est quasi ignis impietas.*

§. CCXXXVI. VII) Esa. IX. 18. *Succensa est quasi ignis impietas & spinas devorabit. Basilius in hunc locum dicit, per confessionem peccatum arefieri, ut igne purgatorio post hanc vitam absumi possit. Resp.* 1.) Basilii quidem interpretationem audimus, sed clara & perspicua scripturæ dicta pro hoc articulo fidei stabiliendo desideramus. Si ad excitandum & inflammandum purgatorium adversariis sufficit adducere scripturæ loca, in quibus mentio fit ignis, nobis vicissim integrum erit, adducere ea, in quibus fit mentio aquæ, ad purgatorium illud exstinguendum. 2.) Textui nihil minus convenit, quam de *purgatorii igne* eumdem interpretari. Vaticinatur propheta de *interitu regni Israëlitici*, & causam illius exitii, impietatem scilicet ac impœnitentiam populi exponit: unde quidam ad *causam exitii*, videlicet ad culpam illam ignis succensionem referunt hoc sensu: Quemadmodum ignis, si vepretum aliquod aridum vel sylvam corripuerit, subito vires adquirit, & obvia quæque absumit, ut fumus densus ac magnus in sublime elevetur: sic impietas, injustitia & omnis generis atrocia delicta in populo Israëlitico ubivis exarserunt, ac tantas vires apud omnes adquisiverunt, ut pernicioſissimus ille scelerum ignis restingui vix possit. 3) Quidam vero rectius *ad ipsum exitium*, videlicet ad scelerum istorum pœnam, hunc locum adcommodant. Comparat enim propheta iram Dei igni absumenti ac devoranti, quo non solum magistratus ac proceres populi, sed etiam promiscuum vulgus, quod dumeto ac sylvæ comparatur, sit succendendum ac exscindendum, quæ interpretatio congruit non solum cum aliis scripturæ locis, Deut. XXXII. 22. Job. XXXI. 12. Esa. XXVI. 11. Thren. IV. 11. &c. sed etiam ex ipsis visceribus textus colligitur: v. 14. *Disperdet Dominus ab Israël caput & caudam, ramum & truncum die una.* v. 19. *In ira Domini exercituum obtenebrata est terra, & erit populus quasi esca ignis, non parcet vir fratri suo.* Eodem modo probati interpretes exponunt. Hieronymus in comm. *In tali populo nullius personæ Deus miserebitur, non pupilli, non viduæ.* Cyrillus lib. I. in Esa. cap. 6. *Iniquitatem adpellat non rem ipsam; hoc enim vel intellectu vel dictu ineptum est: sed iniquitatibus implicatos, qui eo demum improbitatis morum veniunt, ut jam non iniqui, sed verius iniquitas debeant nominari. Hi igitur quasi ignis ardebunt, id est, sibi ipsis ignis erunt; nemo enim alius flammam illis inferet, sed ipsi ad hoc sibi inter se sufficient, quod Judæis accidit in obsidione Hierosolymorum.* Lyranus h. l. *Impietas populi Israël provocavit iram Dei contra se quasi ignem ardentem, qui consumit vepres, id est, populum omnem.* Confer Procopium, Haymonem & alios. Hector Pintus, scriptor pontificius, in comm. h. l. *Sensus est: Impietas hostium Israëlis accensa est, & non populum aliquem pium & Deo devotum, sed vepres & spinas, hoc est, Israëlitas sceleratos devorabit. Comparat enim propheta Israëlem vepribus & spinis.* 5.) Qui ad ignem post hanc vitam urentem adplicant, non de purgatorio temporali, sed infernali & æterno igne hoc loco explicant. Hugo Cardin. *Impii succendentur igne æterno pro impietate sua. Vepres & spinam, hoc est, ipsos duros*

duros & asperos peccatores vorabit ignis gehennæ, quos prius voraverat ignis culpæ. 6.) Propheta loquitur de igne impietatem succendente & spinas devorante, ibidemque atrocia & gravissima populi peccata enumerat. At purgatorius ignis non impietatem, hoc est, mortalia peccata, sed leves venialium peccatorum maculas purgat, teste Bellarmino lib. II. de purg. cap. 1. in fine, nec devorat & consumit, sed tantum abluit. Propheta loquitur de igne non vero, sed similitudinario; dicit enim: *succensa est quasi ignis impietas.* At purgatorius ignis ex hypothesi Bellarmini est verus & corporeus ignis. Propheta addit v. 21. *In hoc toto non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.* At pontificii dicunt, per pœnas purgatorii Deo satisfieri, ut furor ejus avertatur. 7.) Purgatorius ille ignis, ad quem Basilius locum propheticum adplicat, non convenit omni ex parte cum purgatorio pontificio. Addit enim Basilius, hunc ignem depascere omnia terrena, ac de eodem dixisse Christum Luc. XII. 49. *Ignem veni mittere in terram.* At pontificium purgatorium non tollit omnia peccata, nec super terram, sed sub terra ardere statuitur.

VIII) *Mich. VII. 8. Iram Domini portabo.*

§. CCXXXVII. VIII) Mich. VII. 8. *Ne læteris inimica mea, nam si cecidi, resurgam; cum sedero in tenebris, iram Domini portabo, donec causam meam judicet, adducet me in lucem, videbo justitiam ejus. Hunc locum adferri solitum pro purgatorio, docet Hieronymus in cap. ult. Esa. & glossa ordinaria exponit: Iram Domini portabo, vel hic, vel in purgatorio. Resp.* 1.) Proponitur in verbis prophetæ consolatio, quam pii Israëlitæ in captivitate Babylonica vera fide amplecti, & contra insultus ac sarcasmos hostium eadem sese erigere debeant, quod videlicet ex tenebris captivitatis ac miseriæ in lucem libertatis ac lætitiæ sint reducendi, de purgatorio vero verbum nullum additur. 2.) Ita exponunt Hieronymus, Theodoretus, Lyranus, glossa interlinearis, Hugo Cardinalis & alii, ex quibus quidam mystice adplicant ad *animam tentatam:* Ne insultetis mihi caro, mundus ac dæmones, quod ceciderim peccando; resurgam enim pœnitendo, post tenebras culpæ & tristitiæ spero lucem gaudii & justitiæ, Christum scilicet, qui factus mihi a Deo justitia ac redemtio. 3.) Benedictus Arias late hunc locum explicat, purgatorii vero non meminit. Ribera Jesuit. in comm. h. l. *Loquitur in persona populi propheta, id est, in persona Jerusalem, quæ Babylonem inimicam suam, a qua vastata est, exsultare prohibet, eo quod sit iterum post captivitatem ædificanda & habitanda. Ita Hieronymus & alii. Ne læteris, o Babylon, de ruina mea, quæ mihi nunc a propheta prædicta est, eadem a te expugnata, sed iterum ædificabor.* In sensu allegorico adplicat ad Christi ex mortuis resurrectionem. 4.) Quomodo ad purgatorium adplicari possit, quod sequitur apud prophetam v. 10. *Adspiciet inimica mea, operietur confusione, quæ dicit ad me, ubi Dominus Deus tuus?* v. 11. *Dies,* (venient) *ut ædificentur materiæ tuæ.* Glossa ordinaria adcommodat ad *reparationem ruinæ angelicæ,* sed quilibet videt, hoc esse perquam durum & coactum. 5.) Hieronymus nequaquam ad purgatorium dictum propheticum adcommodat, sed dicit, *eos, qui volunt supplicia damnatorum aliquando finiri, & licet post multa tempora, tamen terminum habere tormenta, inter alia etiam hoc testimonio uti,* vel potius abuti. Origenico igitur errori adfines sunt, qui ad statum & pœnas futuri seculi hunc locum adcommodant.

IX) *Ex Zach. IX. 11. Eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

§. CCXXXVIII. IX) Zach. IX. 11. *Tu in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Etsi,* inquit Bellarminus, *hunc locum adducunt passim pro liberatione patrum ex limbo, tamen melius convenit liberationi animarum ex purgatorio, quas Christus eduxit, cum eo descendit post mortem suam:* 1.) *quia isti rectius dicuntur vincti;* 2.) *quia in purgatorio non est aqua consolationis,*

tionis, quæ est in limbo. Vnde Augustinus lib. XII. in Gen. cap. 33. & epist. XCIX. ad Evodium contendit, Christum, cum descendit ad inferos, non solum patres invisisse, sed etiam eos, qui cruciabantur in inferno, id est, in purgatorio, & multos eorum inde liberasse. Eumdem locum pro purgatorio stabiliendo adducit Salmeronius comment. 1. Cor. XV. disp. XXVI. §. *Vocatur &c. Resp.* 1.) Bellarminus ipse libr. IV. de Christo cap. 11. ex hoc dicto prophetico *limbum* fulcire conatur; cur ergo hoc loco ad purgatorium illud adplicat, cum limbus ac purgatorium sint duo distincti sinus inferni? Becanus in disp. de purg. Calvinist. p. 25. itidem ambiguus est, an ad limbum patrum, an ad purgatorium hic locus propheticus referri debeat? *Catholici* (inquit) *aut limbum antiquorum patrum aut certe purgatorium intelligi putant.* Costerus in enchir. p. 492. & conc. part. III. tom. I. p. 604. accipit de *purgatorio*, Grodicius conc. II. in festo paschatos de *limbo*. 2.) Ostendimus autem superius §. 176. nec de *limbo* nec de *purgatorio* vaticinium illud accipi posse, sed de ipso inferno, ex quo Christus sua passione & sanguinis sui effusione nos eduxit, quando Patri suo cœlesti nos reconciliavit, & a potestate satanæ liberavit. 3.) Hanc interpretationem probant ipsimet evangelistæ Matth. XXI. 5. & Johannes XII. 14. quando vaticinium illud referunt ad Christi in Hierosolymarum urbem ingressum, eumdemque insecutam passionem, per quam ecclesiæ redemtio obtigit. 4.) Eadem interpretatio patrum suffragio stabiliri potest. Theodoretus in comm. *Quos tuo pretioso sanguine redemisti & liberasti, hos cum salutaribus testamenti tui tabulis emisisti, ut omnibus hominibus libertatem testarentur ac declararent. Liberasti eos a lacu non habente aquam; hunc autem lacum sive de morte æterna, sive de errore idolorum velit quis intelligere, non aberrabit a veritate.* Hieronymi & Augustini lib. XVIII. de civ. Dei cap. 35. expositionem adduximus §. citato. 5.) Ad purgatorium non posse adplicari locum propheticum, demonstramus hisce argumentis. *Primo* in lacu illo, e quo Christus vinctos eduxisse dicitur, *non erat aqua*, sed in purgatorio esse aquam, colligi potest ex eo, quod dictum Psalm. LXVI. 12. *transivimus per aquam & ignem &c.* ad illud adplicant. *Secundo*, ex lacu illo Christus dicitur nos eduxisse *suo sanguine*, sed ex purgatorio liberantur homines suis passionibus ac satisfactionibus. *Tertio* in lacu illo, e quo Christus nos eduxit, tenebamur *vincti*; sed animæ in purgatorio non sunt vinctæ, quia *possunt ex eo ad nos in terris adhuc viventes* proficisci, ut ex Gregorii dialogis disputat Bellarminus lib. II. de purg. c. 8. *Quarto*, in lacu illo non animæ duntaxat, sed *homines* corpore & anima vincti tenentur, sed in purgatorio animæ tantum torquentur. *Quinto*, ubi est certa spes liberationis ac salutis, ibi adhuc est aqua aliqua consolationis. Sed *in purgatorio est certa spes liberationis ac salutis*, teste Bellarmino lib. II. de purgat. cap. 4. ergo ibidem adhuc est aqua consolationis. Jam vero in lacu illo, e quo Christus nos liberavit, nulla est aqua. 6.) Augustinus de purgatorio dubius fuit, ut suo loco ostendemus. 7.) Quod Augustinus disputat, *Christum in suo ad inferos descensu quosdam ex inferno liberasse*, id ne ipsi quidem pontificii acceptare possunt; agnoscunt enim nobiscum, ex inferno nullam esse liberationem. De purgatorio id ipsum exponi nequit, cum Augustinus de inferno specialiter sic dicto, id est, damnatorum loco illud adferat.

§. CCXXXIX. X) Malach. III. 3. *Ipse sedebit quasi ignis conflans, & purgabit filios Levi, & colabit eos. Hunc locum exponunt de pœna purgatoria Origenes homil. VI. in Exod. Ambrosius in Psalm. XXXVI. Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 25. & b. Hieronymus in hunc locum. Et quamquam pœna illa purgatoria non est ea, de qua nunc agimus, nam illa purgabit viventes; nos autem agimus de pœna mortuorum: tamen inde recte infertur purgatorium.*

X) *Ex Malach. III. 3. Sedebit quasi ignis conflans.*

rium. Nam ideo tunc præcedet tribulatio gravissima, & postea etiam ignis descendet, & purgabit celerrime omnes reliquias peccatorum in hominibus justis, quia, ut Irenæus etiam notat in fine lib. V. tunc repente ecclesia, quæ est in terris, adsumenda erit ad sponsum, nec erit tempus purgationis ulterioris, ut nunc est post mortem ante judicium. Resp. 1) Non de *secundo* Christi adventu ad judicium, sed de *primo* adventu ad opus redemtionis in his terris peragendum propheta loquitur, ut constat ex infallibili evangelistarum expositione, Matth. XI. 10. Marc. I. 2. Luc. I. 76. VII. 27. 2.) Id ipsum colligitur ex integro contextu hujus vaticinii: v. 1. *Ecce ego mitto angelum meum*, (legatum meum Johannem baptistam) *qui præparabit viam ante faciem meam.* v. 2. *Et statim veniet ad templum suum* (Hierosolymitanum) *dominator, quem vos quæritis*, (Messias, quem cupide exspectatis) *& angelus testamenti, quem desideratis. Ecce veniet, dicit Dominus exercituum.* v. 3. *Et quis poterit sustinere diem adventus ejus?* (illius scilicet, de quo in præcedentibus actum, cujus præcursor erat futurus Johannes baptista.) *Et quis stabit, cum adparuerit?* (Pontificibus, sacerdotibus, Levitis, Pharisæis &c. Hierosolymitanis Christi adventus erat parum gratus & acceptus propter acrem corruptelarum reprehensionem & institutam ecclesiæ reformationem, de qua propheta porro sic vaticinatur:) *Ipse enim erit quasi ignis conflans & quasi sapo fullonum*, (quo lintea ac panni purificantur) *sedebit* (ut aurifaber) *conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & fundet eos quasi aurum & argentum, & erunt Domino offerentes in justitia, & placebit Domino sacrificium Juda & Jerusalem sicut in diebus antiquis & sicut in annis prioribus.* (post repurgatam a corruptelis & traditionibus pharisaicis doctrinam, pristinus ejusdem nitor elucesceret, & qui ex sacerdotibus, scribis, Pharisæis ac reliquis Judæis patientur se verbo emendari, illi salutaria ecclesiæ christianæ membra fient, ac spiritualia sacrificia Deo offerent) 3.) Huic interpretationi, ex ipsis textus visceribus erutæ, adsurgunt multi ex veteribus, dum non ad purgatorium post hanc vitam, sed ad ignem verbi & tribulationum in hac vita locum propheticum referunt. Cyprianus ad Quirinum lib. III. adverss. Judæos cap. 57. "Emendans emendavit me Dominus, & morti non tradidit me &c. Item apud Malachiam: & sedebit conflans & expurgans sicut aurum & argentum, & emundabit filios Levi.„ Hieronymus in comm. "Ipse his, qui peccant graviter, ignis consumens est; qui autem levia peccata committunt, herba fullonum, ut lotis munditiam restituat &c. unde & Dominus in evangelio loquitur: *ignem veni mittere super terram.* Et purgabit filios Levi. Tempus enim est, ut judicium incipiat a domo Dei.„ (at ignis ille, de quo Christus loquitur, & judicium, de quo Petrus, non est purgatorium subtus terram, sed in hac vita super terram.) Cyrillus Alexandrinus lib. I. in Esaiam orat. III. c. 4. "Regeneratos a Spiritu sancto & igne intelligibili hic intelligit, qui sordes vitiositatis in nobis deterit, & abstumit, & peccati inquinationem liquat & excoquit.„ (at in purgatorio non est ignis intelligibilis, sed corporeus, ut disputat Bellarminus lib. II. ad purgat. cap. 11.) Theodoretus in comm. "Hoc loco propheticus sermo „Dominum tanquam quemdam pontificem nobis ostendit, sordes peccatorum veluti herba quadam expurgantem, & ceu igne quodam animas nostras ejusmodi veneno liberantem.„ (si de vero & corporeo purgatorii igne locum accepisset, nequaquam particulam similitudinis adhibuisset.) Lyranus in comm. "Ipse quasi ignis conflans ad probationem electorum, & purgabit filios Levi, hoc est, apostolos, quorum aliqui fuerunt de tribu Levi, & omnes fuerunt novæ legis episcopi.„ Hugo Cardinalis in comm. "Purgabit filios Levi igne passionis vel Spiritus sancti.„ Eodem fere modo Arias Montanus in comm. "Evangelio describendo varia & illustria ex effectu nomina in sacris literis imposita sunt, ex iis unum est ignis, alterum herba fullonum. „Vtraque autem res natura sua impuritati adversa-

„versatur, atque elegantiæ & rerum nitori pu„ritatique conducit.„ Ribera in comm. h. l. „Ego Theodoreto adsentior, qui de expia„tione cordium per Spiritum sanctum datum „a Christo prophetam loqui arbitratur. Chri„stus igitur igne Spiritus sui calefaciet animas „suorum, & expurgabit, ut ignis metalla &c. „de quo dictum est Matth. III. baptizabit in „Spiritu sancto & igne. Luc. XII. Ignem veni „mittere in terram &c.„ 4.) Propheta non de pœna *mortuorum*, sed *viventium* in hoc dicto agit, fatente Bellarmino. At purgatorium est pœna mortuorum, non viventium, eodem docente. Ergo hic locus propheticus non agit de purgatorio. Quod per *quamdam consequentiam* ex igne judicii ignem purgatorium ante judicium cruciantem inferri posse arbitratur, de eo quid statuendum sit, ostendimus superius. 5.) Augustinus non ad purgatorium pontificium, sed ad *ignem extremi judicii* vaticinium adcommodat. "Propheta Malachias „(inquit) judicium novissimum prophetavit.„ Et postea: "Ex his, quæ dicta sunt, videtur evidentius adparere, in illo judicio quasdam „quorumdam purgatorias pœnas futuras.„ Eodem modo exponunt Chrysostomus in hom. *quod Christus Deus*. Ruffinus in expos. symb. sed ex illa vivorum per ignem judicii purgatione ignis purgatorius mortuorum animas excrucians inferri nequit, ut ostendimus superius. 6.) Origenes & Ambrosius de tali purgatorio loquuntur, quod *omnes omnino* etiam prophetæ & apostoli subire coguntur. Sed hanc sententiam Bellarminus lib. II. de purg. cap. 1. *inter errores* refert; quorsum igitur eorum expositionem adfert?

Dicta scripturæ, quæ alii pontificii pro purgatorio adstruendo ex vet. test. producunt.

§. CCXL. Atque hæc sunt, quæ *Bellarminus* ex vet. test. pro purgatorio habiliendo adducit. Vbi merito quis miretur & miseretur illas ambages & viarum anfractus, per quos piis vet. test. fuit oberrandum, antequam in cœlum pervenire potuerint. Primum enim in purgatorium ipsis fuit descendendum, in quo pœnam damni & sensus experti fuere; ex purgatorio traducti fuere in limbum, in quo pœnæ *damni*, non tamen *sensus* fuere adhuc obnoxii; ex limbo in Christi ad inferos descensu tandem fuere liberati, & ad cœlestis vitæ gaudia introducti, si pontificiis figmentis fides est habenda. Videamus etiam reliqua veteris testamenti dicta, quæ alii ex pontificiis (*) pro purgatorio adferendo adducunt.

1) Levit. XII. 4. *Omne sanctum non tanget* (puerpera) *nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purgationis suæ;* ex quo colligunt, *animabus defunctorum non patere ad paradisi sanctuarium aditum, nisi post impletas in purgatorio sanctificationes. Resp.* 1.) Ex allegoriis non possunt probari fidei dogmata, nisi ipse Spiritus sanctus in scripturis adplicationem monstret. 2.) Si hunc locum ἀλληγορικῶς ad purgatorium transferre velint, quomodo quæso illud explicabunt, quod ea, quæ fœminam peperit, longiori tempore ab ingressu in sanctuarium abstinere debuit, quam quæ marem enixa est? 3.) Nullus ex veteribus in hujus loci explicatione allegorica de purgatorio quidquam somniavit. Conf. paraphrastem Chaldæum, Origenem homil. VIII. in Levit. Hieronymum in Ezech. XLVII. Theodoretum, Bedam & alios in Levit. XII. 4.) Proponitur in hac lege admonitio de peccato originali per carnalem generationem in liberos propagato, a quo post exactum hujus vitæ septenarium *die octavo*, hoc est, in resurrectione universali plene liberabimur. Explum tempus immunditiei post editam in lucem fœminam a matre observandum monitorium erat, per fœminam, astu satanæ deceptam, peccatum in mundum esse introductum. In his & similibus allegoriis fidei analogiæ congruis adquiescendum, non autem præter, imo contra scripturam purgatorium ex hac levitica constitutione exculpendum.

1) *Ex Lev. XII. 4. Puerpera non ingredietur sanctum, donec compleantur dies purgationis.*

(*) Ex recentioribus, qui hoc fecerunt, cumprimis emicat Zephyrinus de Pace, sub quo nomine Christ. Ferd. l. b. de Ræsewiz latet, in *den altchristl. Gedanken, MDCCIX* 4. editis, *p. 730. seqq.*

II) *Ex I Sam. II. 6. Jehovah mortificat & vivificat.*

§. CCXLI. II) 1. Sam. II. 6. *Jehovah mortificat, & vivificat, Jehovah ducit ad inferos, & reducit. Jam vero ex inferno inferiore damnatorum loco non datur regressus; ergo de superiore inferni parte, videlicet de purgatorio id accipiendum.* Huc referenda similia scripturæ dicta, quæ de liberatione ex inferno loquuntur. *Resp.* 1.) Quidam per שאול intelligunt sepulcrum, ac de restitutione sanitatis ad hanc vitam, vel resuscitatione ex sepulcro ad futuram vitam interpretantur. Tertullianus lib. de resurrect. carnis cap. 18. ex hoc loco sic colligit: *Caro est, quæ occiditur per mortem, caro itaque & vivificabitur per resurrectionem.* Lyranus in comm. *Deducit ad inferos. In Hebræo habebetur, ad fossam, id est, sepulcrum, & reducit, quia aliquando contingit, quod aliqui, de quorum sepultura jam tractatur, ad vitam reservantur, sicut de Ezechia habetur.* Chaldæus paraphrastes: *Descendere facit ad infernum etiam futurus ad educere faciendum ad vitas seculi.* 2.) Quidam exponunt de *redemtione ex inferno* per Christum nobis parta. Sophronius Constantinopolitanus lib. de monarchia Dei: *Redemtor noster maledictionem Adæ vertit in benedictionem, mortem in vitam, casum in resurrectionem.* Glossa ordinaria: *Deducit ad inferos, Judæos obstinatos dimittendo eos deduci, & reducit gentiles ab idololatria, per quam digni erant inferni pœna, revocando.* 3.) Augustinus lib. XVII. de civ. Dei cap. 4. adcommodat ad Christi descensum ad inferos: *Deduxit ad inferos & reduxit. Hoc utrumque videmus in capite nostro impletum, quia in propheta vox ejus agnoscitur, non derelinques animam meam in inferno; eumdem deduxit ad inferos, & reduxit.* 4.) Cajetanus in comm. de *liberatione ex carcere* accipit. *Ex eo*, inquit, *quod in Hebræo verbi præteriti temporis dicit, & fecit adscendere, cogor nomine foveæ nec infernum nec sepulcrum, sed carcerem intelligere. A principio namque mundi usque ad tempus Hannæ nullus adscenderat ex inferno, nullus surrexerat a mortuis, sed multos liberos & innocentes fecerat Deus descendere in carcerem, & vinctos multos fecerat inde adscendere.* 5.) Simplicissime exponitur de *terroribus & horroribus inferni*, quos in hac vita pii quandoque sentiunt, sed divinitus ex illis iterum liberantur. Quæ interpretatio ex contextu & ex aliis scripturæ locis probari potest. *Dominus* (inquit Hanna) *mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit, pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat*; hoc est, quos Deus vult vivificare & recreare, illos prius in extremas angustias & mortis pericula conjicit; quos vult cœlestis gaudii sensu perfundere, illos prius inferni horrores sentire permittit; quos vult locupletare, illos prius ad extremam paupertatis lineam redigit; quos vult evehere, illos prius deprimit. Psalm. XXX. 4. *Eduxisti ab inferno animam meam, vivificasti me a descendentibus in sepulcrum.* XLIX. 16. *Deus redimet animam meam de manu inferni, cum susceperit me.* LXXI. 20. *Ostendisti mihi angustias multas & magnas, conversus vivificabas me, & ex voraginibus terræ adscendere me faciebas.* Ps. LXXXVI. 13. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Ps. CXVI. 3. *Angustiæ inferni invenerunt me, v. 4. erue animam meam.* Gregorius lib. II. expos. in 1. Regum: "Vt mortificet Deus, „ducit ad inferos, & ut vivificet, reducit ab „inferis. Omnipotenti etenim Deo ad infe„ros ducere est peccatorum corda æternorum „cruciatuum consideratione terrere, & quo„que ab inferis reducere est territas pœniten„tium atque commissa lugentium mentes spe „vitæ indeficientis attollere.„ Hugo Cardinalis in hunc locum metaphorice loquitur: „Dominus deducit ad inferos, id est, ad sum„mam adflictionem; quod enim nomine in„ferni intelligatur gravis adflictio, habemus „Ecclesiastici ultimo.„

III) *Ex Psal. XXXIX. 12. Si reprehensionibus pro iniquitate castigas quempiam, liquescere facis ut tineam desiderium ejus.*

§. CCXLII. III) Psalm. XXXIX. 12. *Si reprehensionibus pro iniquitate castigas quempiam, liquescere facis ut tineam desiderium ejus.*

iniquitate castigas quempiam, liquescere facis desiderium ejus.

ejus. Hoc in purgatorio fieri arbitrantur. Resp. 1.) Non de purgatorio post hanc vitam, sed de castigatione in hac vita loquitur psaltes hoc sensu: Si Deus propter peccata morbo quodam hominem corripit, tunc pulcritudo ejus consumetur, ac si a tinea esset corrosa. Chaldæus paraphrastes: *liquefactum est instar limacis corpus ejus.* 2.) Eodem modo probatissimi interpretes exponunt, apud quos de purgatorio altum in explicatione hujus phraseos silentium. Confer Hieronymum, Arnobium, Chrysostomum, Augustinum, Theodoretum, Ruffinum, Euthymium, Bedam, Haymonem, Lyranum & alios in comm. 3.) Nec pontificii interpretes purgatorii hoc loco meminerunt. Confer Cajetanum, Eugubinum, Folingium, Genebrardum, Jansenium & ipsum Bellarminum in comm. 4.) Proferunt pro stabilienda interpretatione Origenem homil. II. in tres psalmos. Atqui *primo* unius interpretis auctoritas reliquis non est præferenda. *Secundo* allegorica expositio sine scripturæ suffragio excogitata non præbet solidum fidei fundamentum. *Tertio* Origenes ob nimium ac præposterum allegoriarum studium male audit. *Quarto* ipsimet pontificii Origeni non multum tribuunt, ut suo loco monebimus. *Quinto* Origenis purgatorium bonos & malos, adeoque omnes homines suscipit, quod Bellarminus lib. II. de purg. cap. 1. numerat inter errores. *Sexto* homiliæ istæ, judice Erasmo, non sunt *Origenis*, sed *auctoris Latini*, aliquot seculis Origene posterioris.

IV) *Ex Psal. CVII. 13. Eduxit eos ex tenebris & umbra mortis.*

§. CCXLIII. IV) Psalm. CVII. 13. *Clamaverunt ad Dominum in angustia, & de coarctationibus servavit eos*, v. 14. *Eduxit eos ex tenebris, ex umbra mortis, & vincula eorum disrupit, id est, liberavit eos ex purgatorio. Resp.* 1.) Versu 12. proxime præcedente dicitur: *Impegerunt, & non fuit, qui adjuvaret;* consequens igitur fuerit, animas in purgatorio nec missis, nec suffragiis, nec indulgentiis juvari posse. 2.) Et antecedentia & consequentia ostendunt, Davidem loqui de *liberatione ex necessitatibus & angustiis, quæ in hac vita clamantibus ad Dominum & fide ad eum confugientibus obtingit.* 3.) Pii veteres nihil de purgatorio in expositione hujus loci addunt. Confer Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum &c. in comm. Theodoretus sic exponit: *Liberavit ab ignorantiæ tenebris, servitutisque vincula perfregit.* Euthymius: *A tenebris erroris.* Haymo: *Sedentes in umbra mortis, id est, turpi vita, quæ esset excæcatio eis & umbra ducens ad mortem.* Hugo: *In tenebris, ecce ignorantia; & umbra mortis, ecce culpa; vinctos, ecce pœna.* Lyranus per *umbram mortis pericula mortis* intelligit.

V) *Ex Eccl. IV. 14. Est, qui ex vinculis prodit ad regnandum.*

§. CCXLIV. V) Eccl. IV. 14. *Est, qui e vinculis prodit ad regnandum, id est, de purgatorio ad regnum cœlorum. Resp.* non de statu animæ post *hanc vitam*, sed de rerum humanarum vicissitudine in *hac vita* agitur, ut integer contextus ostendit; statim enim additur: *quia etiam in regno suo natus est pauper.* Atqui talis μεταβολὴ post hanc vitam non amplius habet locum; qui enim semel in regnum cœleste receptus, nunquam iterum detrudetur ad purgatorium. Interpretes in sensu literali referunt ad *Josephum* ex carcere ad gubernacula Ægypti evectum; in sensu allegorico ad *Christum* ex vinculis in regnum Patris exaltatum. VI) Esa. VIII. 19. *Numquid non populus a Deo suo requirit pro vivis ac mortuis?* hunc locum Petrus Cluniacensis lib. I. epist. f. 32. ad purgatorium ex adparitionibus & revelationibus mortuorum exstructum adcommodat. *Resp.* fontes veritatis sic habent: *Nonne populus Deum suum requiret? pro vivis ad mortuos?* (subintellige consulet) v. 20. *ad legem & ad testi-*

VI) *Ex Esa. VIII. 19. Numquid non populus a Deo suo requirit pro vivis ac mortuis?*

teſtimonium. Chaldæus paraphraſtes: *Vnusquisque populus ab idolo ſuo requirit, vivi a mortuis.* LXX. interpretes: ἐκ ἔθνος πρὸς θεὸν αὐτῆ ἐκζητήσει; τὶ ἐκζητήσει περὶ τῶν ζώντων τὰς νεκρὰς; Redarguit propheta populum a pythonibus & hariolis veritatem quærentem, ac revocat eum ad legem Domini, quo modo Origenes, Baſilius, Hieronymus, Cyrillus & alii dictum propheticum recte exponunt, quæ interpretatio fundamentum purgatorii ex adparitionibus mortuorum ſuffultum penitus diruit. VII) Eſa. LIV. 8. *In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper a te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.* Hoc itidem ad liberationem ex purgatorio adplicant. *Reſp.* de adflictionibus hujus vitæ, quæ reſpectu æternæ felicitatis ſunt *leves ac momentaneæ*, 2. Cor. IV. 17. non de purgatorii tormentis poſt hanc vitam ſuſtinendis ſermo eſt. Statim enim additur: *Sicut in diebus Noæ hoc mihi eſt, cui juravi, quod non tranſirent aquæ ultra ſuper terram, ſic juravi, ut non iraſcar tibi nec increpem te.* Nullus ex veteribus interpretibus purgatorii in explicatione hujus dicti meminit. Lyranus in comm. *Ad punctum abſcondi faciem meam, quia quæcunque tribulatio vitæ præſentis quaſi momentanea eſt reſpectu conſolationis cæleſtis.* VIII) Jerem. I. 13. *Quid vides? & dixi ollam ſuccenſam ego video & faciem ejus a facie aquilonis.* In hac olla ſuccenſa animas purgari ſomniant. *Reſp.* verſus ſequens addit explicationem. *Et dixit Dominus ad me, ab aquilone pandetur omne malum ſuper omnes habitatores terræ.* v. 15. *Quia ecce ego voco omnes cognationes regnorum aquilonis, dixit Dominus, & venient, & ponent unusquisque ſolium ſuum in introitu portarum Jeruſalem, & ſuper omnes muros ejus, & ſuper univerſas urbes Juda.* Hæc ergo olla bulliens ac ſervens, perinde ut *virga vigilans* v. 12. ſignificabat anguſtias & adflictiones, quibus Deus per Babylonios populum ſuum voluit caſtigare & excoquere; Babylonii reſpectu terræ Canaan erant Iſraëlitis aquilonares ſive ſeptentrionales. Confer Hieronymum & Theodoretum in comm. Gregorius lib. XXXIII. moral. cap. 27. myſtice ſic explicat: *Ab aquilonis facie humani cordis olla ſuccenditur, dum inſtigatione adverſarii ſpiritus illicitis deſideriis inflammatur.* Origenes homil. II. in Pſalm. XXXVIII. ad purgatorium adplicat; ſed quid de eo ſtatuendum ſit, ex antecedentibus patere poteſt.

VII) *Ex Eſa. LIV. 8. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper a te.*

VIII) *Ex Jer. I. 13. Video ollam ſuccenſam.*

§. CCXLV. B) Ex nov. teſt. Bellarminus hæc producit dicta: I) Matth. XII. 32. *dixit Dominus, eſſe quoddam peccatum, quod non remittitur neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Hinc colligunt ſancti patres, quædam peccata remitti in futuro ſeculo per orationes & ſuffragia eccleſiæ.* Auguſtinus lib. XXI. de civ. Dei cap. 24. lib. VI. in Julianum cap. 5. Gregorius lib. IV. dialog. c. 39. Beda in Marci III. Bernhardus homil. LXVI. in Cant. Petrus Cluniacenſis in epiſt. contra Petrobruſianos. Rabanus lib. II. inſtit. cleric. cap. 44. Gloſſa interlinearis & ordinaria. *Reſp.* 1.) Collatio evangeliſtarum oſtendit, *non remitti neque in hoc, neque in futuro ſeculo*, idem omnino eſſe, quod *non habere remiſſionem in æternum.* Quod enim apud Matthæum dicitur: *non remittetur illi peccatum nec in hoc ſeculo, nec in futuro*; id apud Marcum ſic exprimitur III. 31. *Non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti*, & apud Lucam XII. 10. *Non remittetur.* Hieronymus in comm. Matth. XXII. *Qui dixerit, Filium Dei habere ſpiritum immundum, huic nullo tempore blaſphemia remittetur.* Auguſtinus de verb. Dom. ſerm. XI. *Quod ſcriptum eſt, non habet remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti, quid eſt aliud, quam id, quod ſecundum Matthæum legitur, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro?* Eſt ergo in verbis Chriſti exag-

B) *Ex nov. teſt.*

I) *Ex Matth. XII. 32. Peccatum in Spiritum ſanctum non remittetur neque in hoc, neque in futuro ſeculo.*

exaggeratio comminatoria, qua peccato in Spiritum sanctum remissio ἀποτόμως ac penitus denegatur, perinde ut Joh. XIII. 8. dicit: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Excipit Bellarminus, 1.) *hoc modo posse etiam nos tollere infernum, ac dicere esse exaggerationem, cum dicitur: Ite in ignem æternum. Resp.* est dispar ratio inter peccatorum remissionem in futuro seculo sperandam, & inter æternam pœnarum infernalium durationem. Quod enim pœnæ infernales futuræ sint æternæ, illud claris & perspicuis scripturæ dictis adseritur, quæ ostendunt non nudæ exaggerationis, sed certæ adseverationis ergo ignem infernalem dici æternum. Sed in futuro seculo quorumdam peccatorum remissionem sperandam esse, scriptura non solum nuspiam dicit, sed etiam diserte contradicit. *Quidquid in terra solveritis, in cælo solutum erit; quidquid in terra ligaveritis, in cælo erit ligatum.* Matth. XVIII. 18. 2.) *Exaggerationem non debere esse ineptam, qualis est, cum fit partitio, & uni membro nihil respondet. Resp.* imo vero, quia est exaggeratio, ideo non est adcurata & logica quædam partitio. Sic quando Christus sicui maledicens ait: *Nunquam ex te fructus nascatur in æternum*; Matth. XXI. 19. Marc. XI. 14. non potest inde inferri, quod quædam arbores in futuro seculo, in æternitate scilicet, fructus sint adlaturæ. Quando Petrus Joh. XIII. 8. dicit ad Christum: *Non lavabis mihi pedes in æternum*; ex eo inferri non debet, quod Christus in futuro seculo quorumdam pedes sit abluturus. 3.) *Non debere exponi Matthæum per Marcum, sed potius Marcum per Matthæum, cum Matthæus pluribus verbis utatur, & constet, Matthæum copiosius scripsisse, & Marcum fecisse quasi compendium ex evangelio Matthæi. Resp.* Marcus post Matthæum scripsit, ut ex historia ecclesiastica constat, & ex verbis Bellarmini colligitur, nisi enim post Matthæum scripsisset, ex ejus evangelio epitomen conficere nequaquam potuisset. Ne quis ergo verbis Christi apud Matthæum abuteretur ad probandum, quædam peccata remitti in futuro seculo, ideo Marcus verum eorum sensum exprimere voluit, quod peccati in Spiritum sanctum nulla speranda sit remissio. Nequaquam igitur absurdum vel præposterum censeri debet, Matthæum explicare per Marcum, quod in alia quæstione facit Gregorius de Valentia libr. de indissol. matrim. vinc. cap. 4. § *tertio &c. Marcus*, inquit, *hoc in loco*, ubi de divortio agitur, *tanquam Matthæi interpres est adhibendus.* Nec absolute ac simpliciter verum est, quod Bellarminus adserit, *eum, qui pluribus verbis utitur, & copiosius scribit, non posse exponi per eum, qui paucioribus verbis utitur.* Nam David Psalm. CX. 1. describens exaltationem Christi, pluribus verbis utitur: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis &c.* & tamen recte exponitur ex Paulo 1. Cor. XV. 25. *Oportet eum regnare.* Quod si Bellarminus ex Marco interpretationem petere nolit, cum sit epitomator Matthæi, conjungat explicationem ipsius Lucæ, qui æque copiose historiam evangelicam descripsit ac Matthæus, & quidem post Matthæum ac Marcum. Sed nec *absolute* & simpliciter, verum *secundum quid* duntaxat accipiendum, quod ex Hieronymo dicitur, *Marcum confecisse epitomen evangelii a Matthæo scripti*, quia ab initio historiæ in tractandi ratione est dissimilis, in progressu alium ordinem sequitur, partim res uberius tractando, partim novas interserendo. Vnde ipse Bellarminus lib. II. de Rom. pontif. cap. 2. scribit, *gravissimos auctores constanter affirmare, Marcum Romæ scripsisse evangelium, prout ibidem Petrum prædicantem audiverat.* At si Marcus excepit evangelium ex ore prædicantis Petri, non fuit epitomator Matthæi. 4.) *Aut Christus dixit, ut habet Matthæus, vel ut habet Marcus, vel utroque modo. Si primum vel tertium, haberi intentum. Si secundum, quamquam hoc non sit probabile, tunc Matthæum duce Spiritu sancto exposuisse verba Christi, & nisi inepte exposuerit, indicasse, in alio seculo dimitti aliqua peccata. Resp.* Matthæus concioni Christi ipsemet interfuit; Marcus ex Petri relatione & Spiritus sancti inspiratione eamdem didicit. Eusebius

libr. VI. hist. cap. 13. Hieronymus in catal. illust. Nicephorus lib. II. hist. eccl. cap. 15. Vtroque igitur modo Christus loqui potuit. Neque ex eo quidquam sententiæ nostræ decedit. Si eo modo locutus est, ut refert Matthæus, tunc Marcus divina inspiratione explicationem addidit. Si utroque modo locutus est, ut Matthæus & Marcus referunt, tunc Christus ipse verborum suorum detorsionem prævidens, sanam eorum sententiam expressit. 5.) *Non ita accepit Marcus vocem in æternum, sicut Petrus apud Johannem. Nam inepte dixisset Petrus, non lavabis mihi pedes neque in hoc seculo, neque in futuro, cum in futuro non laventur pedes. Non autem inepte dixit Dominus apud Matthæum: Non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro. Itaque Petrus apud Johannem accepit vocem* in æternum *improprie pro solo tempore hujus vitæ, Marcus autem proprie pro toto spatio hujus seculi & futuri. Resp.* principium petit Bellarminus, quando infert: Christus apud Matthæum proprie loquitur, quod peccatum in Spiritum sanctum non remittatur neque in hoc seculo, neque in futuro. Ergo in futuro seculo quædam peccata remittuntur; quæ enim sit ratio hujus phraseos, paulo post expeditum dabimus. Ac unde probat Bellarminus, *vocem* in æternum *improprie pro solo tempore hujus vitæ in verbis Petri accipi?* æque enim probabile est, Petrum exaggerationis & αὐξήσεως gratia & hujus & futuri seculi spatium exprimere, quod in omnem æternitatem concedere nolit pedes a Christo sibi ablui.

§. CCXLVI. 2.) In verbis Christi est absoluta negatio, non privatio, quæ præsupponat adfirmationem in potentia, hoc est, in verbis Christi est potius illatio subordinatorum absolutam negationem includens, quam partitio adfirmationem tacitam præsupponens; sensus enim est, quia peccatum in Spiritum sanctum non remittitur in hoc seculo, ideo etiam in futuro non remittitur; quorum enim peccatorum remissio non obtingit in hoc seculo, illorum remissio frustra sperator in futuro. In hoc seculo per ministerium ecclesiæ Deus ligat vel solvit peccata, in futuro seculo non amplius per ministerium ecclesiæ cum peccatoribus aget, sed quæ per ecclesiam ligata vel soluta sunt, pro ligatis vel solutis a se haberi ipso facto, scilicet pœnarum irrogatione ac præmiorum distributione declarabit, ac proinde quod in hoc seculo super terram non remittitur, illud in futuro seculo, id est, in cœlo non remittetur. Constabat enim Judæis ex lege, & nobis ex evangelio, peccata, quæ in hoc seculo non remittuntur, ligata manere etiam in futuro seculo. Nequaquam vero hic sensus est, quod peccatum in Spiritum sanctum non remittatur quidem neque in futuro seculo, interim esse alia quædam peccata leviora, quorum remissio in futuro seculo obtineri possit; talis enim sensus fidei analogiæ & manifestis scripturæ ac piorum veterum dictis de peccatorum remissione in hac vita duntaxat speranda diserte repugnat. Hoc membrum responsionis alii sic efferunt, *ex negatione non sequi adfirmationem*, ac proinde non debere eo modo concludi: Peccatum in Spiritum sanctum non remittitur in futuro seculo, ergo quædam alia peccata in eo remitti possunt. Non est enim consequens, quod Christus de peccato in Spiritum sanctum negavit, illud eum adfirmasse de aliis peccatis. Potest aliquid negari de una specie, quod tamen constat non convenire ulli speciei ejusdem generis. Sic de superbia dicere possumus, eam Deo ita exosam esse, ut non possit eam ullo modo ferre, ex quo tamen inferri nequit, ipsum reliqua peccata ferre posse. Sic quando vindictæ cupidus dicit: Non remittam hanc injuriam neque in hac neque in futura vita, ex eo nec debet nec potest inferri, quod quædam injuriarum remissio futura sit in vita altera; sed sensus est, quod quia in hac vita remittere nolit injuriam, ideo etiam in futura vita eamdem non sit remissurus. Potuisset Christus dicere: Hoc peccatum neque in hoc seculo neque in inferno remittetur, ex quo tamen colligi non posset, quædam peccata in inferno remitti. Excipit Bellarminus,

non

non sequi secundum regulas dialecticorum, id quod ex verbis Christi (a pontificiis) *infertur, sed tamen sequi secundum regulam prudentiæ, quia alioquin ineptissime fuisset Dominus locutus. Inepte enim diceres: Hoc peccatum non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro, si in futuro, nullum remittitur; sicut inepte loqueretur, qui diceret: Rex Philippus non absolvet te neque in aula Hispaniæ, neque in aula Franciæ; non autem loqueretur inepte, si diceret, neque in aula Hispaniæ, neque in aula Brabantiæ; unde Joh. XIX. cum dixisset Christus:* Regnum meum non est de hoc mundo, *intulit Pilatus:* ergo rex es tu? *nec respondit Christus, non bene sequi ex negativo adfirmativum, sed adprobavit. Neque valet similitudo adlata. Nam Christus non potuit dicere, neque in hoc seculo, neque in futuro, nisi inepte loqui voluisset, tum quia seculum tempus est, infernus vero locus, proinde non opponuntur, sicut seculum præsens & futurum, tum etiam quia in inferno constat nullam fieri remissionem. Resp.* Si id, quod ex verbis Christi infertur, non sequitur secundum regulas dialecticorum, utique non infert a legitima & necessaria consequentia, quia omnem omnino legitimam consequentiam regulis dialecticorum conformem esse oportet. 2.) Regula illa prudentiæ est valde irregularis; nititur enim præconcepta opinione de remissione quorumdam peccatorum in futuro seculo speranda, quam *prudentia sanctorum* verbo revelato innitens penitus repudiandam esse docet. Luc. I. 17. Quidquid extra & præter verbum in fidei articulis adseritur, non pertinet ad prudentiam spiritualem, sed carnalem. *Ex solo Domini verbo sapientia vera!* 3.) Christum inepte locutum esse, si non datur quorumdam peccatorum in futuro seculo remissio, inepte a Bellarmino infertur, quia in ejusmodi exaggerationibus absolutam negationem continentibus non licet ad adfirmationem procedere. 4.) Nequaquam inepte loqueretur, qui in exaggeratione rhetorica diceret: *Rex Hispaniæ non absolvet te in aula Hispaniæ, neque in aula Franciæ;* quia quos ex Hispaniæ non absolvit in aula Hispaniæ, illos etiam non absolvit in aula Franciæ, cum in ea nullam obtineat jurisdictionem. Sic recte dicit Christus, peccatum in Spiritum sanctum non remitti neque in hoc, neque in futuro seculo, quia, quod Deus non remittit in hoc seculo, illud etiam non remittit in futuro, cum futurum seculum ecclesiæ jurisdictioni & clavibus ecclesiasticis, per quas Deus vult peccata remittere, non sit subjectum. Adde, quod sit in adlata similitudine maxima disparitas. Non enim Hispanus regnat in utraque aula Hispaniæ & Galliæ, sicut Deus regnat in utroque seculo, & quod in hoc seculo remittit, in futuro remissum esse declarabit. 5.) In verbis Pilati non ex negatione adfirmatio infertur, sed ex relatione & conjugatis concluditur. Cum enim Christus regnum sibi tribueret, Pilatus ex eo recte intulit, ipsum regem esse; quisquis enim regnum habet, ille rex est. 6.) Optima ratione Christus dicere potuisset, peccatum in Spiritum sanctum neque in hac vita, neque in inferno remitti, ad significandum, peccatorum eorum, quæ in hac vita non remittuntur, remissionem in inferno frustra sperari. Quamvis enim infernus sit locus, vel potius certum πᾶ, in quo damnati torquentur, tamen præsenti seculo, quod super terram exigimus, recte opponitur, quippe cum etiam damnatorum statum hujus vitæ statui oppositum denotet.

§. CCLXVII. 3.) Dogmata fidei ad salutem omnibus scitu necessaria non debent niti obscuris, longe petitis ac infirmis consequentiis, sed apertis ac perspicuis scripturæ dictis. Jam vero in hoc Christi dicto nullum de purgatorio exstat verbum, nec potest nisi per obscuram, longe petitam & infirmam consequentiam dialecticorum regulis minus congruam ex ipso ad speciem probari. Etenim si vel maxime concederemus, ex dicto Christi inferri posse, quod quædam peccata in futuro seculo remittantur; nondum tamen statim accensum esset purgatorium, quia Origenes & alii *in futuro seculo* peccatorum remissionem statuunt,

neque tamen per omnia cum pontificiorum doctrina de purgatorio consentiunt. Præterea pontificii existimant, in purgatorio non solum culpas veniales remitti, sed etiam pœnas temporales pro peccatis mortalibus persolvi. Ergo non sufficit ex dicto Christi ostendere, quædam peccata in futuro seculo remitti, nisi etiam demonstretur, pœnas temporales pro peccatis post mortem posse exsolvi. Quod si igitur ex eo, quod Christus exaggerationis causa de peccato in Spiritum sanctum adserit, illud nec in hoc, nec in futuro seculo remitti; inferre licet, quædam peccata in futuro seculo remitti; consequens fuerit, 1.) soli peccato in Spiritum sanctum hoc convenire, quod *nec in præsenti nec in futuro seculo remittatur*, reliqua vero peccata omnia præter illud in Spiritum sanctum in futuro seculo remitti. At hoc consequens repugnat ipsorummet pontificiorum hypothesi. Statuunt enim venialium duntaxat, non autem mortalium peccatorum remissionem in futuro seculo contingere. Connexio *majoris* stabiliri posset ex eo, quod Christus peccatum in Spiritum sanctum comparet cum gravissimis delictis, cum blasphemia scilicet in Filium, quam constat esse peccatum mortale, cujus nulla in futuro seculo sperandæ est remissio. Excipit Bellarminus, *Christum loqui de perfecta remissione, quæ completur remissionem culpæ & pœnæ, quo modo peccata gravissima remittuntur etiam in alio seculo, quia ibi completur eorum remissio. Resp.* aliud est remissio culpæ, aliud relaxatio pœnæ. Ex hypothesi pontificiorum non mortalium, sed venialium duntaxat peccatorum remissio in futuro seculo sperandæ. Bonaventura part. II. centiloq. cap. 3. *Tria sunt receptacula post hanc vitam ad peccata hominum puniendæ secundum triplex genus peccati. Est enim locus purgatorius, & hic debetur peccato veniali. Est limbus, & hic debetur originali; est infernus, & hic debetur mortali*; cui contradicit Bellarminus, quando *etiam mortalium peccatorum* remissionem ex parte & ratione complementi in futuro seculo sperandam esse hoc loco adserit. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. I. de purg. c. 13. resp. ad 2. *Nemo catholicorum docet, culpas lethales remitti in purgatorio.* Lib. II. de purg. cap. 1. *Purgatorium pro iis tantum est, qui cum venialibus culpis moriuntur, & qui decedunt cum reatu pœnæ culpis jam remissis.* 2.) Graviora peccata remitti in futuro seculo, in hoc autem sola leviora, si aliqua ibi remitti vellet, alioquin non diceret: *Neque in hoc seculo, neque in futuro*; sed e contrario dixisset, non dimittetur neque in futuro, neque in hoc seculo, ut oratio crescceret. Excipit Bellarminus, *orationem crescere, quia in futuro majus spatium est diluendi peccata, quam hic, & præterea præponitur hoc seculum, quia hic inchoatur, ibi perficitur remissio delictorum. Resp.* utrobique principium petitur, quia in futuro seculo nullum amplius restat spatium diluendi peccata, ut ex scripturæ & patrum dictis superius fuit demonstratum, neque in hoc seculo duntaxat inchoatur, sed etiam perficitur remissio peccatorum, quod itidem superius fuit comprobatum. 3.) Ea, quæ de remissione culpæ a Christo dicuntur, ad remissionem pœnæ adplicari posse, cum tamen culpa & pœna ex pontificiorum hypothesi sint distincta, ac per consequens etiam remissio culpæ ac remissio pœnæ. Excipit Bellarminus, *in purgatorio remitti etiam culpas saltem veniales.* At Christus hic non de venialibus, sed de mortalibus & gravissimis peccatis, cum quibus peccatum in Spiritum sanctum tanquam gravissimum prorsus irremissibile comparat. Aliter igitur excipit Bellarminus, *Christum hic non loqui de sola culpa, sed sensum dicti esse eum: peccatum in Spiritum sanctum non remittitur, nec in hoc seculo, nec in futuro, neque quantum ad culpam neque quantum ad pœnam, cum alia peccata vel in hoc seculo remittantur, & alia interdum quoad pœnam, ut mortalia: vel & hic & ibi quoad culpam & quoad pœnam, ut venialia. Resp.* scriptura unicam tantum novit peccatorum remissionem, quæ fit in hoc seculo, non tantum ratione culpæ, sed etiam ratione pœnæ, cui doctrinæ quidquid repugnat, non potest ex Christi verbis legitima con-

consequentia esse deductum. Remittere & punire sunt contraria, teste Chrysostomo homil. de pœnit. ubi sic colligit: *Quod Deus remittit, illud non punit.* At qui in purgatorio sudant, illis infligit Deus pœnas propter peccata venialia, ut volunt pontificii. Ergo venialium remissio non datur in purgatorio, sed exigitur pro illis satisfactio. Denique quo modo sumitur vox *remissionis* in uno membro, eo etiam modo sumitur in altero verborum Christi membro. Sed in uno membro de remissione culpæ accipitur. Ergo etiam in altero.

§. CCXLVIII. 4.) In dicto Christi aliquid habetur, quod purgatorium prorsus evertit, quod sic probamus: Quidquid est vel esse statuitur, id aut ad præsens aut ad futurum seculum referendum, ut constat ex immediata oppositione, quam in verbis Christi agnoscunt pontificii. At purgatorium nec ad præsens nec ad futurum seculum referri potest. Prius concedunt pontificii. Posterius hoc modo probamus: Seculum futurum est æternum, nec unquam habebit finem. Eccl. XII. 5. *In morte abit homo in domum æternitatis suæ.* XI. 3. *Lignum ubi ceciderit, ibi erit.* Luc. XVI. 26. *Magnum chasma inter beatos ac damnatos firmatum.* 2. Cor. IV. 18. *Quæ videntur, temporalia sunt, quæ non videntur, æterna.* Testatur universa scriptura, post hujus vitæ decursum nihil temporale amplius supereesse, sed meram æternitatem. Damascenus lib. II. orth. fid. cap. 1. *Æterna vita & æternum supplicium, quod fine fine, futurum seculum ostendunt.* At purgatorium ex hypothesi pontificiorum continet temporales pœnas, & finem in extremo judicio est habiturum. Ergo non pertinet ad futurum seculum. Ergo est figmentum papisticum; non ens aliquod verum & reale, sed imaginarium & fictitium. Hoc argumento utitur Mentzerus disp. XII. antipist. th. 85.

§. CCXLIX. 5.) Possunt etiam verba Christi exponi juxta idiotismum Hebraicum, quo *verba negantia ponuntur pro contrariis adfirmantibus per quamdam μείωσιν.* Quidam hanc regulam sic efferunt: *Adverbia negandi sæpe ejus, quod exprimunt, contrarium adfirmatum eum ἐμφάσει exprimunt.* Qui peccat in Spiritum sanctum, non remittetur ei, id est, citra ullam remissionem punietur tum in hoc, tum in futuro seculo. Hæc explicatio probari potest ex Marco, qui III. 29. verba Christi sic παραφράζει: *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni judicii,* (vulgata reddidit *delicti*) hoc est, sustinebit reatum divini judicii, non solum in hac, sed etiam in futura vita, quia testatur experientia, tales apostatas in Spiritum sanctum peccantes gravissimos conscientiæ morsus sustinere, & infernalium dolorum primitias etiamnum in hac vita præsentiscere. Similis idiotismus in aliis scripturæ dictis observari potest: Exod. XX. 7. *Non habebit Deus innocentem eum, qui adsumserit nomen ejus in vanum;* id est, gravissimis pœnis temporalibus & æternis eum adficiet. Prov. XI. 21. *Manus ad manum non faciet malum innocentem;* id est, non defendent eum a promeritis pœnis. XII. 3. *Non stabilitur homo in improbitate;* id est, radicitus evertitur. XXVIII. 20. *Qui festinat ditari, non erit innocens;* id est, multis peccatis & peccatorum pœnis sese involvit, *incidit in tentationem & laqueum & desideria multa irrationalia & noxia, quæ mergunt homines in exitium,* ut exponit apostolus 1. Tim. VI. 9. Congruit etiam hæc explicatio verborum Christi cum fidei analogia. Quædam enim peccata punit Deus in hac vita, ut peccatoribus per castigationem emendatis parcat in futura, 1. Cor. XI. 32. sed peccatum in Spiritum sanctum tam grave atque atrox Christus esse pronunciat, ut qui illud committant, judicium æternæ iræ sentiant, nec in hoc solum, sed etiam in futuro seculo gravissimis pœnis judicii divini signis torqueantur. Eo remittit nos Chrysostomus, quando hom. XLI. in Matth. XII. sic commentatur: *Universorum hominum alii & hic & ibi supplicia dabunt ut Sodomitæ; alii in præsenti solummodo vita, ut fornicator Corinthius;*

thius; alii in futura tantum vita, ut dives epulo; alii nec in præsenti, nec in futura vita, ut prophetæ & apostoli. Theophylactus in comm. *Multi sunt, qui hic puniuntur, sed alibi pœnæ immunes sunt, ut pauper Lazarus: alii autem & hic & alibi, ut Sodomitæ, & hi, qui in Spiritum sanctum blasphemant; alii vero neque hic neque alibi, ut apostoli & præcursor.* Joh Ferus in Matth. XII. *Minus dicendo plus significat; vult enim quod non solum in futuro, sed etiam hic puniatur tale peccatum.* Chrysostomi verba adducit Jansenius in concord. evang. Matth. XIX.

§. CCL. 6.) Quidam *remissionem in futuro seculo* per manifestationem remissionis explicandam esse existimant, juxta vulgatam regulam: *Quædam tunc fieri dicuntur, quando facta esse manifestantur.* Sensus igitur erit: Peccatum in Spiritum sanctum non remittitur, nec in hoc seculo, nec in futuro, quando coram angelis & electis Christus judex manifestum faciet, quibus peccata sint remissa, quibus vero retenta. Hoc sensu concedimus, *peccata quædam remitti in futuro seculo*, id est, in die novissimo remissa ostendi, quando scilicet illis, quibus peccata propter Christum in hac vita sunt remissa, æterna præmia distribuuntur; illis vero, quibus non sunt, æterna supplicia adjudicantur. Conjungit ergo Christus utrumque seculum, præsens & futurum, quia quando judicium Dei de peccato in hoc præsenti seculo pronunciatur, tum mundus non magnopere illud curat; dicit igitur Christus: Si quis impœnitens in hoc seculo officium Spiritus sancti, quod in ministerio peragit, aspernatus fuerit, ac proinde peccata non remissa, sed ligata fuerint, tum etiam futurum, ut in altero seculo in die judicii iple non justus, sed condemnatus pronuncietur. Harm. evang. cap. LIX. fol. 213. Excipit Bellarminus: *Quinam erunt illi, quibus non est remissum, & in judicio remittitur? nonne illi, qui aut venialium purgatione indigebunt, aut solius pœnæ debitores erunt? Resp.* purgatorium in extremo judicio habebit finem ex hypothesi Bellarmini. Ergo in judicio nulli supererunt, qui vel venialium peccatorum purgatione indigeant, vel pœna alicujus temporalis sint debitores. Nequaquam vero in hac explicatione quorumdam ex nostris adferitur, quædam peccata, quæ in hac vita non sunt remissa, in judicio remitti, sed quæ in hac vita remissa sunt, remitti etiam in judicio, id est, remissa ostendi, quæ remissionis manifestatio erit publica & solennis remissionis in hac vita factæ confirmatio.

§. CCLI. 7.) Sunt, qui in verbis Christi hypothesin quamdam ἀδύνατον agnoscunt, qualis etiam occurrit alibi in scripturis: Matth. XXIV. 24. *Pseudoprophetæ dabunt prodigia multa, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi.* Gal. I. 8. *Si angelus e cælo aliud evangelizet, præterquam evangelizavimus vobis, anathema sit.* 1. Cor. XIII. 2. *Si habuero omnem fidem, caritatem non habeam, nihil sum.* Brentius peccatum in Spiritum sanctum dicit esse, quod sit justitiæ fastidio ex malitia, illud nec *in hoc seculo*, id est, judicio humano, neque *in futuro*, id est, in judicio divino excusari potest. Contra vero peccatum in Filium dicit esse, quod ex infirmitate commissum est, illud licet non coram divino, coram humano tamen excusari potest judicio; quæ interpretatio non solum a Brentio homil. CV. in Luc. p. 1095. & in Matth. p. 253. sed etiam communi theologorum Tubingensium nomine proponitur in apologia contra Sotum pag. 671. ac defensorem nacta est Carolum Molinæum in collat. evangel. pag. 130. At Marcus verba Matthæi simpliciter interpretatur, *non habebit remissionem in æternum.* Alii existimant, hæc accipienda κατ' ὑπόληψιν, secundum opinionem illorum, qui tandem aliquando omnium peccatorum remissionem in futuro seculo subsecuturam arbitrantur, postquam damnati in inferno satis diu excarnificati. Quidam respondent, *ipsum mortis articulum, in quo beneficium absolutionis quibusdam contingit, futuro seculo adnumerari*, cum sit quasi com-

communis terminus utriusque seculi, ejusdemque in præsente & pereunte seculo nullus amplius sit usus. Sed hisce explicationibus nos non utimur, verum in datis responsionis membris adquiescimus.

§. CCLII. 8.) Augustini explicatio contra nos urgeri nequit, 1.) quia ante Augustinum non fuit interpretatio illa in ecclesia recepta, Athanasius in hunc Matthæi locum integrum tractatum scripsit, sed nuspiam peccatorum quorumdam in purgatorio remissionem fore innuit. Hilarius in Matth. XII. *Pharisæorum perversitatem severissima definitione condemnat, peccatorum omnium veniam promittens & blasphemiæ Spiritus indulgentiam abnegans. Nam cum cætera dicta gestave liberali venia relaxentur, caret misericordia, si Deus negetur in Christo &c. omnino peccata cujuscunque generis remittenda, blasphemiam in Spiritum non remittendam.* Hieronymus in comm. *Illud de Marco evangelista sumamus exemplum, huic nullo tempore blasphemia remittetur.* Ambrosius de Spiritu sancto lib. I. cap. 3. *Nec hic nec in futurum remittetur.* Lib. II. de pœnit. cap. 4. *Non remittetur hominibus.* Eodem modo Chrysostomus explicat. 2.) Augustinus ex Christi verbis vel tanquam necessarium πόρισμα collegit, peccata quædam in futuro seculo remitti, vel tanquam opinionem quamdam probabilem. Si posterius, non potest purgatorium haberi pro fidei articulo, quia fides est de necessariis non de probabilibus; fides est certa scientia, non vacillans opinio. Si prius, cur ipse Augustinus de tali quodam purgatorio dubitavit, ac titubanter de eo etiam post illam collationem locutus est? Statim enim subjicit cap. 26. seq. *non redarguo, quia forsan verum est*; de qua loquendi formula cap. 24. sic pronunciat, *quod quidem non ideo confirmo, quia non refisto*, (ubi de mitigatione pœnarum infernalium per Dei misericordiam loquitur.) Conf. lib. de fid. & operib. cap. 14. in ench. cap. 69. At de dogmate ad salutem scitu ac creditu omnibus necessario, quod qui non credunt, æternis inferni flammis cruciandi sunt, Augustinus nunquam fuisset eo modo locutus. 3.) Augustinus hunc locum adcommodat non ad purgatorium post mortem statim sustinendum, sed ad pœnas purgatorias per ignem die novissimo futuras; per futurum igitur seculum intellexit diem novissimum; unde etiam lib. VI. contra Julian. cap. 5. disputat, *quædam peccata in novissimo judicio remissum iri.* At pontificii statuunt, purgatorium suum in die judicii exstinguendum. 4.) Idem serm. XI. de verb. Domini locum illum non adcommodat ad purgatorium, sed de negatione absoluta nobiscum recte explicat. *Quod scriptum est*, inquit, *non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti, quid aliud est, quam id, quod secundum Matthæum legitur? non remittetur ei, neque in hoc, neque in futuro seculo.* (*)

§. CCLIII.

(*) Copiosis hisce atque eruditis observationibus a Gerhardo adductis unicam adhuc adjungimus, quæ hæc est: in expositione verborum Christi: *neque in hoc, neque in futuro seculo*, respici ad Judæorum de gradibus & remissione peccatorum sententiam. Statuebant enim eorum doctores, dari quædam peccata, quæ pœnitentia abstergantur; esse contra alia peccata, ad quorum remissionem sacrificiis opus sit; esse rursus alia, quæ tam gravia sint, ut remitti nequeant, nisi in die expiationis; iterum esse alia hisce adhuc graviora, quæ mors deleat; denique dari peccata longe gravissima, quæ nonnisi in seculo futuro, hoc est, post mortem remittantur. Loca ebrææ gentis doctorum, quæ huc spectant, collegerunt Jo. Lightfootvs in *obss. ad Matth. XII. 31. 32.* Sheringham in *Joma cap. VIII. §. VIII. IX.* & Witsivs in *miscell. sacr. tom. I. libr. II. diss. VI. de seculo hoc & futuro*, §. 4. Hisce præsuppositis, mens servatoris hæc esset: Etsi peccatum illud, quo scandalum ex humili mea persona capitis, ac vi præjudiciorum acti, Messiam me hactenus haud agnoscitis, remitti utique possit, si pœnitentiam egeritis, illa tamen blasphemia, qua, licet aliter convicti, miracula mea dicitis vi diabolica patrari, ita comparata est, ut nisi quidem Deus extraordinaria quadam gratia peccatorem donare velit, secundum vestra quoque principia, neque in hoc, neque in futuro quoque seculo remitti possit. Ita quidem locum hunc exponit b. canc. Pfaffivs in *notis exegeticis in evangelium Matthæi* p. 126, 127. itemque in *institut. theol. dogmat. & moralis p. 213 seqq.* edit. primæ, quæ ann. MDCCXIX. Tubingæ prodiit.

II) *Ex 1. Cor. III. 12. Salvus erit quasi per ignem.*

§. CCLIII. II) *Secundum* argumentum petit Bellarminus ex 1. Cor. III. 12. *Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas.* v. 13. *Uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit.* v. 14. *Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet.* v. 15. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit quasi per ignem.* Ex hoc loco Bellarminus dicit, catholicos statuere dogmata ecclesiastica, *purgatorium & venialia peccata.* Adplicationem proponit hujusmodi: *Vtitur apostolus similitudine duorum architectorum, quorum unus super fundamentum lapideum & solidum erigit domum ex pretiosa materia, & quæ ignem non timet, qualia sunt aurum & argentum, lapides pretiosi, ut jaspis, porphyreticus, pavius lapis. Nam ex auro & argento fiunt laminæ & columnæ, ut de templo Salomonis legimus, ex lapide pario & porphyretico etiam integri parietes erigi possunt. Alter vero super simile fundamentum, id est, lapideum & solidum erigit domum more pauperum rusticorum ex asseribus & stipitibus, eamque tegit fœno & stipulis. Hac posita similitudine fingamus utrique domui adhiberi ignem; videbimus, priorem nihil penitus lædi, & si architectus intus fortasse sit, similiter nihil pati. At posteriorem videbimus continuo ignem concipere, & brevi tempore totam consumi, & si architectus intus sit, & velit salvus egredi, videbimus eum exire non posse, nisi per ignem, in quo transitu non quidem morietur, sed tamen barba & capilli non egredientur hinc incolumes, nisi fortasse fiat miraculum trium puerorum, qui in fornace Babylonica non combusti sunt.* In explicatione textus 1.) per *architectos* superædificantes putat intelligi posse *omnes christianos*; interim tamen magis literalem expositionem esse, qua per architectos non nisi *doctores & prædicatores evangelii* intelliguntur. 2.) Per *fundamentum* intelligit *Christum a primis prædicatoribus adnunciatum*, quales erant apostoli. Nomine *auri, argenti, lapidum pretiosorum* doctrinam utilem & salutarem aliorum prædicatorum, qui eos docent, qui jam fidem receperunt, & docent non solum verbo, sed etiam exemplo. Nomine *ligni, fœni ac stipulæ* intelligit doctrinam non quidem hæreticam vel malam, sed tamen curiosam, inutilem, supervacaneam eorum prædicatorum, qui ad catholicum populum catholice concionantur, sed absque eo fructu & utilitate, quam Deus requirit, ita ut non solum sine magno merito, sed etiam non sine peccatis venialibus concionentur. 3.) Per *diem Domini* revelantem ac manifestantem accipit diem ultimi judicii. 4.) Per *ignem*, qui in die Domini uniuscujusque opus probabit, intelligendum esse statuit ignem severi & justi judicii Dei, qui non est ignis purgans vel adfligens, sed probans & examinans. 5.) Denique per ignem, de quo dicitur: *ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, intelligit pœnam aliquam purgatoriam & temporalem, ad quam post mortem adjudicantur, qui in judicio particulari inveniuntur ædificasse lignum, fœnum aut stipulam, id est, ut uno dicam verbo, purgatorium.

§. CCLIV. *Resp.* 1.) Ex locis scripturæ figuratis ac metaphoricis non possunt in articulis fidei peti argumenta apodictica, nisi ipsa scriptura metaphoram alibi clare & perspicue exponat. Lyranus in Hebr. I. *Licet scriptura habeat multiplicem sensum, non tamen habet efficax argumentum, nisi per sensum literalem, quia in argumento semper esset æquivocationis vel amphibologiæ fallacia propter sensuum multiplicitatem.* Thomas part. I. quæst. 1. art. 10. *Solus sensus literalis est argumentativus.* Bellarminus lib. III. de verbo Dei cap. 3. §. *Sed quamquam &c. Convenit inter nos & adversarios, ex solo sensu literali peti debere argumenta efficacia.* Atqui locus hic apostolicus totus est figuratus ac metaphoricus, imo allegoricus. Ergo. 2.) Omnis fidei articulus habet genuinam ac propriam sedem,

in

in qua verbis propriis, claris ac perspicuis proponitur. Ratio pendet ex perfectione & fine scripturæ sacræ. Sed hic locus apostolicus multis obscuritatibus ac difficultatibus circumseptus est. Ergo non potest esse genuina & propria sedes dogmatis de purgatorio. *Assumtum* probatur tum ex verbis Augustini lib. de fid. & operib. cap. 15. *Diligenter oportet attendere, quomodo accipienda sit illa apostoli Pauli sententia plane ad intelligendum difficilis, ubi ait: Si quis autem ædificat super fundamentum hoc.* Et paulo post numerat hunc locum inter ea, *de quibus Petrus dicit, esse in scriptis Pauli quædam intellectu difficilia.* Cap. 16. dicit, *se malle alios intelligentiores atque doctiores de ejus explicatione audire.* Tum ex confessione ipsius Bellarmini. *Nota*, inquit, *locum istum esse unum ex difficillimis.* Tum ex consideratione omnium membrorum in specie. Sic enim Bellarminus subjungit: *Quinque sunt hujus loci difficultates.* Prima, *quid intelligatur per architectos. Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius censent, omnes christianos hic ab apostolo dici architectos. Hieronymus, Ambrosius, Sedulius, Anshelmus, Thomas, Dionysius Carthusianus, Lyranus, Cajetanus & alii solos evangelii præcones.* Altera *difficultas est gravior, quid intelligatur per fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum & stipulas. De eo sex sunt sententiæ. Chrysostomus & Theophylactus nomine fundamenti intelligunt fidem veram, sed informem; nomine auri, argenti, lapidum pretiosorum, opera bona, nomine ligni, fœni, stipulæ, peccata mortalia. Ambrosius & Hieronymus nomine fundamenti intelligunt Christum seu fidei prædicationem; nomine auri, argenti, lapidum pretiosorum, catholicas expositiones; nomine ligni, fœni & stipulæ, dogmata hæretica. Augustinus nomine fundamenti intelligit fidem vivam; nomine auri, argenti & lapidum pretiosorum opera supererogationis; nomine ligni, fœni & stipulæ omissiones consiliorum & adfectum quemdam carnalem ad bona hujus mundi, licitum quidem, sed qui dolorem adfert, cum bona illa amittuntur. Gregorius & alii per aurum, argentum &c. bona opera; per stipulam, fœnum &c. peccata venialia accipiunt. Theodoretus & Oecumenius per aurum, argentum, bonos auditores; per stipulas malos auditores intelligunt, quam expositionem refellit Chrysostomus.* Bellarminus nomine *fundamenti* intelligit *Christum a primis prædicatoribus adnunciatum; nomine auri, argenti &c. doctrinam utilem & salutarem aliorum prædicatorum, qui eos docent, qui jam fidem receperunt, & docent non solum verbo, sed etiam exemplo; nomine ligni, stipulæ &c. doctrinam non hæreticam, sed tamen curiosam, inutilem, supervacaneam, cujus tamen interpretationis auctorem ac ducem neminem ex antiquitate nominat.* Vasquez in Thomam f. l. disp. 147. *Hæc verba, lignum, fœnum, stipulæ, aperte significant peccata venialia.* Suarez tom. IV. in Thomam disp. 45. sect. 1. num. 15. *Aliqui hæc verba de peccatis mortalibus exponunt, & hanc expositionem nonnullis testimoniis Turrianus confirmat.* Tertia *difficultas est de die Domini. Augustinus & Gregorius intelligunt nomine diei præsentem vitam sive tempus tribulationis, in quo discernuntur sæpe boni a malis, quam sententiam Bellarminus negat esse ad mentem Pauli. Cajetanus & alii volunt, apostolum loqui de die judicii particularis, quod similiter refellit* Bellarminus, amplexus sententiam Theodoreti, Theophylacti & Anshelmi, qui *de die ultimi judicii hanc diem accipiunt.* Quarta *difficultas est, quis sit ignis, qui in die Domini uniuscujusque opus probabit. Augustinus & Gregorius intelligunt tribulationes hujus vitæ. Alii intelligunt ignem æternum. Alii ignem conflagrationis hujus mundi, qui judicium universale præcedet. Alii de pœnis purgatorii intelligunt.* Illos omnes refellit Bellarminus, ac statuit, *apostolum loqui de igne severi & justi judicii Dei.* Quinta *difficultas est, quid per ignem intelligatur, quando apostolus dicit:* Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. *Augustinus & Gregorius intelligunt tribulationes hujus vitæ.*

Chrysostomus & Theophylactus intelligunt ignem æternum. Alii ignem conflagrationis mundi. Alii judicium Dei, quod doctrinam veram adprobat, falsam confutat. Bellarminus illis omnibus rejectis accipit de igne purgatorii. At quis purgatorium ex obscuro ac difficili illo scripturæ loco, tot ac tam diversis imo adversis patrum expositionibus obnoxio, ἀποδεικτικῶς καὶ ἀναντιῤῥήτως demonstrari posse adfirmabit?

Explicatio singulorum membrorum in loco apostolico 1. Cor. XIII.

A) Quinam sint architecti?

§. CCLV. 3.) Locus hic non probat purgatorium, ut ex consideratione singulorum membrorum adparet. A) Per *architectos* intelliguntur non omnes christiani in genere, sed doctores ecclesiæ in specie. Probatur hoc 1.) ex *integro contextu.* Tractat apostolus de munere docendi in ecclesia, de ministerio apostolorum & aliorum ecclesiæ doctorum, quod non sint fidei nostræ magistri, sed ministri, v. 5. quod ab illis tanquam magistris non debeamus denominari, v. 5. quod omne incrementum in eorum ministerio pendeat a solo Deo, v. 6. unde porro ecclesiam sive auditores, qui ab apostolis & aliis ecclesiæ doctoribus informantur, confert tum agriculturæ tum ædificationi, v. 9. in qua utraque ministerialem operam doctores ecclesiæ Deo præstent tanquam fideles ipsius συνεργοι. Prætermissa autem uberiore prioris metaphoræ explicatione, diutius immoratur in posteriore, ac meminit ejus, qui fundamentum ponit, & eorum, qui superædificant v. 10. 2.) Ex *adpellationibus*, quibus ad ecclesiæ doctores nos remittit. Confert eos *parentibus* ac nutricibus, v. 1. & 2. hortulanis *plantantibus ac rigantibus*, v. 7. *agricolis*, v. 9. *architectis* ædificantibus, v. 10. vocat διακόνες, v. 5. θεῦ συνέργες, v. 9. 3.) Ex *officio & effectu*, quem de architectis illis prædicat; dicit, enim sese *ut sapientem architectum per Dei gratiam posuisse fundamentum, alios autem ἐποικοδομεῖν super illud fundamentum ædificare*, v. 10. Jam vero auditores ædificantur, doctores vero ædificant. Illi sunt ædificatio sive ipsa structura; hi vero sunt operarii ædificantes. 4.) Ex *speciali quorumdam architectorum denominatione*: v. 4. *Alius dicit, ego sum Pauli, alius ego Apollo.* v. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit.* v. 10. *Vt sapiens architectus fundamentum posui.* Loquitur igitur de se, non ut christiano in genere, sed ut apostolo in specie, ac proinde per architectos etiam non intelligit christianos in genere, sed doctores ecclesiæ in specie. 5.) Ex *collatione aliorum scripturæ locorum*: Psalm. CXVIII. 22. *Lapis, quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli.* Hoc Christus Matth. XXI. 42. Luc. XX. 17. adplicat ad sacerdotes & pharisæos, ecclesiæ Israëliticæ doctores ac spirituales agricolas, Christum angularem lapidem ex sua οἰκοδομῇ præposterе repudiantes. Eph. II. 20. *Superædificati estis super fundamentum apostolorum & prophetarum, angulari lapide existente Christo*, v. 21. *in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum Domino*, v. 22. *in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu;* ubi Ephesios non ædificantibus, sed ædificatis, adeoque ipsi ædificio confert. Act. IV. 11. dicit Petrus ad sacerdotes Judaicos: *Hic est lapis a vobis ædificantibus reprobatus.* Cumprimis huc referri potest locus apostolicus 1. Pet. II. 5. in quo ad hunc Paulinum digitus intendi videtur. Vt enim Paulus 1. Cor. III. 2. inquit: *Lac vobis in potum dedi, non escam*; ita Petrus ait 1. epist. II. 2. *Sicut modo geniti infantes lac rationale ἄδολον concupiscite.* Vt Paulus inquit 1. Cor. III. 9. θεῦ οἰκοδομή ἐστε, ita Petrus inquit 1. epist. II. 5. *& ipsi tanquam lapides vivi ædificamini, domus spiritualis.* 6.) Ex *patrum interpretatione.* De doctoribus locum Paulinum accipiunt Hieronymus lib. II. adv. Jovin. Ambrosius, Sedulius, Anshelmus in comm. quos sequuntur Thomas, Dionysius Carthusianus, Lyranus & alii. 7.) Ex *ipsorum pontificiorum confessione.* Cajetanus fatetur, de doctoribus duntaxat apostolum agere. Bellarminus hoc loco: *Per architectos quidam intelligunt omnes christianos, quidam solos ecclesiæ doctо-*

doctores. Vtraque expositio est bona; tamen magis literalis est posterior, id quod manifeste patet ex verbis præcedentibus & sequentibus ejusdem capitis. Ex hac hypothesi contra pontificios sic concludimus: Si per architectos in textu apostolico intelliguntur soli ecclesiæ doctores, non potest ex hoc loco purgatorium demonstrari. Sed verum prius. Ergo & posterius. Bellarminus negat connexionem *majoris*; existimat enim, *etiam ex hac interpretatione ad literam magis congrua purgatorii assertionem deduci posse*; sed contrarium sic ostendimus: Illi duntaxat in purgatorium ablegandi, quos per architectos, lignum, fœnum & stipulas superædificantes, apostolus intelligit. Sed per architectos illos ex hypothesi jam probata intelligit solos ecclesiæ doctores. Ergo solis ecclesiæ doctoribus paratum est purgatorium. Conclusio est absurda. Ergo aliqua ex præmissis. Non *major*, quam probat ipse contextus; architectorum enim duntaxat opus igne probari & examinari adserit. Addimus etiam istud: Si in hoc loco tanquam in propria sede fundatur purgatorium, non debuit apostolus prætermittere determinationem principalis quæstionis, quam Bellarminus in circumstantias purgatorii primo loco ponit: *Quibus scilicet personis post hanc vitam purgatio conveniat*? sed si apostolus per architectos solos ecclesiæ doctores intelligit, ac nihilominus purgatorium stabilit, utique determinationem hujus quæstionis prætermittit. Ergo tractatio hujus dogmatis in propria sede est manca, mutila & imperfecta; quod cum sit absurdum, ideo etiam absurdum censendum illud, ex quo id ipsum sequitur, videlicet apostolum in hoc loco tanquam in propria sede de purgatorio agere.

B) *Quodnam sit fundamentum?*

§. CCLVI. B) Per *fundamentum* intelligit ipsum Christum, quod probatur 1.) ex *apostolica explicatione*; sic enim se ipsum apostolus interpretatur v. 11. *fundamentum aliud nemo ponere potest præter id, quod positum est, qui est Christus Jesus*; hoc fundamentum a *se tanquam sapiente architecto* jactum esse dicit, quia præcedente cap. II. 2. dixerat, quod *non judicarit se quidquam scire inter Corinthios nisi Christum & eum crucifixum.* 2.) Ex *aliorum scripturæ locorum collatione.* Psalm. CXVIII. 22. *Lapis, quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli.* v. 23. *A Domino factum est illud.* Esa. XXVIII. 16. *Ecce ego pono in Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, bene fundatum.* Matth. XVI. 18. *Super hanc petram ædificabo ecclesiam.* Act. IV. 11. *Christus est lapis ille, qui in caput anguli factus.* Eph. II. 20. *Christus est ἀκρογωνιαῖος.* v. 21. *Ἐν ᾧ πᾶσα οἰκοδομὴ συναρμολογεμένη.* 1. Petr. II. 4. *Accessistis ad Christum lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, pretiosum.* Neminem vero turbet, quod apostolus dicit, *fundamentum* illud, quod ponit, jam ante *esse positum*; loquitur enim de Christo per prophetas & apostolos prædicato & adnunciato. Deus posuit illud fundamentum ratione *decreti*, quatenus æterno consilio decrevit, spiritualem hanc ædificationem super Christum tanquam fundamentalem & angularem lapidem exstruere. Paulus & reliqui apostoli ponunt hoc fundamentum ratione *executionis*, quatenus æternum illud Dei decretum per prædicationem evangelii manifestant & exsequuntur. Confer 1. Pet. I. 20. Deus ponit hoc fundamentum ut *causa principalis* ac summa, a quo omnis vis & efficacia hujus spiritualis ædificationis dependet, a quo eadem firmatur, conservatur, inchoatur ac perficitur. Paulus & reliqui apostoli ponunt hoc fundamentum tanquam *διάκονοι καὶ σύνεργοι τοῦ Θεοῦ*, ut ipse apostolus explicat, 1. Cor. III. 5. & 9. tanquam *causæ ministeriales* & instrumentales; ex quo etiam intelligitur, cur murus cœlestis Hierosolymæ dicatur habere *duodecim fundamenta & in illis nomina duodecim apostolorum agni*, Apoc. XXI. 14. cum tamen *unicum* duntaxat *fundamentum prophetarum & apostolorum* dicatur, super quod ecclesia est exstructa, Ephes. II. 20. Duodecim sunt fundamenta respectu *causæ instrumentalis*, per

quam Deus agit in spiritualis hujus ædificationis structura, duodecim scilicet apostoli, quorum opera in ecclesiæ nov. test. fundamento ponendo usus est. Vnicum est fundamentum ratione *objecti & effecti*, quia unus est Christus, quem apostoli in evangelio prædicant. Prophetæ & apostoli sunt fundamenta ecclesiæ ratione *doctrinæ* & prædicationis de Christo, sive quod idem est, doctrina prophetarum & apostolorum est fundamentum ecclesiæ, quatenus super solum & unum Christum tanquam super petram firmissimam ecclesiam superstruit, Matth. XVI. 18. Christus est fundamentum ecclesiæ per doctrinam prophetarum & apostolorum, per quam solam ipse ecclesiam super se ipsum fundat. Christus est fidei apostolicæ & ecclesiæ catholicæ fundamentum essentiale. Prophetæ & apostoli habent se ad Christum διακονικῶς, ὀργανικῶς ac ministerialiter, sicut architecti sese habent ad fundamentum. 3.) Ex *communi interpretum consensione*. Plerique enim interpretes veteres ac recentiores, mori evidentia verborum apostolicorum, v. 11. per fundamentum intelligunt Christum a prophetis & apostolis prædicatum. Ambrosius, vel quicunque alius auctor, in comm. h. l. *Ideo nemo potest ponere aliud fundamentum, quia, quamvis hæretici sint aliqui, non tamen docent nisi sub Christi nomine. Aliter enim commenta erroris commendare non possunt, nisi interposito Salvatoris nomine prædicent, ut res contrarias & absurdas nominis dignitas faciat acceptabiles.*

C) *Quinam sint superædificantes?*

§. CCLVII. C) Per τὰς ἐποικοδομοῦντας sive *superædificantes* intelligit alios doctores & ministros ecclesiæ, qui velut spirituales operarii super hoc fundamentum doctrinæ de Christo ædificant. Probatur hoc 1.) Ex *collatione cum architectis fundamentum ponentibus*. Quales sunt architecti ponentes fundamentum, tales etiam sunt ἐποικοδομοῦντες, alias non subsisteret metaphoræ continuatio. Sed architecti ponentes fundamentum sunt Paulus & reliqui apostoli in ipso prædicandi munere considerati. Ergo etiam ἐποικοδομοῦντες sunt ecclesiæ doctores in ipso docendi officio considerati. 2.) Ex *consideratione scopi*. Apostolo hic propositum est, de distinctione muneris apostolici ab officio reliquorum ecclesiæ doctorum agere. Apostolorum proprium esse dicit, *ponere fundamentum*, id est, ut exponitur Rom. XV. 20. *prædicare evangelium, ubi Christus non est nominatus*; reliquorum ecclesiæ doctorum est, *super hoc fundamentum* doctrinæ propheticæ & apostolicæ de Christo *ædificare*, hoc est, ut apostolus dicto loco loquitur, ἐπ' ἀλλότριον θεμέλιον οἰκοδομεῖν, *fundamento ab aliis structo superædificare*. Per ἀλλότριον enim intelligit, non a Christo & veritate apostolica alienum, sed ab alio positum, ut contextus ostendit. 3.) Ex *testificatione interpretum*. Ambrosius in comm. *Superædificia sunt, quæ post prædicationem apostolorum a supervenientibus traduntur aut bonis aut malis doctoribus. Vnusquisque videat, quomodo superædificet, hoc est, ut superædificia congruant fundamento, ne, si obliqua fuerint & frivola, ruinam faciant, manente incolumi fundamento, quia si male docuerint, Christi nomen permanet, quod est fundamentum; doctrina autem mala peribit, sicut dicit Dominus: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Hieronymus in comm. Esa. V. super verba: *Væ, qui conjungitis domos domibus. Juxta tropologiam quidam contra hæreticos hoc dictum arbitrantur. Isti domos domibus, id est, dogmata conjungunt dogmatibus, quibus dicitur per Micham I. Nolite ædificare in domo derisum, ne super fundamentum Christi, quod apostolus Paulus posuit, & in quo debuerant ædificare aurum, argentum, lapides pretiosos, e contrario ædificent ligna, fœnum, stipulam, quorum finis incendium est*; quam tamen interpretationem non *absolute* & simpliciter acceptamus, quatenus ad hæreticos partem posteriorem adcommodat, sed *secundum quid*, quatenus in genere per ἐποικοδομοῦντας doctores ecclesiæ intelligit. Bellarminus non inconcinne sic explicat: *Nomine fundamenti*

damenti intelligitur Christus a primis prædicatoribus adnunciatus, quales erant apostoli, qui fidem Christi & evangelium detulerunt ad eos populos, qui nihil unquam de Christo audiverant, per superædificantes prædicatores alii.

D) *Quid aurum, argentum & pretiosi lapides?*

Itemque E) *quid lignum, fœnum & stipula?*

§. CCLVIII. D) Per *aurum, argentum & pretiosos lapides* intelligitur sana, sincera & solida doctrina de reliquis christianæ fidei articulis ex propheticis & apostolicis scriptis unice petita. E) Per *lignum* vero, *fœnum ac stipulas* opiniones humanæ in christianæ religionis capitibus præter fundamentum doctrinæ de Christo, itemque otiosæ, curiosæ, supervacaneæ & inutiles quæstiones in ecclesiam illatæ, non quidem fundamentum evertentes, ab eodem tamen heterogeneæ & discedentes. Probatur hoc 1.) ex *metaphoræ continuatione.* Vt enim per fundamentum intelligitur Christus ab apostolis prædicatus, sive quod idem est, doctrina de persona & officio Christi, ita quoque per aurum, argentum, lapides pretiosos &c. oportet intelligi doctrinam de reliquis christianæ religionis partibus ab aliis prædicatoribus propositam, ut series textus & metaphoræ continuatio sibi constet. 2.) Ex *operis adpellatione.* Quod enim v. 12. dixerat apostolus, *aurum, argentum, fœnum, stipulas &c.* id v. 13. vocat ἔργον, *opus.* Jam vero opus superædificantis sive doctoris *quatenus talis* est ipsius doctrina. Ergo etiam per aurum, argentum, fœnum &c. intelligitur concionatorum doctrina. 3.) Ex *textus connexione.* Vtitur apostolus triplici similitudine, qua conditionem & qualitatem doctorum ecclesiæ describit. Prima petita est a *plantantibus & rigantibus*, v. 6. altera ab *ædificantibus super fundamentum*, v. 10. tertia a *violatoribus ac destructoribus templi*, v. 17. Qui sanam doctrinam de Christo docent, ac reliqua christianæ religionis capita sincere tractant, intra verbi cancellos unice sese continentes; opiniones autem humanas & quæstiones inutiles repudiantes, illi *plantant ac rigant, & Deus dat incrementum*, v. 7. illi etiam *super fundamentum ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos.* Qui doctrinam de persona & officio Christi retinent, interim opiniones humanas eidem adjungunt, illi *super fundamentum ædificant lignum, fœnum ac stipulas.* Qui doctrinam de Christo evertunt, hæreses pertinaciter propugnant, illi templum Dei diruunt ac destruunt. 4.) Ex *aliorum scripturæ locorum collatione.* Constat, in aliis etiam scripturæ locis doctrinæ christianæ puritatem & præstantiam ex verbo Dei sine opinionum humanarum admixtione unice petitam, nomine *auri, argenti ac lapidum pretiosorum* commendari. Psalm. XIX. 11. *Judicia Domini desiderabilia super aurum & super aurum obrizum.* Ps. CXIX. 72. *Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti.* v. 127. *Dilexi mandata tua super aurum & aurum purissimum.* Prov. VIII. 10. *Accipite disciplinam meam & non argentum, doctrinam magis, quam aurum eligite.* v. 11. *Melior est enim sapientia margaritis.* v. 19. *Melior est fructus meus auro purissimo & proventus mei argento electo.* Prov. XVI. 16. *Posside sapientiam, quia auro melior est, & adquire prudentiam, quia pretiosior est argento.* Matth XIII. 45. *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.* v. 46. *Inventa autem una pretiosa margarita abiit & vendidit omnia, quæ habuit, emit eam.* Contra vero opiniones humanas puritati doctrinæ cœlestis additas fœno & stupæ sive stipulis conferri. Sic per *paleas*, quas Israëlitæ jussu Pharaonis in Ægypto colligunt, Exod. V. 11. interpretes onera traditionum humanarum, quibus conscientiæ premuntur, intelligunt, Esa. l. 31. *Erit fiducia vestra ut stupa.* Esa. XL. 6. *Omnis caro fœnum.* v. 7. *Exsiccatum est fœnum &c.* 2. Tim. II. 20. mentio fit *vasorum ligneorum.* 5.) Ex *interpretum expositione.* Ambrosius in comm. "Tria gene„ra posuit præclara in mundo, aurum, argen„tum & lapides pretiosos, in quibus bonam „doctrinam significavit. Tria alia genera po-

„fuit, sed frivola, ligna, fœnum & stipulam, „in his corrupta & vana doctrina designata „dignoscitur.„ Et postea: "Mala adultera do„ctrina idcirco in ligno, fœno & stipula signi„ficata est, ut ostenderetur ignis esse esca.„ Bellarminus ipse per fœnum, lignum, stipulas intelligendam esse ait *doctrinam non quidem hæreticam, vel malam, sed tamen curiosam, inutilem, supervacaneam eorum prædicatorum, qui absque eo fructu & utilitate, quam Deus requirit, concionantur.* Vi ergo oppositionis per *aurum, argentum & lapides pretiosos* intelligere cogitur doctrinam salutarem verbo Dei per omnia congruam. Quæ omnia probant, per *aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum ac stipulas* doctrinam fundamento superstructam significari; interim δευτέρως ac consequenter hæc omnia adcommodari possunt ad opera, quæ ex doctrina proficiscuntur. Quæ enim opera fiunt juxta normam verbi ex vera in Christum fide, & ad gloriam Dei ac salutem proximi comparata sunt, ea placent Deo, & ab ipso ornantur præmiis temporalibus & æternis, unde *auro, argento & lapidibus pretiosis* vim ignis sustinentibus conferuntur. Quæ vero non habent Dei mandatum, sed suscipiuntur ex privato arbitrio bona intentione, juxta traditiones hominum & consuetudinem majorum, ea in examine ignis non subsistunt, unde *ligno, fœno & stipulis* super fundamentum fidei de Christo ædificatis comparantur. Ab hac explicatione non multum discrepat eorum interpretatio, qui *per aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas,* intelligunt homines, qui per prædicationem evangelii ad Christum vocantur, & membra ædificii catholicæ ecclesiæ visibilis fiunt v. 9. *Dei ædificium estis.* v. 16. *An nescitis, vos esse templum Dei.* v. 17. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Confer Matth. XVI. 18. Eph. II. 20. Col. II. 7. 1. Petr. II. 5. Hieronymus & Theodoretus in comm. Athanasius orat. III. contra Arian. p. 20. Bernhardus serm. de lign. fœn. & stipula p. 381. *Cujusque opus* dicunt itidem esse discipulos sive homines ipsos per evangelii prædicationem ecclesiæ Christi adjunctos. 1. Cor. IX. 1. *Nonne opus meum vos estis in Domino?* Confer 1. Cor. XVI. 10. Per *ignem* intelligi statuunt adflictionem, persecutionem, tentationem, in quo tum conflantur & formantur, tum etiam reformati probantur credentes. Per hunc ergo ignem adflictionis ac persecutionis retegitur, *quale sit cujusque opus*, id est, quales sint discipuli cujusque, quos Christo lucratus est. *Si cujus opus manserit, quod superædificaverit, mercedem accipiet*, id est, *se ipsum servabit & eos, qui ipsum audierunt*, 1. Tim. IV. 16. *Si vero cujus opus exustum fuerit, damnum faciet*, id est, in vanum laboraverit in illo instituendo, erudiendo, hortando, monendo; Gal. IV. 11. *Metuo de vobis, ne frustra fatigatus sim apud vos.* Ipse vero *servabitur*, id est, discipulorum vera fide apostasia non oberit doctori, quin ipse æternum servetur, ita tamen ut quasi *per ignem*, id est, si modo & ipse in persecutionibus, adflictionibus ac tentationibus perseveraverit usque ad finem, Matth. XXIV. 9. & seqq.

§. CCLIX. F) Per *diem cujusque opus manifestantem*, v. 13. Bellarminus diem ultimi judicii accipiendum esse statuit; F) *Quid dies cujusque opus manifestans?*

„1.) quia ubique dies Domini significat diem „ultimi judicii. 2.) Quia dicitur in illa die, „quo designatur una certa quædam dies, qua „omnium hominum opera simul probantur. „At dies judicii particularis non est una, sed „multiplex, neque in ea probantur omnium „hominum opera. 3.) Quia dicit apostolus, „dies Domini declarabit, q. d. tunc erunt „omnia omnibus manifesta, 1. Cor. IV. 5. id „autem non fiet nisi in judicio novissimo. 4.) „Quia sequitur: quia in igne revelatur. Di„citur enim dies judicii revelari in igne, quia „ultimum signum & omnium novissimum erit „conflagratio totius mundi.„ Sed præstat per diem hoc loco vel *generatim* intelligere progressum temporis, vel *speciatim* tempus tribulationis ac probationis, in quo omnia, quæ super fundamentum exstructa sunt, manifestantur.

stantur. 1.) Quia in Græco non est ἡ ἡμέρα τοῦ κυρίου, ut in versione Latina, *dies Domini*, sed simpliciter dicitur ἡ ἡμέρα. 2.) Dies ultimi judicii manifestabit quidem omnia, non autem eo fine, ut per ignem quidam purgentur, sed ut electi ad gloriam æternam producantur, damnati vero igni infernali adjudicentur. 3.) Αἰτιολογικῶς apostolus addit, ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται, *quia in igne revelatur* scilicet cujusque opus, (non autem dies Domini) ubi verbum præsentis temporis deducit nos ad particulare judicium hujus vitæ. Bellarminus frustra suspicatur, *in textibus correctioribus fuisse verbum temporis futuri* ἀποκαλύψεται, quia omnes codices constanter legunt ἀποκαλύπτεται. 4.) Non agitur hoc loco de manifestatione omnium omnino operum ab omnibus hominibus factorum, sed de manifestatione doctrinæ, quam per ἔργον hoc loco intelligi, ex antecedentibus patet, quæ in particulari cujusque judicio & examine probatur. 5.) In aliis scripturæ locis dies pro temporis progressu ac tribulationis die ponitur. 6.) Cajetanus, Pistorius & alii ex pontificiis non diem extremi judicii, sed diem judicii particularis intelligunt, quos hoc nomine Bellarminus refellit. Sed cum ad quæstionem de purgatorio (fatente Bellarmino) parum interfit, quocunque modo *diei* nomen explicetur, ideo nolumus in membri hujus explicatione prolixius immorari.

G) *Quid ignis?* §. CCLX. G) Per *ignem* in textu apostolico purgatorium intelligendum esse, summo conatu evincere nituntur pontificii; unde adpellationem ignis purgatorii & pœnas animarum in illo purgatorio post hanc vitam sustinendas in hoc textu apostolico describi arbitrantur. Cui opinioni sequentia fundamenta opponimus: 1.) Ipsimet pontificii non consentiunt in hac interpretatione. Cum enim vocabulum *ignis* in textu apostolico ter usurpetur, bis v. 13. & semel v. 15. quidam utrobique intelligunt *ignem corporeum ac materialem* post hanc vitam animas exurentem; quidam vero in versu duntaxat posteriore hanc significationem urgent, in priore vero *metaphorice* ignis nomen accipi concedunt. Adnotabo hac de re verba ipsius Bellarmini. "Quarta, inquit, difficultas est, quis sit ignis, qui in die Domini „uniuscujusque opus probabit. Aliqui intelligunt tribulationes hujus vitæ, ut Augustinus „& Gregorius; alii intelligunt ignem æternum; alii videntur intelligere ignem conflagrationis mundi, qui judicium universale „præcedet; alii intelligunt de pœnis purgatorii.„ Sed hasce explicationes omnes ac singulas Bellarminus repudiat, ac tandem concludit, *apostolum loqui de igne severi & justi judicii divini, qui non est ignis purgans vel adfligens, sed probans & examinans*, quod probat triplici ratione: "1.) Quia non aliter „potest intelligi, quomodo ignis probet eos, „qui aurum & argentum ædificarunt. 2.) Quia „hæc expositio optime convenit verbis apostoli, cum ait: *Vniuscujusque opus, quale sit, „ignis probabit. Si cujus opus manserit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur.* Licet enim opera transeant ab oculis hominum, & igne materiali „examinari non possint, tamen non transeunt ab oculis Dei, sed ut dicitur Eccles. „XII. 14. *cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in „judicium*, & ea examinabit, & si cujus opus „manserit, id est, si cujus opus judicium Dei „sustinere potuerit, sicut aurum sustinet ignem, „mercedem accipiet, probabitur & coronabitur a Deo. Si cujus opus arserit, id est, si „cujus opus judicium Dei non sustinuerit, sicut „fœnum & stipula non sustinent ignem, detrimentum patietur, reprobabitur & rejicietur. 3.) Quia judicium Dei rectissime vocatur ignis, cum sit purissimum, celerrimum, „efficacissimum & maxime penetrativum; unde Dan. VII. fluvius igneus egredietur de ore „ejus. Et quoniam Deus totus est justitia, „totus judicium, inde etiam in scripturis vocatur ignis. Mal. III. Hebr. XII.„ Hæc Bellarminus, quæ non probantur omnibus pontificiis. Suarez in Thomam tom. IV. disp. 45. §. 1. num. 25. "Propter hæc verba: *quia in igne*

„*igne revelabitur*, & *uniuscujusque opus ignis* „*probabit*, Sedulius, Cajetanus, Lyranus & „alii existimant, hunc locum esse metaphorice „accipiendum pro ipso judicio & sententia ju„dicis, quæ omnes tam justos quam injustos „omniaque eorum opera probabit, eaque ope„ra dici manere, quæ Deus adprobat, ea autem „comburi, quæ reprobabuntur, & tunc per„sona dicitur detrimentum pati, quia sua ope„ra amittit, & pœnam potius, quam præmium „propter illa se mereri intelligit.„ Benedictus Arias Montanus in comm. h. l. "Ignis ille „divini judicii probabit unius cujusque opus & „cujus probatissimum manserit, is operarius „mercedem accipiet a Domino operis. Si „cujus opus exustum fuerit, positi operis tem„poris, curæ, industriæ atque spei damnum „faciet operarius ille. Operarius autem ipse „igne illo (nota) divini judicii correptus ser„vabitur, ita nimirum, quasi per ignem.

§. CCLXI. 2.) Quo sensu accipit apostolus vocabulum *ignis* in v. 13. eodem etiam accipit illud in v. 15. ut ostendit individua connexionis series. Jam vero, fatente Bellarmino, vocabulum *ignis* in v. 13. accipitur non *proprie* pro igne materiali & corporeo, sed *metaphorice* pro igne judicii ac examinis divini. Ergo eodem modo accipitur in v. 15. & per consequens non potest ex hoc loco purgatorium probari. Nimirum persistit apostolus in proposita allegoria hoc sensu: Quemadmodum ignis materialis naturam eorum, quæ super fundamentum exstructa sunt, probat & examinat; neque enim aurum, argentum & lapides pretiosos absumit aut corrumpit, sed potius purgat; lignum vero, fœnum & stipulas in cineres ac favillas redigit: sic ignis ille spiritualis, ignis judicii ac Spiritus divini, qui tum demum accenditur, quando vel externa persecutio imminet, vel judicium Dei in conscientia sentitur, vel clarior manifestatio veritatis ex verbo succedit, spiritualis inquam ille ignis quævis dogmata super fundamentum doctrinæ de Christo exstructa probat, examinat ac manifestat; quæ si inventa fuerint sincera ac præstantia, ex ipsis scripturæ venis petita, adeoque *auri*, *argenti ac lapidum pretiosorum* instar se habentia, tum eadem immota persistunt, quin & magis magisque purgantur: sin vero sint opiniones humanæ, ex propria intentione, longa consuetudine, majorum traditione &c. extra & præter verbum excogitatæ, *ligni*, *fœni* ac *stipularum* naturam imitantes, tum non poterunt vim illius examinis sustinere, sed absumentur, & instar lignei ac straminei ædificii igne illo exurentur. Quod si ergo *alicujus opus manserit, quod superædificavit, is mercedem accipit* v. 14. hoc est, si quis præter fundamentum apostolicæ de Christi persona & officio doctrinæ dogmata vere christiana & solidam verbi cœlestis doctrinam de omnibus religionis ac vitæ christianæ partibus, absque admixtis humanis opinionibus ac traditionibus longa consuetudine roboratis, tradiderit, quæ doctrina æstum persecutionum & tentationum ac judicii divini examen sustinere potest, ille gratuitam operis sui mercedem a Domino accipiet. *Si vero alicujus opus arserit, detrimentum patietur* v. 15. hoc est, si opinionum & traditionum humanarum ædificium igne judicii ac Spiritus divini conflagrat, tum dogmatum & laborum suorum detrimentum patitur, quæque tanto tempore exstruxerat, uno momento omnia amittit, *ipse vero salvus erit*, retento scilicet fundamento, sic *tamen tanquam per ignem*, id est, exustis in illo probationis igne stramineis & stupeis opinionibus, ac si conflagret ligneus paries & stramineum tectum fundamento lapideo salvo atque integro permanente. Talis significatio vocabuli *ignis* etiam in aliis scripturæ locis occurrit: Psalm. XII. 7. *Eloquia Domini eloquia pura*; *argentum igne examinatum*, *purgatum septuplum*. Ps. XVII. 3. *Probasti cor meum, igne me examinasti, & nihil inveniſti*. Ps. LXVI. 10. *Probasti nos Deus*, *igne nos examinasti*, *sicut examinatur argentum*. Thren. I. 13. *De excelso misit ignem in ossa mea*, *& erudivit*. Dan. XII. 10. *Purificabuntur & dealbabuntur*, *& quasi ignis probabuntur multi*. Zach. XIII. 9. *Et inducam tertiam istam partem in ignem*, con-

conflansque eos, ut conflatur argentum, probabo eos, quantum probatur aurum. Mal. III. 3. *Sedebit Christus conflans & mundans argentum, & purgabit filios Levi, & fundet eos quasi aurum & argentum.* Luc. XII. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* 1. Petr. I. 7. *Vt probatio vestræ fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur.* IV. 12. *Dilecti, ne tanquam peregrini exploratione illa per ignem, quæ fit in vobis ad vestri experimentum, peregrinemini.* Eodem modo exponunt quidam ex patribus. Ambrosius in Psalm. CXVIII. "Veniat verbum Dei, intret in ecclesiam, fiat „ignis consumens, ut exurat fœnum & stipulam, & quidquid est seculare, consumat &c.„ Augustinus in ench. cap. 68. "Est quidem „ignis tentatio tribulationis, de quo aperte „alio loco scriptum est: *Vasa figuli probat „fornax, & justos homines tentatio tribulationis.* Iste ignis in hac vita interim facit, „quod apostolus dicit &c.„ Gregorius lib. IV. dial. cap. 39. "Potest intelligi ignis tribulationis in hac vita adhibitus.„

§. CCLXII. 3.) Si per *ignem* intelligeretur purgatorium, consequens foret, omnes homines etiam sanctissimos transire per purgatorium, & salvari per ignem purgatorii. Apostolus enim in genere pronunciat v. 13. *Vniuscujusque opus manifestum erit, quia dies declarabit, quia in igne revelatur, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* At consequens apud ipsos pontificios est absurdum. Bellarminus enim lib. II. de purgat. cap. 1. inter errores refert hanc opinionem, quod *omnes omnino homines tam boni, quam mali, uno Christo excepto, post hanc vitam purgari debeant*; ac lib. I. de purg. cap. 5. scribit, *omnes transire per ignem purgatorii & salvari per ignem, est aperte falsum. Ecclesia enim perpetuo sensit, sanctos martyres & infantes post baptismum morientes mox in cœlum recipi sine ullo tranſitu per ignem.* 4.) Ignis purgatorii ex hypothesi pontificiorum non probat omnia omnium opera, sed eorum duntaxat, qui *cum venialibus peccatis* hinc excesserunt, maculas ac labem abstergit. At ignis, de quo apostolus loquitur, omnium omnino ecclesiæ doctorum opus sive dogmata probat. 5.) Ignis purgatorii ex hypothesi pontificiorum urit operantes, animas scilicet eorum, qui cum culpis venialibus vel reatu pœnæ temporalis hinc decesserunt. Alexander Alens. part. IV. q. 65. memb. 4. art. 4. At ignis, de quo apostolus loquitur, non operantes, sed opera comburit. 6.) Denique ignis purgatorii ex hypothesi pontificiorum est *verus, corporeus & materialis ignis.* Sed ignis, de quo apostolus loquitur, non est ignis materialis ac corporeus, sed spiritualis & mysticus, dicit enim: ὡς διὰ πυρός, *tanquam per ignem.*

§. CCLXIII. Hisce argumentis ex ipsis textus apostolici visceribus petitis non potuit Bellarminus aliter occurrere, quam ut statueret, *apostolum in una eademque sententia varie accipere nomen* ignis, *semel pro judicio & semel pro vero igne purgatorio.* Sed cum συναφεια textus & connexio singulorum membrorum huic commento adversetur, ideo colorem aliquem huic opinioni inducere laborat. „1.) Ab ipso (inquit) textu cogimur ad æqui„vocationem non unam, sed duas admitten„das. Cum enim dicit apostolus, diem judi„cii manifestari per ignem, videtur omnino „loqui de igne conflagrationis; cum addit, „cujusque opus ignis probabit, non potest lo„qui de igne materiali, qui non potest pro„bare opera, quæ transierunt: rursum cum „secundo isto igne dicat apostolus omnia ope„ra examinanda: tertio vero non opera, sed „operarios, & eos non omnes, sed illos so„lum, qui ædificant lignum, fœnum, stipu„lam, necessario diversi ignes esse debent.„ Resp. 1.) ἐ διαλεκτέον ταῖς μεταφοραῖς, *ne erroris genitrix est æquivocatio semper*; absit igitur, ut apostolum æquivocationibus lusisse suspicemur. 2.) Omnia membra, in toto hoc argumento apostolico exactissime cohærent, & unum ex altero deducitur; ergo non habet locum diversa illa vocabuli *ignis* significatio.

3.) Si tot ac tam diversæ sunt vocabuli *ignis* significationes, nulla erit in textu συνάφεια, nulla συνέχεια, quod absit. 4.) Agnoscit ipse Bellarminus, perquam durum esse, si quis apostolo tribuere velit, quod duplici æquivocatione utatur; unde stylum inflectens, quod prius dixerat, corrigit. *Nec tamen* (inquit) *proprie æquivocatio, sed elegans adlusio mihi videtur esse in verbis Pauli.* 5.) Nulla nos cogit necessitas, ut unam vel duas æquivocationes hic statuamus. Non enim dicit apostolus, ut Bellarminus somniat, *diem judicii manifestari per ignem*, sed uniuscujusque opus *in igne* vel *per ignem* manifestari, sicut ipsemet in verbis immediate sequentibus clarissime id exponit. Neque pugnant inter se hæc duo, quod *uniuscujusque opus quale sit, ignis probet*, & quod *quasi per ignem salvandus sit is, cujus opus arserit*; quia duplex est hujus ignis, de quo apostolus loquitur, officium: videlicet probationis ac purgationis per exustionem; illud est commune omnibus, qui super fundamentum ædificant sive aurum, argentum & lapides pretiosos, sive lignum, fœnum & stipulas; hoc vero illis proprium est, qui super fundamentum exstruunt ligna, fœnum & stipulas.

§. CCLXIV. "2.) Non est apostolo insue-„tum, in eadem sententia uti varie aliquo nomi-„ne; varie enim accipit vocem *peccati*, cum ait „2. Cor. V. eum, qui non noverat peccatum, „pro nobis fecit peccatum, & Rom. VIII. de pec-„cato damnavit peccatum.„ *Resp.* 1.) Tum demum una eademque vox in una eademque sententia diversimode accipi debet, quando ipsa necessitas ac rei evidentia a litera discedere nos cogit. Atqui talis necessitas hoc loco nondum demonstrata. 2.) Quando unum membrum ex altero dependet, & alterum ex altero per illationem deducitur, non potest diversa significatio locum habere, alias in argumento essent quatuor termini. Jam vero in hoc loco apostolico unum membrum ex altero dependet, & alterum ex altero per illationem deducitur, ut ostendit connexio. Idem vero in exemplis adductis non conspicitur; est ergo dissimilitudo. 3.) In dicto apostolico 2. Cor. V. 21. quando Christus dicitur *pro nobis factus peccatum*; non tantum intelligitur impositio pœnæ, (ut Bellarminus præsupponit) sed etiam imputatio culpæ. Quo modo enim nos in Christo reddimur justitia, eo modo Christus factus est pro nobis peccatum, & vice versa. Sed nos reddimur in Christo *justitia*, id est, perfecte justi per imputationem justitiæ Christi. Ergo Christus factus est pro nobis *peccatum*, per imputationem nostræ injustitiæ. Conf. Esa. LIII. 6. & ex ipsis pontificiis Ruardum, Tapperum, decanum Lovan. art. 8. tom. II. p. 27. Barradium tom. IV. conc. evang. lib. VI. c. 3. in sept. passion. præcell. 4.) Rom. VIII. 3. quidam vocem ἁμαρτίας in priore dicti apostolici membro pro *sacrificio* peccati expiatorio positam arbitrantur, in qua significatione a Mose in Levit. & alibi in scripturis usurpatur, Exod. XXIX. 14. XX. 10. Psalm. XL. 7. Esa. LIII. 10. qua ratione diversa significatio in voce ἁμαρτίας in membro posteriore agnoscenda. Quidam vero subintelligunt vocem θυτία per hostiam piacularem pro peccato oblatam *peccatum in carne damnavit*, quando Filius Dei carnem suam pro peccatis nostris in ara crucis obtulit, qualis ellipsis Hebr. X. 6. occurrit. Quidam verba apostoli sic explicant: *Deus peccatum condemnavit de peccato*, id est, peccati illud condemnavit, propterea quod in Christum peccavit, adferens illi mortem, cum tamen esset innocens, ac proinde Deus peccato ademit jus suum adversus credentes, ut non possit eos in posterum damnare. Joh. XVI. 9. *Spiritus sanctus arguet mundum de peccato*, id est, peccati totum genus humanum arguet, qua ratione vox ἁμαρτίας utrobique in eadem significatione usurpatur.

§. CCLXV. "3.) Si quis omnino non vel-„let significationum varietatem admittere, sed „ubique acciperet ignem pro judicio, adhuc „non efficeret, quin ex hoc loco purgatorium „statueremus. Tunc enim esset hic sensus: „Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, „ipse

„ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per „ignem; id est, si cujus opus judicium Dei „sustinere non poterit, opus quidem repro„babitur, ipse vero salvus erit, sed sic tamen, „quasi is, qui per ignem divini judicii transiit, „quod judicium cum sit justissimum, omnino „aliqua pœna eum adfecit.„ *Resp.* 1.) Nullius hominis opus judicium Dei sustinere poterit, si juxta rigorem justitiæ cum ipso agere velit, sed omnes coguntur severitatem judicii divini deprecari dicentes cum Davide Psalm. CXLIII. 2. *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* 2.) Ignis divini judicii aliquam ζημίαν irrogat illis, qui super fundamentum exstruunt *lignum, fœnum & stipulas*; sed ex eo non potest inferri, post hanc vitam in purgatorio pœnas esse sustinendas. 3.) Apostolus ipse exponit, cui & quali igni talis architectus sit subjiciendus, videlicet igni illi probationis, tentationis & examinis in hac vita, de quo dixerat v. 13. *Vniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit.*

§. CCLXVI. "4.) Particula ὡς similitudi„nem significat non ignis, quasi ignis ille non „sit verus, sed phantasticus; sed transeuntis „per ignem, ita ut sit sensus: Ad salutem per„veniet, qui ædificavit fœnum, sed ad eum „modum perveniet, quo pervenit ad aliquem „locum is, qui transit per ignem, sicut dici„tur Joh. I. Vidimus gloriam ejus, gloriam „quasi unigeniti a Patre, id est, vidimus eum „gloriosum ad eum modum, quo decet glo„riosum esse Filium Patris unigenitum.„ *Resp.* 1.) Fatemur particulam ὡς perinde ut Hebræum כ esse particulam non solum *similitudinis*, verum etiam *veritatis*; sed quod hoc loco sit particula similitudinis, patet ex textu, qui totus est metaphoricus & allegoricus. 2.) Perquam absurdum foret, voces *architecti, fundamenti, auri, argenti, lapidum pretiosorum, ligni, fœni, stipularum*, adeoque reliqua membra omnia in sensu metaphorico accipere, ac solam *ignis* vocem proprie, pro materiali scilicet & corporeo igne usurpatam statuere. 3.) Concedimus, *eum, qui ædificavit super fundamentum lignum, fœnum & stipulas, ad salutem eo modo pervenire, quo pervenit ad aliquem locum is, qui per ignem transit.* Sed ex eo non potest inferri, architecto illi per verum & corporeum ignem esse transeundum; quin potius ut reliqua membra in ἀποδόσει sunt metaphorica, ita quoque materiali igni respondere debet ignis aliquis spiritualis ac metaphoricus, examen scilicet divini judicii. Quæ contra hanc interpretationem nostram Bellarminus adfert, ex dictis facilem habent explicationem.

§. CCLXVII. Ad *patrum expositiones* frustra provocat Bellarminus, quasi communi suffragio purgatorium papisticum nomine *ignis* in textu apostolico significari statuerent. 1.) Fatetur enim ipsemet, diversas sibique adversas esse patrum expositiones. *Aliqui* (inquit) *per ignem intelligunt tribulationes hujus vitæ, ut Augustinus & Gregorius. Alii intelligunt ignem æternum, ut Chrysostomus & Theophylactus. Alii ignem conflagrationis mundi.* 2.) In illis ipsis patrum explicationibus, quas pro se adducit Bellarminus, jure aliquid desiderari potest. Cyprianus lib. IV. ep. II. non meminit hujus loci, ac quod de *purgatione per ignem* dicit, ad vitæ præsentis tribulationes referri potest. Origenes hom. VI. in Exod. de tali igne apostolicum textum interpretatur, per quem *omnibus hominibus* transeundum, quam sententiam Bellarminus inter errores recenset. Suarez. in Thomam tom. IV. disp. 45. §. 1. num. 7. *Animadvertendum est, licet hæc loca Origenis* (hom. VI. in Exod. & hom. XII. in Jer.) *expositionem hanc confirment, non tamen veritatem purgatorii, quia ille omnem ignem futuræ vitæ purgatorium facit.* Ambrosius in comm. per *ligna, fœnum, stipulas*, intelligit doctrinas, quas doctores superstruunt Christo fundamento seu ipsi evangelio, quas examinandas esse dicit *igne divini judicii*, ac subjicit: *Semper erubescat necesse est, qui se videt falsum defendisse pro vero.* At in purgatorio nec pœnitentiæ nec erubescentiæ locus

est, sed pœnæ ignis. Serm. XX. in Psalm. CXVIII. loquitur de igne, per quem omnes transituri sint. *Omnes*, inquit, *oportet transire per flammas, sive ille Johannes evangelista sit, sive ille Petrus sit &c.* Hieronymus accipit de igne examinis divini judicii, quod fiet *in fine mundi*, per quod examinabitur cujusque opus, quale sit, non autem purgabitur vel delebitur, si iniquum fuerit inventum. In Amos IV. accipit de impiorum ac sceleratorum liberatione in hac vita, quando post magnas clades erepti tanquam torris ex incendio ad Dominum per pœnitentiam revertuntur. In comm. Esa. LXVI. dicit, eos, qui ædificaverunt super fundamentum Domini fœnum, ligna, stipulam, fore *ignis pabulum sempiterni*. Augustinus lib. XXI. de civ. Dei cap. 26. de igne tribulationis in hoc seculo accipit. In cap. 86. de tali igne intelligit, per quem transeant universi, tam qui ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos, quam qui fœnum, stipulas, ligna. In comm. Psalm. XXXVII. quem locum pro se adducit Bellarminus, exponit de igne emendatorio. Gregorius lib. IV. dial. c. 39. diserte addit, posse intelligi de *igne tribulationis* in hac vita nobis adhibita. Oecumenius quandoque *ignem ultimi judicii*, quandoque *ignem inferni* intelligit. De Basilio dicit, quod per ignem intellexerit *purificationem*. Theodoretus interpretatur de *igne judicii finalis*. Gregorius de Valentia lib. de purg. cap. 3. p. 898. analysi adjuncto: *Oecumenius & Theodoretus hunc locum exposuerunt de purgante igne conflagrationis divini judicii.* Quæ omnia ostendunt, Bellarminianam expositionem communi patrum suffragio nequaquam gaudere.

III) *Ex 1. Cor. XV. 29. Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?*

§. CCLXVIII. III.) 1. Cor. XV. 29. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? & quid baptizantur pro illis? Loquitur apostolus de baptismo lacrimarum & pœnitentiæ, qui suscipitur orando, jejunando, eleemosynas faciendo, ut sit sensus: Quid facient, qui orant, jejunant, gemunt, adfligunt se pro mortuis, si mortui non resurgunt? Ita exponunt Ephrem in suo testamento, Petrus Cluniacensis in lib. contra Petrobusianos, Dionysius, Hugo, Gagneius & alii in hunc locum. Hæc expositio verissima est. 1.) Quia baptizari passim in scriptura & patribus accipitur pro adfligi. Marc. X. 38.* Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari? *Luc. XII. 50.* Baptismo habeo baptizari. *Patres passim vocant pœnitentiæ adflictionem baptismum laboriosum & secundam tabulam. 2.) Ipsa pœna purgatorii a scriptura & patribus vocatur baptisma. Matth. III. 11.* Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne; *id Hieronymus exponit in Spiritu sancto, in hac vita: igne vero, in futura. Eodem modo exponunt Basilius l. de S. S. c. 15. & Beda in Luc. III. Gregorius Nazianzenus in orat. de Epiph. vocat ignem purgatorii in alia vita ultimum baptisma. Itaque elegantissime apostolus dixit, eos baptizari pro mortuis, qui adfligentes se oratione & jejunio, sumunt in se partem illius baptismi ignei, quo animæ baptizantur in purgatorio. 3.) Quia hæc expositio maxime quadrat cum sequentibus.* Vt quid & nos periclitamur tota die? *q. d. Cur quidam se adfligunt orando pro mortuis, & ego adfligo me prædicando evangelium, si mortuorum resurrectio non est? 4.) Quia ista sententia eadem est cum illa 2. Maccab. XII. Si mortui non resurgunt, superfluum est & vanum orare pro mortuis.* Eumdem locum urgent Stapletonus in antid. Salmeronius in comm. Turrianus & alii. *Resp.* 1.) Fatetur ipse Bellarminus locum hunc apostolicum *diversimode* a veteribus exponi, proinde non poterit immotum ac solidum fundamentum purgatorio suppeditare. "Sex (in-„quit) invenio hujus loci expositiones. Pri-„ma est, quod apostolus probet futuram re-„surrectionem ex errore quorumdam, qui „baptismum suscipiebant nomine alicujus ami-„ci sui defuncti sine baptismo. Existimabant „enim, quod baptismus defunctis prodesset. „Ita exponunt Tertullianus lib. V. in Marcion. „& libr. de resurrect. Ambrosius, Anshelmus

„&

„& Haymo. *Altera* expositio est, quod apo„stolus nomine mortuorum intelligat peccata, „cum dicit: *Qui baptizantur pro mortuis*; „quasi dicat: Quid facient, qui baptizantur „pro mortuis, id est, pro peccatis diluendis. „Ita Sedulius & Thomas in h. l. Chrysosto„mus homil. XXIII. in epist. Cor. *Tertia* ex„positio est, baptizari pro mortuis esse bapti„zari simpliciter baptismo Christi, sed ideo „dici baptizari pro mortuis, qui baptismum „suscipiunt, quia antequam baptizentur, reci„tant symbolum, in quo est unus articulus: „Credo resurrectionem. Ita illud, *pro mor„tuis*, significet pro spe resurrectionis vel pro „corporibus mortuis, id est, in eum finem, „ut corpora nostra, quæ moritura sunt, ali„quando immortalia resurgant. Ita Chry„sostomus, Oecumenius & Theophylactus. „*Quarta* expositio est, baptizari pro mortuis „esse baptizari baptismo Christi, dici autem „baptismum pro mortuis, quia dum baptiza„mur, agimus & repræsentamus personam „mortui, dum mergimur in aquam; & resur„gentis, dum surgimus ab aquis, & sic profi„temur resurrectionem, & ex hac professio„ne probat apostolus futuram resurrectionem. „Ita exponunt Theodoretus & Cajetanus. „*Quinta* expositio est Epiphanii hæres. XXVIII. „quod Paulus loquatur de baptismo eorum, „qui baptizabantur in lecto, cum essent in ex„tremis, qui olim dicebantur clinici, ut sit „sensus: Quid facient, qui baptizantur pro „mortuis? id est, qui baptizantur, quando „habentur magis pro mortuis, quam viventi„bus, & quando certum est, eos non baptizari „pro ullo commodo hujus vitæ, cum pro mor„tuis habeantur.„ *Sexta expositio est illa*, quam Bellarminus amplectitur. De eadem difficultate & obscuritate hujus loci conqueritur Salmeronius tom. XIV. comm. disp. 24. in princ. "Locus hic (inquit) sane perdiffici„lis quibusdam videtur, & variæ ac diversæ „patrum intelligentiæ satis indicant, non adeo „perspicuum esse, ad quem morem & ad quem „ritum adludat apostolus, etsi scopus obscu„rus non sit.„ Conf. Suarez part. III. q. 56. disp. 50. sect. 1. Cornelium a Lapide in comm. 1. Cor. XV. ubi diversas illas patrum interpretationes recensent. 2.) Potuisset etiam alias expositiones Bellarminus addere. Constat enim ex concilio Carthag. III. c. 6. in primitiva ecclesia consuetudinem *baptizandi mortuos* a quibusdam receptam fuisse, quam perversam consuetudinem ex hoc loco apostolico fulcire conati fuere. Chrysostomus hom. I. in act. apost. refert, *a quibusdam suo etiamnum tempore mortuis infusam baptismi aquam*, quod ibidem graviter reprehendit, quia νεκροβαπτισμὸς ille procul dubio a Cerinthianis originem duxit, qui teste Epiphanio hær. XXVIII. mortuos non minus ac vivos baptizabant. Isidorus Pelusiota lib. I. ep. 221. "Pro corpori„bus natura mortuis & exsinctis baptizamur, „ea in immortalitatem ac statum a corruptio„ne alienum mutari credentes. Atque horum „verborum hæc est sententia: Omnino, inquit, „si corpora nostra ad vitam minime redeunt, „quid adferri potest, quamobrem cum bapti„zamur, ea in statum corruptionis atque in„teritus expertem mutari credimus?„ Claudius Guillaudus: *baptizantur*, inquit, *pro mortuis martyres, qui patiuntur & adfiguntur pro fide & articulo resurrectionis mortuorum.* Quidam apostoli verba accipiunt de iis, qui mortem potius oppetere, quam baptismo carere voluerunt hoc sensu: Si non est resurrectio, quid faciunt illi, qui baptizantur super mortuos, id est, qui baptizantur morti jam dum a persecutoribus destinati? Quidam referunt verba apostoli ad consuetudinem Judæis usitatam, abluendi cadavera defunctorum, quæ etiam ad primitivæ ecclesiæ christianos promanavit, ut constat ex Act. IX. 37. Eusebius lib. VII. hist. eccles. cap. 21. ut hac ablutione testatum redderent, se credere corporum resurrectionem. Quidam putant, apostolum ad baptismata vet. test. respectum habuisse, quod pro peccatis eorum, qui cum pietate mortui fuerant, sed fine adspersione vel baptismate discesserant, alii postea, de illis soliciti, fuerint baptizati, & sacerdotes adhiberi curaverint ad satisfaciendum pro illis. Huic inter-

pretationi Salmeronius recte opponit, quod Judæi nullibi legantur pro aliis mortuis aut viventibus baptizati, quod nullum in scripturis exstet vestigium, quod unus pro altero ceremonias illas legales observare potuerit, quod apostolus ne verbulo quidem indicet, se ad legem adludere. Tilenus part. II. disp. 65. th. 28. talem hujus loci interpretationem profert: *Quid faciunt illi, qui baptizantur*, hoc est, in pericula & mortem ipsam se conjiciunt, Matth. XX. 22. ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *super, præter & ultra* illos, qui jam ante propter confessionem Christi vel saltim in ea mortui sunt, quid causæ est, quod tot labores, dolores, pericula, mortem denique ipsam perpetiantur, si omnino mortui non resurgunt? Cur super & præter illos mortuos eandem sine spe resurrectionis aleam subire, atque ita baptizari & in adflictiones demergi velint? Huic expositioni robur quæritur ex eo, quod v. 30. τὸ baptizari videatur explicari per κινδυνεύειν, v. 31. per ἀποθνήσκειν, quod per particulam copulativam καὶ apostolus insinuet, idem argumentum v. 29. & 30. tractari, quia de se in prima persona loquitur v. 30. cum prius tertia fuisset usus, v. 29. quodque totum hoc argumentum concludat v. 32. *si mortui non resurgunt*, ac nihil utilitatis ad nos redit, stulti sumus, quod non mundo cum mundo utamur. Sed talis significatio particulæ ὑπὲρ, pro *ultra* & *præter* videri posset paulo coactior; ac distinguit apostolus factum eorum, qui super mortuos baptizabantur, a tropico illo baptismo crucis & calamitatum, de quo v. 30. agere incipit, ubi novum & a priore distinctum pro resurrectione argumentum profert. Quod si enim de baptismo crucis & mortis v. 29. egisset, non in tertia persona dixisset: *Quid faciunt, qui baptizantur*; sed in prima persona se ipsum iisdem adnumerasset, cum & ipse periculis mortis propter Christi confessionem quotidie fuerit expositus. Liberum tamen cuique relinquimus, si hanc interpretationem, quæ nihil quidquam fidei analogiæ repugnans continet, amplecti velit. 3.) Nos amplectimur b. Lutheri explicationem, quod apostolus loquitur de ritu baptizandi christianos ad sepulcra mortuorum, qui fuit symbolum fidei & confessionis de resurrectione mortuorum ac de collectione & consociatione baptizatorum vivorum spirituali cum membris unius ejusdemque corporis mystici, quin & publica professio de morte pro Christi gloria & articulo resurrectionis obeunda. Νεκρὸς proprie significat cadaver hominis, & propositio ὑπὲρ cum genitivo pro *super* vel *supra* ad notandum locum apud Græcos sæpius usurpatur, ut significet idem, quod ὑπεράνω. Huic interpretationi opponitur, quod *nec in sacris nec ecclesiasticis historiis hujus ritus fiat mentio, quin potius ex historia evangelica & actis apostolicis colligi, quod in ædibus privatis vel in flumine baptismus fuerit administratus. Resp.* nequaquam dicimus, ritum hunc fuisse universalem in quavis baptismi administratione receptum, sed duntaxat particularem, a quibusdam piis ob certam spem resurrectionis demonstrandam usurpatum. Refert enim Eusebius lib. IV. hist. eccl. cap. 15. ex epistola ecclesiæ Smyrnensis, quod *ibi condiderint martyris Polycarpi ossa, ubi christiani ad cultus divini exercitium convenire soliti fuerint*; jam vero constat ex antiquitate, baptismum administrari fuisse solitum in publicis ecclesiæ conventibus, sicut verbi prædicatio & eucharistiæ celebratio in publico conventu fuit instituta. 1. Cor. XI. 20. XIV. 26. Quidam etiam huc adcommodant locum Augustini lib. XX. de civ. Dei cap. 9. *Animæ piorum mortuorum non separantur ab ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communione corporis Christi, nec aliquid prodesset ad ejus in periculis baptismum currere, ne fine ullo finiatur hæc vita, nec ad reconciliationem, si forte per pœnitentiam malamve conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti ejus membra sunt?* 4.) Bellarmini expositioni, qua per baptismum pro mortuis intelligit baptismum lacrimarum & pœnitentiæ, qui suscipitur orando, jejunando & eleemosynas faciendo pro defun-

defunctis ex purgatorio liberandis, opponimus hæc fundamenta: *a*) Destituitur hæc interpretatio scripturæ suffragio, quippe in qua nullibi orationes pro defunctis commendantur, sed omnes mortui in duas classes distribuuntur, in beatos scilicet & damnatos; pro neutris orationes ad Deum fundendæ, quia beati illis non indigent, damnatis eædem nihil prosunt. Adde, quod nullibi in scripturis τὸ *baptizari* significet lacrimari, pœnitentiam agere, orare, jejunare, eleemosynas facere. Producit quidem Bellarminus dicta Marc. X. 38. Luc. XII. 50. sed ibi baptizari non significat, se ipsum passionibus proprio arbitrio susceptis adfligere per jejunia, per opera laboriosa pœnitentiæ, sed adflictiones ab aliis illatas patienter suscipere. Vt enim nemo debet se ipsum baptizare, sed ab alio baptismi sacramentum suscipere: ita quoque nemo debet sibi ipsi crucem sponte & absque divina vocatione accersere. Quæ de baptismo igneo in purgatorio sustinendo ex Matth. III. 11. Bellarminus profert, suum inferius habebunt locum. *b*) Destituitur patrum calculo. Omnes veteres interpretes in eo consentiunt, quod de baptismo proprie dicto, id est, de baptismi sacramento apostolus loquatur. Bellarminus pro sua interpretatione producit Ephremum, sed Salmeronius d. l. p. 211. expresse dicit, *Ephremum nihil de baptismate unius pro altero loqui;* unde etiam Salmeronius ex antiquitate huic expositioni robur quærens non adsurgit altius, quam ad Bernhardum & Petrum Cluniacensem, quos primos hujus interpretationis laudat auctores. Atqui constat, illorum tempore multas superstitiones in ecclesiam jamdum fuisse receptas. *c*) Ne ipsi quidem pontificii eidem constanter insistunt. Cornelius a Lapide in comm. hoc loco *omnium simplicissimam & planissimam interpretationem* esse dicit eam, quam Chrysostomus profert: *Vt quid proprie baptismum suscipiunt omnes fideles pro spe resurrectionis ex mortuis vel pro statu mortuorum, ut in eo illis post mortem sit bene, si mortui non resurgunt? utique frustra hoc faciunt.* *d*) Bellarminus primæ interpretationi opponit hoc argumentum, quod *nullus veterum historicorum tradat, tempore apostolorum usitatum fuisse, quod aliquis nomine amici sui sine baptismo defuncti baptismum susceperit.* Eodem modo concludimus contra Bellarmini interpretationem, quod nullus historicorum tradat, tempore apostolorum usitatum fuisse, ut baptismum lacrimarum & pœnitentiæ pro defunctis ex purgatorio liberandis susciperent. Contrarium potius colligitur ex 1. Thess. IV. 13. quod a gentili consuetudine adfligendi se pro mortuis apostoli christianos revocaverint. Producit Bellarminus historiam de sacrificio pro defunctis ex 2. Macc. XII. sed de hoc loco apocrypho diximus superius. *e*) Baptismus metaphoricus Marc. X. 38. Luc. XII. 50. complectitur etiam ipsam mortem, ac num etiam pro defunctis e purgatorio liberandis licebit sibi ipsi mortem consciscere? *f*) Si apostolo propositum fuisset, de adflictionibus pro defunctis sponte susceptis agere, non dixisset in persona tertia: *quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis?* sed in prima persona: quid faciemus, qui baptizamur pro mortuis? quia omnes christiani ex hypothesi pontificiorum orare debent pro mortuis. Regerit Bellarminus, *apostolum argumentari voluisse non a consuetudine christianorum, quæ tanquam nova rejici potuisset ab incredulis, sed a consuetudine Judæorum, qui more veteri & secundum scripturarum exempla orabant & jejunabant pro mortuis. Resp.* apud Judæos usitatum fuisse, orare & jejunare pro defunctis ex purgatorio liberandis, Bellarminus gratis adserit; ac si posterioribus temporibus usitatum esse cœpit, normæ legis divinæ id ipsum fuisse congruum, demonstrari nequit. Jejunarunt quidem, sed luctus testificandi causa, non autem animo, defunctos ex purgatorio liberandi. Salmeronius regerit, *Græcos quosdam codices in prima persona legere, ut quid baptizamur pro mortuis?* Sed Complutensis, Regius & probati codices alii constanter legunt βαπτίζονται, nec inter varias lectiones ad calcem operis Regii additas habetur, quod quidam codices legant βαπτιζόμεθα

ἐόμεθα. Præterea contextus requirit, ut in tertia persona legatur βαπτίζονται, quia in seqq. demum de suis periculis apostolus differre incipit, quando novum pro adstruenda resurrectione argumentum profert. *g*) Ex eo, quod quidam orant ac jejunant pro mortuis, non posset apostolus probare resurrectionem, quia oratur ac jejunatur, non ut corpora resurgant, sed ut animæ ex purgatorii pœnis liberentur. Regerit Bellarminus, *quæstiones de resurrectione & animæ immortalitate tempore apostolorum ita fuisse conjunctas, ut pro una haberentur.* Sed non est verisimile, distinctas illas quæstiones pro una *simpliciter* fuisse habitas, cum aliis argumentis animæ immortalitas, aliis vero corporum resurrectio demonstretur. *h*) Ex eo, quod quidam pro mortuis se adfligant, non posset apostolus resurrectionem probare. Qui enim non crediderunt resurrectionem, illi vel maxime pro mortuis se adflixerunt, eosdemque gravissime luxerunt; unde apostolus 1. Thess. IV. 13. christianos admonet, *ne contristentur ac lugeant sicut reliqui spem* (resurrectionis) *non habentes.* Quæ omnia Bellarminianam hujus dicti depravationem falsitatis convincunt. Salmeronius lutum luto purgans & errorem errore cumulans ad aquam lustralem confugit. *Adde*, inquit, *quod aqua benedicta sive lustrali, quæ baptismi symbolum est, & qua in ingressu templi fideles omnes frontem tingere consueverunt, solent etiam defuncti adspergi, & monumenta mortuorum perlui & lustrari, ut ita aliqua ratione eos baptizare videamur, aut potius nos pro eis, dum adspergimur.* Sed de aqua lustrali hoc loco agere apostolo ne in mentem quidem venit, ac consuetudo, illa defunctos aqua lustrali adspergendi, non ex scriptura sacra, sed ex gentilium consuetudine & necrobaptismo Marcionitarum originem duxit.

solvas novissimum quadrantem.

IV) *Ex Matth. V. 25. & Luc. XII. 58. Non exibis inde, donec*

§. CCLXIX. IV) Matth. V. 25. & Luc. XII. 58. *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum eo in via, ne forte tradat te adversarius judici & judex tortori, & mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem; ubi per viam intelligit hanc vitam, per judicem Christum, per adversarium Dei legem contraria carni præcipientem sive conscientiam, quæ Dei legem semper objicit peccanti, per ministros angelos sive bonos sive malos, per carcerem infernum, per novissimum quadrantem minutissima peccata, pro quibus in purgatorio solvendum, priusquam ex eo quis liberetur. Resp.* 1.) Etiam hic locus a patribus *diversimode* exponitur. Chrysostomus homil. XVI. in Matth. V. statuit, *Dominum voluisse terrere dissidentes comminatione humani periculi, ut sic per judicem intelligatur homo, per tortorem itidem homo, per carcerem materialis carcer hujus vitæ, per quadrantem verus nummus æreus. Mihi* (inquit) *de his, qui in præsenti sunt, videtur dixisse judicibus, ac de illa via, quæ ad carcerem ducit, superque isto usitato carcere disputasse.* Chrysostomum sequuntur Theophylactus & Euthymius. Hieronymus in comm. Matth. V. *Ex præcedentibus & consequentibus manifestus est sensus, quod nos Dominus atque Salvator noster, dum in istius seculi via currimus, ad pacem & concordiam cohortetur juxta apostolum dicentem: Si fieri potest, quantum ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Atque hanc vocat *manifestam & consequentem intelligentiam.* Reliqui allegorias sectantur, sed in adplicatione non conveniunt. Per *adversarium* Origenes homil. XXXV. in Luc. Ambrosius, Euthymius & Theophylactus in Luc. XII. Hieronymus in epist. 8. ad Demetriadem intelligunt *diabolum*, quam opinionem refellit Augustinus lib. I. de serm. Domini in monte cap. 22. cum diabolo non debeamus esse benevoli. Alii per *adversarium* intelligunt *carnem*, quod eodem argumento Hilarius & Augustinus refellunt. Alii vero *spiritum*, cui caro debeat consentire; sed hoc refellit Hieronymus. Ambrosius exponit de *peccato.* Hilarius, Anshelmus & Hieronymus in

in Matth. V. per adversarium intelligunt *alterum hominem, qui nos læsit*, aut *nos illum.* Sed hanc expositionem itidem refellit Augustinus. Alii igitur intelligunt de *lege Dei* vel *conscientia.* Per *ministros* Ambrosius in Luc. XII. Augustinus lib. I. de serm. Dom. in monte c. 12. intelligunt *angelos bonos*, Gregorius hom. XXXIX. in evang. & Theophylactus in Luc. XII. *dæmonas.* Per solutionem novissimi quadrantis Augustinus lib. de octo q. ad Dulcit. accipit *pœnas gehennæ æternas*, alii de *gehenna & purgatorio simul* exponunt, alii de *solo purgatorio*, (ut Bellarminus censet). Ecquis igitur in hoc loco firmum purgatorio præsidium paratum esse sibi persuadebit? 2.) Ne ipsi quidem pontificii de purgatorio hunc locum omnes accipiunt. Cajetanus & Erasmus Chrysostomi ac Theophylacti interpretationem amplectuntur, quod *fraterna reconciliatio in hac vita quærenda.* Johannes Ferus in comm. "Multi multa scripserunt, quis sit adversarius ille, nec tamen, quæ scripserunt, satis videntur concordare literæ. Omissis igitur omnibus iis id vult Christus: In externis rebus nonnunquam satius est, etiam iniquis conditionibus cum adversario componere, quam lites & contentiones sequi.„ Maldonatus ibidem: "Hic est verus sensus; id enim postulat consequentia sententiæ, ut adversarius adpelletur is, qui habet aliquid adversum nos. Adversarius igitur noster ille, quem læsimus, quem raca aut stultum adpellavimus, qui actionem apud Deum contra nos habet. Via hujus vitæ tempus; judex Christus, qui dicturus est: *Quod uni ex minimis his feciſtis, mihi feciſtis.* Minister diabolus, qui in torquendis, damnandis, Deo ministerium præbet. Carcer infernus, quadrans minima culpa. Erat enim quadrans minimus nummus duo continens minuta. Itaque ad ultimum quadrantem solvere pro summo jure puniri proverbio dicebatur. Quod autem dicit, nos inde non exituros, donec ultimum quadrantem persolvamus, non significat, ut ait Augustinus, exituros postea, sed nunquam exituros, quia qui in inferno sunt, cum semper debitas pœnas solvant, quia pro quolibet mortali peccato infinitas pœnas debent, nunquam persolvunt. Itaque eodem sensu hoc loco dictio illa *donec* accipienda est, quo Matth. I. 25.„ Cornelius Jansenius in conc. evang. cap. 40. p. 180. "Non potest ex hoc loco recte quis urgere probationem purgatorii.„ Didac. Stella in Luc. XII. p. 99. „Si dixeris, donec solvat &c. quod postquam solverit, exibit, non errabit is, sed ita quoque significat *nunquam*, quia ad finem infiniti nunquam pervenitur, & particula *donec* in sacris literis æternitatem significat.„ Toletus in Luc. XII. 90. "Notat Hieronymus particulam *donec* Matth. I. 25. non significare b. virginem postea virum cognovisse, sed id solum, eam ante partum cognitam non fuisse; sic in præsenti vox *donec* accipi potest, non quod solvat debitum, & postea exeat, sed id solum, quod non aliter exibit.„ 3.) Verba Christi aut accipiuntur in sensu *literali* aut *allegorico ac mystico.* Si prius, nullam purgatorii suspicionem vel minimam injiciunt; scopus enim Christi est ostendere, quanto studio quærenda sit reconciliatio cum illis, qui a nobis offensi sunt, & quanto cum periculo conjunctum sit, si reconciliationem illam prætermittere velimus; proinde nos cohortari ad sarciendam & ineundam concordiam cum adversariis nostris, quamdiu in via hujus vitæ cum ipsis ambulamus. Si posterius, quod Bellarmino placet, non poterunt apodicticum aliquod argumentum pro purgatorio adstruendo suppeditare, quia *theologia symbolica ac parabolica non est argumentativa.* 4.) Chrysostomi interpretationi, qui in sensu literali verba Christi accipienda esse docet, Bellarminus duo objicit; primo *eam non esse simpliciter probabilem*, tum quod *reliqui expositores huic interpretationi refragentur, qui sermonem hunc metaphoricum esse censeant*, tum quod *non soleat Dominus tam serio docere & instruere humanam prudentiam*, tum quod *Christus non tam adsertive diceret: Amen dico tibi, non exibis inde, si loqueretur de judicio humano, cum sæpe videamus contrarium accidere, ut rei li-*

berentur favore alicujus, vel per se fugiant & nihil solvant. Deinde *si Chrysostomi sententia ut probabilis recipi debeat, solum recipi posse pro iis verbis, quæ habentur Matth. V. non autem pro iis, quæ habentur Luc. XII. cum in loco posteriore de judicio post hanc vitam Christus loquatur. Resp.* negari nulla veritatis specie potest, Matth. V. Christum de reconciliatione fraterna & condonatione injuriarum agere, ut antecedentia manifeste testantur; hactenus igitur & hoc respectu Chrysostomi interpretatio utpote scopo & contextui perquam adcommoda repudiari nequit. Nec propterea humanam prudentiam docere Christus judicandus, quia forensem illam sententiam adcommodat ad mutuam fratrum reconciliationem, quæ pertinet *ad prudentiam justorum*, Luc. I. 17. interim nobis nequaquam adversatur, si quis cum quibusdam ex veteribus sententiam Christi παραβολικῶς ad pœnitentiam in hac vita mature agendam adcommodare velit, ut accipiatur tanquam gravis ac seria exhortatio, ut post lapsus, dum in via hujus vitæ sumus, cito Deo reconciliemur, ne propter impœnitentiam in carcerem infernalem conjecti æternis suppliciis justitiæ divinæ satisfacere cogamur. Christus enim eamdem similitudinem usurpat Luc. XII. 58. cum reprehendisset Pharisæos, quod non agnoscerent tempus gratiæ, ac nos omnes ad vigilem adventus sui exspectationem cohortatus fuisset. Vid. harm. evang. cap. LI. p. 351. 5.) Allegorica illa piorum veterum interpretatio nullum purgatorio fomentum præstat, *primo* quia parabola nequaquam categorice adserit, post judicium vel totum debitum vel partem aliquam debiti exsolvi posse; nec promittit, fore, ut debitor ex carcere, in quem conjectus erat, aliquando iterum liberetur, sed contrarium potius insinuatur, videlicet nec debiti persolutionem, nec debitoris ex carcere liberationem ullo unquam tempore esse sperandam, quia rigidissimum jus exactoris & gravitas periculi ob neglectam in hac vita reconciliationem describitur hac conditionali ac hypothetica comminatione: *non exibis e carcere, nisi totum debitum usque ad novissimum quadrantem persolveris.* Jam vero testatur tota scriptura, post hanc vitam non esse sperandam pro peccatorum debito satisfactionem, nec reconciliationem cum Deo per pœnitentiam exspectandam, sed eorum, qui in carcerem infernalem conjiciuntur, debitum esse æternum, a quo nunquam exsolvi possint. De eo, qui propter debitum decem millium imperialium in carcerem conjicitur, recte possum dicere: Non exibit inde, donec omnia persolvat usque ad novissimum quadrantem. Ex eo vero non potest inferri: Ergo aliquando persolvet novissimum quadrantem, & consequenter exibit; sed contrarium potius ex eo infertur, quia propter grandem debiti summam non potest usque ad novissimum quadrantem omnia persolvere: Ergo non exibit e carcere. *Præterea* gravis illa ac seria Christi cohortatio, qua omnes homines proposito æterni & nunquam finiendi supplicii periculo excitare & impellere voluit, ut de reconciliatione cum Deo in hac vita mature cogitarent, antequam tortoribus infernalibus torquendi tradantur, non mediocriter enervatur ac luxatur, si debitum illud, in quo & cum quo homo moritur, post hanc vitam in purgatorio dissolvi, quin & aliorum suffragiis pro eo satisfieri posse cum pontificiis statuatur. *Tertio* loquitur Christus de iis, qui nec cum Deo nec cum fratre in hac vita reconciliantur, sed ob implacabilitatem & neglectam in tempore gratiæ reconciliationem in carcerem infernalem detruduntur; jam vero homines ἀσπονδοι & irreconciliabiles non ad purgatorium, sed ad infernum descendunt, quia non moriuntur in caritate. *Quarto* quo sensu accipienda sint verba Christi: *Non exibis inde, donec persolveris extremum quadrantem*; ex aliis parallelis locis omnium optime intelligitur: Matth. VI. 15. *Si non remiseritis hominibus, nec pater vester remittet vobis peccata vestra.* Matth. XVIII. 34. in parabola debitoris dicitur: *Tradidit eum tortoribus, quousque redderet universum debitum*, cui solvendo non erat, ut colligitur ex v. 25. Atqui in purgatorio non potest reddi universum debitum,

bitum, quia non potest satisfieri pro peccatis mortalibus, sed tantum pro venialibus. *Quinto* ubi solutio debiti tam stricte exigitur, ut sine ea carcerem egredi non liceat, ibi precibus & suffragiis nullus relinquitur locus. Sed in hac parabola Christi solutio debiti tam stricte exigitur, ut sine ea carcerem egredi non liceat. Ergo precibus & suffragiis vivorum in liberatione ex purgatorii carcere nullus relictus est locus. *Sexto* si per judicem intelligere velimus *Christum* vivorum ac mortuorum judicem divinitus constitutum, non possumus per debitores intelligere electos, nec per carcerem *purgatorium*, inferni sinum, quia Christus electos suos non adjudicat ullis post mortem suppliciis in quodam inferni sinu tolerandis, nec satisfactionem pro peccatorum debitis ab eis exigit, sed ut dilectis suis ac benedictis hæreditatem regni cœlestis distribuit. Recte igitur de æternis & nunquam finiendis damnatorum suppliciis verba Christi ab Hieronymo, Augustino & Theophylacto accipiuntur. Hieronymus in lament. Jer. l. I. c. 1. *Significat semper non exiturum esse, quia semper solvat novissimum quadrantem, dum sempiternas pœnas terrenorum peccatorum luit.* Augustinus lib. I. de serm. Dom. in monte c. 22. *Miror, si non eam significet pœnam, quæ est æterna.* Ibidem particulam *donec* quandoque æternitatem significare adfert, & probat ex Psalm. CX. 1. Matth. I. 25. Theophylactus in Luc. XII. Εἰ γὰρ ἄχρι τότε εἰς φυλακὴν ἐσόμεθα ἄχρις ἂν τὸ ἔσχατον λεπτὸν ἀποδῶμεν, δῆλον ὅτι δὲ μέλλοιμεν ἀποδόναι, πρόδηλον ὡς ἀίδιος ἡ κόλασις ἔσαι. *Septimo*, si per judicem intelligere velimus *Deum*, consequens fuerit, Deo non esse satisfaciendum. Ratio est, quia debitor non satisfacit judici, sed creditori. *Octavo*, si per carcerem intelligitur *purgatorium*, nulla in purgatorio erit pro peccatis satisfactio. Ratio est, quia debitor in carcere non satisfacit pro debito, sed tenetur in eo constrictus, donec alii pro ipso solvant. *Nono*, si nos ipsi possumus persolvere usque ad novissimum quadrantem, quorsum opus fuit morte & passione Christi ad satisfactionem pro nobis præstandam? 6.) Quæ Bellarminus pro sua explicatione adducit, facilem habent explicationem. Primo, *patres de purgatorio hunc carcerem exponunt. Resp.* non omnes, nec eodem modo ita exponunt, nec expositionis suæ fundamentum in scripturis monstrant. Adducit Bellarminus Tertullianum lib. de anim. cap. 17. Cyprianum lib. IV. epist. 2. Origenem homil. XXXV. in Luc. Eusebium Emissenum homil. III. de Epiph. Ambrosium in Luc. XII. Hieronymum in Matth. V. & Bernhardum serm. de obitu Huberti. Sed hi testes causam ejus parum juvant. Tertullianus dicit, *eos, qui non concordant cum adversario, mitti in infernum, ex quo ante resurrectionem non fit exitus.* Atqui ex purgatorio quotidie animæ quædam exeunt. Origenes *etiam diabolos & damnatos ex inferni carcere aliquando liberandos* statuit. Eusebii Emisseni homiliæ de Epiph. sunt adulterinæ. Ambrosius purgationem illam *in fine seculi* demum futuram & *ab omnibus sustinendam* esse existimavit. Hieronymus *ex isto carcere non patere exitum* recte judicavit. Recte ergo Suarez tom. IV. in Thom. disp. 45. §. 1. pag. 557. *Citantur Ambrosius c. 12. Hieronymus in Matth. in Luc. cap. 5. & Athanasius q. 26. cum tamen fere nihil aliud dicant, quam minima etiam peccata puniri a Deo, & neminem inde exire, donec solvat; an vero aliquis solvat post hanc vitam, non declarant.* Toletus comm. in Luc. XII. *Hunc debitorem nunquam esse liberandum, quia nunquam debitum solvat, docent Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus.* Secundo inquit Bellarminus, *illud* donec solvas ultimum quadrantem, *non videtur recte posse dici, nisi aliquando sit futurus finis solutionis. Neque exempla b. Augustini satisfaciunt. Nam cum dicitur*: Non cognoscebat eam, donec pareret, *non licet quidem inferre, ergo postea cognovit eam; sed inferre licet, ergo illa aliquando paritura erat. Similiter cum dicitur*: Sede a dextris meis, donec ponam; *recte infertur, ergo aliquando ponentur omnes inimici Christi sub pedibus ejus, alioquin illud* donec *inepte diceretur*; *ita ergo*

cum dicitur: Non exibis inde, donec solvas; *inferimus recte, ergo aliquando solvet ultimum quadrantem & per consequens inde exibit. Resp.* concedamus sane, ex verbis Christi recte concludi, quod novissimus etiam quadrans in carcere illo sit solvendus, id est, quod pro peccato etiam minimo in inferno damnati sint torquendi; ex eo tamen inferri nequit, quod ex carcere illo aliquando sint liberandi, perinde ut ex adductis ab Augustino locis concludi nequit, Josephum aliquando Mariam cognovisse, Christum aliquando non sessurum ad Dei dextram. Quinimo ex eo, quod pro peccatis post hanc vitam plene Deo satisfieri, ac pro summa debiti persolvi non potest, Augustinus recte infert, nullam ex inferni carcere sperandam esse liberationem. Glossa interlinearis eodem modo: *Et mittaris in carcerem, id est, in tenebras exteriores. Non exibis inde, donec solvas, id est, nunquam; sicut ibi: Donec ponam inimicos &c.* Dionysius Carthusianus art. X. in Matth. V. *In carcerem, id est, lacum inferni, donec reddas novissimum quadrantem, id est, pro minima culpa satisfacias, hoc est, nunquam redimeris, quoniam in inferno nulla est satisfactio.* Tertio, *idem probatur ex fundamento & scopo parabolæ. Nam similitudo non est sumta ab homicida vel adultero vel proditore, qui damnantur ad mortem vel ad perpetuos carceres vel ad triremes, sed a debitore, qui non propter crimen, sed propter debitum pecuniarum in carcerem conjicitur, donec solvat. Solent autem hujusmodi homines ordinarie egredi post aliquod tempus, ut patet. Itaque scopus parabolæ est, ut in hac vita componamus cum Deo, quando facile impetramus remissionem pœnæ peccatis nostris debitæ, nec exspectemus seculum futurum, in quo severissime agetur. Resp.* debitores, qui plane non sunt solvendo, ad perpetuos carceres damnantur. Jam vero qui in hac vita non impetrant debitorum suorum remissionem coram divino judicio, post hanc vitam solvendo non erunt. Ergo ad perpetuos carceres damnabuntur. Vlterius, cum quo debito conjuncta est inimicitia adversus fratrem, illud non potest solvi in purgatorio. Ratio est, quia illa inimicitia & implacabilitas pugnat cum caritate, & est peccatum mortale, pro quo non est speranda satisfactio. Jam vero Christus de tali debito in hac parabola loquitur, cum quo inimicitia adversus fratrem est conjuncta. Ergo. Denique si ex voce *debitoris* colligere licet, e carcere illo patere exitum, Origenes etiam ex eadem inferre poterit, damnatos ex inferno esse liberandos. Ratio est, quia maxima peccata itidem sunt debita, & maximi peccatores itidem sunt debitores. Jansenius in conc. evang. cap. XL. p. 180. *Secundum scopum parabolæ vox* donec *non significat debitum aliquando persolvendum, sed extremum jus requirendum esse, ut qui in via cum adversario suo, quem injuste offenderat, in gratiam redire neglexerit, & vult Dei judicium experiri, Deus eum judicabit summo jure, nec unquam debitum solvet, ergo æternum persolvet supplicium.* Similia occurrunt apud Toletum in Luc. adnot. LXXXIX.

§. CCLXX. V) Matth. V. 22. *Omnis, qui irascitur fratri, reus erit judicio. Qui dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio, qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis;* ubi monet agi de pœna injungenda in foro Dei, quia additur, *reus erit gehennæ ignis*, distingui igitur tria genera peccatorum & pœnarum, & damnationem æternam solum tribui tertio generi peccatorum, id est, criminibus, aliis autem utpote levioribus peccatis pœnas leviores, ac proinde temporales, ex quo sequatur, animas aliquas post hanc vitam puniri temporalibus pœnis. *Resp.* 1.) Suarez tom. IV. in Thom. disp. 45. p. 557. recte scribit, *hunc locum non spectare ad controversiam de purgatorio, cum valde probabile sit, omnia illa membra judicii, concilii, gehennæ, significare æternam damnationem & pœnam majorem & minorem pro qualitate delictorum.* Christus enim ibi disputat contra pharisæos, quintum decalogi præceptum sic depravan-

V) *Ex Matth. V. 22. Qui irascitur fratri, reus erit judicio.*

pravantes, quod ea tantum peccata coram Dei judicio pœnæ æternæ sint rea, quæ juxta forenses leges Mosis in judicio civili morte puniebantur; quidquid in adfectibus interioribus, gestibus & verbis quinto præcepto non erat conforme, id cum lege pugnare concedebant, sed tamen non constituere hominem reum iræ & pœnæ æternæ coram Deo. Huic depravationi opponit Christus veram explicationem quinti præcepti, quod non tantum externum homicidium, sed etiam convitia & maledicta, animi irati ac malevoli signa in voce, vultu & gestibus totius corporis, quinimo interiores etiam iræ motus cum caritate proximi pugnantes in eo prohibeantur, ac licet aliud peccatum alio sit gravius, omnia tamen coram Dei judicio æternas pœnas promereri, nisi fiat reconciliatio propter Christum Mediatorem. 2.) Ex hac Christi doctrina nunquam poterit purgatorium probari, quod nititur potius pharisaica illa opinione, quam Christus ex professo ibidem refellit, quasi sint quædam peccata sua natura venialia, quæ tam minuta sint ac levia, ut non promereantur pœnas æternas, sed duntaxat temporales vel in hac vita vel in futura persolvendas. Atqui Christus contrarium docet, omne & quodvis peccatum etiam minimum legi divinæ adversari, & per consequens Dei iram ac æternas pœnas promereri. Pro peccatis mortalibus non potest ex adversariorum hypothesi satisfieri in purgatorio. Atqui ira adversus proximum est peccatum mortale. Ergo in purgatorio non satisfit pro peccatis mortalibus, sed duntaxat pro pœnis eorum adhuc reliquis. Jam vero Christus hoc loco de culpa agit. Si per *judicium* intelligere velimus purgatorium, idem non poterit intelligi per *concilium*, quia concilium a judicio distinguitur. Sic ergo præter *gehennam*, id est, infernum, & *judicium*, id est, purgatorium fingendus erit locus tertius, qui respondeat concilio. 3.) Vocabula *judicii*, *concilii* & *gehennæ*, quibus ex politia Judaica transsumtis Christus magnitudinem & pœnam peccatorum coram Dei judicio declarat, hoc loco non significant pœnas civiles, sed capitalia supplicia, quæ pro ratione delictorum adgravabantur quidem & exasperabantur, omnia tamen erant capitalia & judicii & synedrii & gehennæ. In adcommodatione igitur horum vocabulorum ad descriptionem judicii divini adversus peccata Christus concedit, sicut peccata omnia non sunt paria, ita etiam pœnas coram Dei judicio non esse per omnia æquales; sed tamen contra pharisæos ostendit, in judicio Dei, si non fuerit facta peccatorum remissio, omnia, etiam, quæ minutissima a nobis censentur, æternæ damnationis judicio obnoxia esse; nam de interioribus motibus non congruentibus cum lege dicit: *Qui fratri irascitur, obnoxius est judicio Dei*, id est, pœnæ judicii divini ad æternam condemnationem, non secus atque is, qui externo opere homicidium committit, ut colligitur ex Psalm. CXLIII. 2. Gal. V. 20. 1. Joh. III. 15. atque ex interpretatione a Christo ipso addita v. 25. *Ne forte adversarius tradat te judici, judex tradat te ministro & in carcerem conjiciaris.* v. 26. *Amen dico tibi, non exibis inde.* Convitio fatuitatis tribuit summum gradum supplicii, gehennam scilicet ignis, & ex eo intelligendum reliquit, quæ supplicia destinata sint maledictis atrocioribus & gravioribus quinti præcepti transgressionibus. Vide harm. evang. cap. LI. p. 342. 4.) Falsum igitur est, quod Bellarminus nugatur, *verba Christi*, qui iratcitur fratri suo, reus erit judicio, *hunc habere sensum, punietur pœna quidem temporali, sed quæ æquetur morti temporali*; neque enim de temporalibus, sed æternis pœnis in Dei judicio transgressionibus quinti præcepti debitis Christus loquitur. Id quod agnoscit ipse Maldonatus in comm. *Per judicium* (inquit) *& concilium gradus pœnæ distinguuntur, non genus. Nam utroque capitalem, sed in judicio leviorem, in concilio graviorem judices pœnam constituebant, quemadmodum graviores ad concilium, quam ad judicium causæ deferebantur. Sic etiam Christus & eum, qui irascitur, & eum, qui fratrem suum levem, & eum, qui stultum adpellat, eadem inferni pœna, non eadem gravitate dignum docet &c.* Vide ibidem plura

in hanc sententiam. Falsum etiam illud, quod Bellarminus ex hoc loco colligi posse statuit, *quædam peccata non mereri nisi pœnam temporalem*; cum Moses disertis & exsertis verbis maledictum pronunciat eum, *qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.* At hæc maledictio non solum temporales, sed etiam æternas pœnas complectitur, nisi fiat gratuita propter Christum remissio. Falsum insuper & illud, quod *damnatio æterna solum tribuatur tertio generi peccatorum, id est, criminibus*, cum de eo, qui irascitur fratri, & sic ex hypothesi Bellarmini levius quoddam peccatum committit, Johannes disserte pronunciet 1. epist. III. 15. *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam manentem.*

VI) *Ex Luc. XVI. 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.*

§. CCLXXI. VI) Luc. XVI. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Per* deficere *intelligunt omnes mori, per* amicos *intelligunt sanctos, qui cum Christo regnant, ex quibus sequitur, homines post mortem juvari precibus sanctorum. Resp.* 1.) In parabolis non debent urgeri singula membra, sed respiciendus est principalis scopus. Chrysostomus in Matth. XX. & ex eo Theophylactus in Luc. XVI. "Omnis parabola ob„lique & figurato modo rerum quarumdam „naturam repræsentat non per omnia rebus „illis adsimilata, propter quas adsumta est; „idcirco non oportet omnes parabolarum par„tes curiosius inquirere, sed quatenus adpa„rent proposito utiles; reliquæ enim sinendæ „sunt quasi parabolam contexentes, & nihil „ad propositum conducentes. 2.) Scopus parabolæ hujus in eo consistit, quod exemplo iniqui illius œconomi Christus monere nos voluit, ut *ex mammona iniquitatis*, id est, ex divitiis hujus seculi in pauperes simus benefici, ut iidem nos dispensatione nostra perfunctos *in æterna tabernacula recipiant.* (*) Recipiunt autem nos in vitam æternam, non ut auctores vel causæ principales ac meritoriæ; hic enim honor soli Deo & Christo competit, sed ut testes beneficentiæ nostræ sibi exhibitæ. Recipiunt nos non propter opera nostra, tanquam causam salutis meritoriam, sed proferendo ea tanquam effectum, fructum ac testimonium veræ in Christum fidei, qua vitam æternam in Christo ex gratia obtinemus. Recipiunt nos tum precibus in hac vita, tum testimonio ac suffragio in die judicii. Cumprimis vero inter *amicos*, qui in æterna tabernacula nos recipiunt, primo loco numerandus est *Christus*, πίστεως καὶ σωτηρίας ἀρχηγὸς, illum nobis parare possumus amicum per veram pœnitentiam ac fidem, per beneficentiam in pauperes sanctos, de quibus ipsemet pronunciat Matth. XXV. 40. *Quidquid uni ex minimis his feciſtis, mihi feciſtis.* Irenæus lib. IV. cap. 49. p. 286. "Cum benefacientibus habitat Deus, „quemadmodum Dominus ait, facite vobis „amicos de mammona iniquitatis, ut hi, quan„do fugati fueritis, recipiant vos in æterna „tabernacula.„ Hieronymus ad Algasiam epist. CLI. q. 6. "Mihi videtur Christus hoc dicere, „quod de iniquo mammona debeamus nobis „amicos facere, non quoslibet pauperes, sed „eos, qui nos possunt recipere in domos suas „& in æterna tabernacula, ut cum eis parva „præbuerimus, recipiamus ab illis magna & „dantes aliena, nostra suscipiamus, & semi„nemus in benedictione, ut metamus benedi„ctionem.„ Eodem fere modo Didacus Stella in adnotat. h. l. pag. 162. "Quomodo, in„quies, me beatitudinis hospitio accipere pos„sit pauper, qui criminibus, dum vixit, coin„quinatus fuit, postea vero moriens in infer„num detrusus est? Respondeo, pauper qui„dem

(*) Oraculum hocce sacrum recentiori ævo uberius expositum b. cancell. Pfaffius in peculiari dissertatione *de lucro spirituali ex Mammona iniquitatis capiendo*, quæ Tubingæ *MDCCXLII.* in lucem publicam prodiit. Idem quoque *loc. cit. p. 2.* tum veteres doctores christianos, tum recentiores, qui dictum hoc copiosius explicarunt, recenset.

„dem te non recipiet, sed eleemosyna ipsa ut „Prov. XXIIX. Claude eleemosynam in sinu pau„peris, & ipsa orabit pro te.„ Maldonatus in h. l. p. 310. "Penes pauperes non est potestas admittendi nos in cœlum; ideo autem „nos dicuntur recipere, quia propter illas san„ctas eleemosynas recipimur, ut non tam ipsi „quam opera erga eos nostra sint, quæ nos „proprie recipient &c.„ Tertullianus de fug. in præsent. cap. 13. & Theophilus Antiochenus apud Hieronymum d. l. allegoriam paulo alieniorem sectantur. 3.) Purgatorium vero ex his Christi verbis accendi nequit. (*) *Primo*, quia pii veteres in explicatione hujus loci nihil de purgatorio somniant. *Secundo*, si de purgatorio Christus hic agit, consequens fuerit, etiam apostolos in purgatorium esse detrudendos, quia v. 1. ad μαθητὰς hanc parabolam dixisse legitur. *Tertio*, pauperes in carne adhuc viventes precibus suis nos apud Deum juvare ac beneficentiæ nostræ in extremo judicio testimonium reddere possunt, si vel maxime non descendamus in purgatorium, ex quo vel vivorum suffragiis vel mortuorum intercessionibus apud Deum liberemur. *Quarto*, si sancti, *quando deficimus*, id est, quando morimur, recipiunt nos statim in æterna tabernacula, utique non descendimus post mortem in purgatorium, ex quo sanctorum precibus liberemur. *Quinto*, parabolarum & allegoriarum explicatio debet esse fidei analoga. Jam vero purgatorium pugnat cum fidei analogia, ut ostendimus superius. Ergo explicatio hujus parabolæ non debet torqueri ad *purgatorium*. *Sexto*, per *amicos* non intelliguntur sancti cum Christo regnantes, sed pauperes in terris adhuc viventes, ut ex ipsa parabola intelligitur. Jubemur enim nobis *amicos parare ex mammona iniquitatis*, per eleemosynas scilicet ac beneficentiam. Sed erga sanctos cum Christo regnantes non possumus esse benefici ex mammona iniquitatis. 4.) Quæ Bellarminus pro adstruendo purgatorio ex verbis Christi colligit, parum roboris obtinent. Primo inquit: *Verba illa*, facite amicos, ut recipiant; *cogunt nos ad statuendum, quod post mortem juventur animæ precibus sanctorum. Nam eleemosyna, quæ datur malis hominibus, bona tamen intentione, meritoria est, & tamen non facit amicos, qui possint recipere in æterna tabernacula. Resp.* concedimus, ex hoc loco recte colligi, quod Hieronymus lib. contra Vigilantium infert, *bonis potius, quam malis eleemosynam esse dandam, ut eorum precibus & intercessione juvemur*; sed ex eo inferri nequit, quod intercessione illa ex purgatorio liberemur; statim enim *ut deficimus*, id est, ipso Bellarmino interprete, quando morimur, amici illi nos in æterna tabernacula recipiunt. Ambrosius in Luc. XVI. *eleemosynis gratiam angelorum & sanctorum comparari* adserit, sed non addit, mortuos ex purgatorio ipsorum precibus liberari. Augustinus lib. XXI. de civ. Dei cap. 27. *eleemosynis inopiam sanctorum sustentari, & amicos, qui in æterna tabernacula suscipiant, parari* docet, id vero ad sanctos adhuc viventes proprie pertinet. Secundo *ad id nos cogit ipsa similitudo. Nam parabola sumta est a quodam œconomo, qui depositus ab officio & egenus factus opem implorabat amicorum suorum*; *quod autem deponi ab officio sit mori, Dominus ipse in adplicatione parabolæ explicat. Resp.* in parabolis non sunt tenuissimæ quæque minutiæ sectandæ, quas si hoc loco excutere velimus, possemus contra Bellarminum sic inferre: Quemadmodum œconomus ab officio depositus nihil quidquam habebat reliquum, quo heri sui gratiam impetrare, vel pro peccatis suis satisfacere posset, sic post mortem animabus nihil quidquam suppetit, quo possint pro residuis culpis satisfacere. Neque de œconomo in parabola dicitur, quod post remotionem ab officio fame & esurie pressus opem amicorum imploraverit, sed quod in officio adhuc constitutus de sub-

(*) Ostenderunt hoc, præter Gerhardvm, Jo. Adamvs Scherzervs, theologus quondam Lipsiensis, in libro, cui titulus: *purgatorium exustum*, §. 68. & Jo. Daillævs, theologus Reformatus in Gallia, in libro *de pœnis & satisfactionibus humanis*, *cap. XIV.*

subsidiis sibi prospexerit; ita in hac vita eleemosynis nostris amicos nobis parare debemus, ut *quando defitimus*, id est, in ipsa statim morte recipiant nos in æterna tabernacula. Tertio *Augustinus lib. XXI. de civ. Dei cap. 27. purgatorium ex hoc loco demonstrat. Resp.* verba integra sic habent: *Etiam illi justi, qui tanta sanctitate vixerunt, ut alios quoque recipiant in tabernacula æterna, quibus amici facti sunt de mammona iniquitatis, ut tales essent, misericordia liberati sunt ab eo, qui justificat impium, imputans mercedem secundum gratiam, non secundum debitum. In eorum quippe numero est apostolus, qui dicit:* Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. *Illi autem, qui recipiuntur a talibus in tabernacula æterna, fatendum est, quod non sint his moribus præditi, ut eis liberandis sine suffragio sanctorum sua possit vita sufficere, ac per hoc multo amplius in eis superexaltat misericordiæ judicium.* Hic nihil de purgatorio, nihil de orationibus pro defunctis ex purgatorio liberandis audimus. Postea subjicit Augustinus: *Quis sit iste modus, & quæ sint ipsa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum definire. Ego certe usque ad hoc tempus, cum inde fatagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui.* At nisi hoc definiatur, in summum abit purgatorium.

VII) *Ex Luc. XXIII. 42. Memento mei, cum veneris in regnum tuum.*

§. CCLXXII. VII) Luc. XXIII. 42. *Memento mei, dum veneris in regnum tuum. Nunquam hoc diceret bonus ille vir a Spiritu sancto edoctus, nisi crederet, post hanc vitam remitti peccata, & auxilio animas indigere & juvari posse. Certe Augustinus lib. VI. contra Julianum cap. 5. hinc probat, aliqua peccata remitti post mortem. Resp.* 1.) Responsum Christi latroni converso datum: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*; prorsus exstinguit purgatorium, ut ostendimus superius. 2.) Id quod agnoscunt quidam ex ipsis pontificiis, qui latronem hunc conversum non in purgatorium venisse, sed recta in paradisum introductum fatentur, evidentia verborum Christi permoti; addunt autem, *privilegia paucorum non constituere generalem regulam.* Illis vero contradicit Petrus Michaël, jesuita, qui in catech. colon. anno 1589. impresso p. 180. format ejusmodi quæstionem: *Num animæ piorum a corporibus separatæ statim cælestium illorum bonorum redduntur participes, num vero diem extremum prius exspectare coguntur?* Respondet autem hoc modo: *Beatitudinis statim a morte participes redduntur, ut colligitur ex latronis converti exemplo, cui Christus illo ipso statim die paradisum promittit.* At si hoc esset privilegium speciale, non posset generalis probationis loco adferri. Suarez in Thom. part. III. tom. II. q. 46. art. 11. *Augustinus hunc sanctum latronem martyrem facit, tantumque apud Deum valuit, inquit Cyprianus, quod confessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus. Jam vero docet catholica ecclesia, martyres absque ullo per ignem transitu ad æternam vitam pervenire,* ut scribit Salmeronius in comm. 1. Cor. III. disp. VI. §. 3. 3.) Latro non levium & venialium, sed gravissimorum ac mortalium peccatorum remissionem a Christo petebat; at in purgatorio ex hypothesi pontificiorum non mortalia, sed levia duntaxat & venialia peccata expiantur. 4.) Latro non post hanc vitam, sed in hac vita peccatorum remissionem sibi dari petit, post mortem vero fructum remissionis, aditum scilicet in regnum Dei sibi concedi precatur. 5.) Si vel maxime latro in fide nondum plene institutus post hanc vitam quædam peccata in purgatorio remitti judicasset, tamen Christi responsum eum plenius informasset, & ab hoc errore liberasset; potius igitur Christo, quam latrone magistro uti deberemus. 6.) Auxilio Christi animas post mortem indigere & juvari posse concedimus; sed ex eo purgatorium inferri nequit, quia Christus juvat piorum animas non ex purgatorio eas liberando, sed per angelorum

rum ministerium *in Abrahæ sinum* eas transferendo Luc. XVI. 22. 7.) Aliud est meminisse, aliud pecata remittere. Deus meminit angelorum & electorum, perfecta beatitudine in cœlo fruentium, qui tamen non indigent remissione peccatorum. 8) Augustinus dicto loco non de purgatorio, sed de extremo judicio loquitur. Quærit enim, *utrum in futuro seculo peccata remittantur, nec ne?* & addit, *hanc esse profundissimam quæstionem, de qua non sit præcipitanda sententia.*

VIII) *Ex Act. II. 24. Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni.*

§. CCLXXIII. VIII) Act. II. 24. *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri eum ab illis. Hunc locum ita intelligit Augustinus epist. XCIX. ad Evodium & lib. XII. in Genes. XXXIII. ut sensus sit: Christum, cum descendit ad inferos, multos liberasse a cruciatibus inferni; quod cum non possit intelligi de damnatis, necessario videtur accipiendum de iis, qui purgabantur, quod etiam adfirmat Epiphanius in hæresi Tatiani. Probatur hoc ex ipsis verbis scripturæ. Nam illud,* solutis doloribus inferni, *non potest intelligi de doloribus ipsius Christi, quippe qui in cruce finiti sunt, nec de doloribus damnatorum, quia illi æternis ignibus manent addicti, nec de doloribus sanctorum patrum; illi enim nullos patiebantur dolores: relinquitur igitur, ut de doloribus animarum in purgatorio hoc loco agatur. Resp.* 1.) In textu Græco non est solutis doloribus τῷ ἅδῃ, *inferni*, sed θανάτῳ, *mortis*. Bellarminus frustra opponit *Syriacam paraphrasin, Latinam versionem & quorumdam patrum adlegationem*, quia solus textus Græcus in nov. test. est authenticus. 2.) Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius eo modo exponunt, quod mors omnes dolores velut machinas ac vincula adhibuerit, quibus Christum in sepulcro detineret, Deum vero vinculis illis solutis effecisse, ut mors Christum, quem in sepulcro tanquam in utero suo conclusum comprimere atque exstinguere nitebatur, redivivum iterum emittere & quasi novo partu in lucem edere cogeretur. Existimant igitur, rationem metaphoræ petitam esse *a muliere gravida*, quæ fœtus pondere oneratur, ac famelico, qui deglutita per vomitum reddere cogitur. 3.) Videtur Petrus digitum intendere ad verba Davidica Psalm. XVIII. 6. חֶבְלֵי שְׁאוֹל, *funes inferni circumdederunt me*, quod LXX. interpretes reddiderunt ὠδῖνες ἅδου. Vox enim חבל variatis punctis & dolores & vincula significat. Chaldæus: *Circumdedit me angustia sicut mulieris, quæ sedet in partu.* Petrus igitur dicit, Deum solvisse funes seu vincula mortis, quibus Christum in sepulcro tenebat constrictum. Confer typum Jud. XV. 14. Benedictus Arias Montanus in Act. II. "solutis doloribus inferni, id est, vinculis sepulcri, quibus constringuntur mortui, scilicet legibus corruptionis, de quibus scriptum est: *Cinis es, & in pulverem converteris:* Hujus corruptionis legibus caro Christi fuit soluta, utpote sanctissima & aliena secundum se ipsam ab omni corruptione carnis Adæ." 4.) Quidam speciem *hypallages* hic agnoscunt. *Solvit Deus dolores mortis*, id est, mortem dolorum, ad quam per dolores gravissimos Christus fuerat adactus. Ribera in comm. Hos. XIII. num. 23. p. 173. "In Græco est, solutis doloribus θανάτου, mortis. Ita legit Chrysostomus. Suscitavit, inquit, illum Deus solvens & irritans dolores mortis, id est, quod per tot dolores mors effecerat, ut scilicet anima separaretur a corpore." 5.) Si vel maxime non de ipso Christo, sed de hominibus, quibus mors Christi profuit, locum apostolicum accipiamus, nondum tamen ex eo inferri poterit purgatorium, quia Deus dicitur *solvisse dolores mortis*, Christo ex morte resuscitato, & *dolores inferni*, Christo ex inferis reducto, quatenus peccatum, mortem ac infernum in commodum credentium destruxit, Os. XIII. 14. 1. Cor. XV. 55. Hebr. II. 14. Johannes Ferus in comm. Act. II. "Christus solvit dolores mortis & inferni, sed solis piis. Mortem quidem solvit, ne gustare oporteat &c." Hoffmeisterus ibidem: "Quinam sunt

„sunt hi dolores? in psalmo legimus: *Circum-*
„*dederunt me dolores mortis, & pericula in-*
„*ferni venerunt super me.* Per dolores mor-
„tis & inferni intelliguntur omnium graviſſimæ
„passiones & dolores, quos omnes pro nobis
„passus est Christus, & a quibus omnibus libe-
„ratus est.„ 6.) Augustinus & Epiphanius de quorumdam ex ipso inferno liberatione locum apostolicum accipiunt, id quod pontificiis probari nequit, quippe qui ex inferno non esse liberationem nobiscum agnoscunt. Addit Augustinus epist. XCIX. ad Evod. etiam aliam explicationem: "Solutis doloribus inferni, id est,
„irritis effectis. Solvit enim Christus dolores
„inferni, non quibus tenebatur, sed ne tene-
„retur, quemadmodum solvi possunt laquei
„venantium, non quia tenuerunt, sed ne te-
„neant.„ 7.) Si Christus solvit dolores animarum purgatorii, tum piis non est amplius metuendum purgatorium. Vt enim recte infero, quia Christus solvit dolores inferni, ideo infernus ipsis non amplius metuendus: ita quoque de purgatorio idem recte inferre possum. 8.) Negat Bellarminus, de Christo intelligenda esse illa Petri verba, *solutis doloribus mortis*; unde ad sanctos e purgatorio liberatos eadem transfert. At verba statim subsequentia contrarium docent, *eo quod impossibile erat ipsum a morte teneri.*

IX) *Ex Phil. II. 10. genu inferorum Apoc. V. 2. subtus terram.*

§. CCLXXIV. IX) Phil. II. 10. *Vt in nomine Jesu flectatur omne genu cœlestium, terrestrium & inferorum. Huic similis est locus Apoc. V. 2. Quis dignus est aperire librum, & solvere septem signacula ejus? & nemo inventus est neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram. Per eos, qui sunt in cœlo, intelliguntur angeli; per eos, qui in terra, homines justi; per eos, qui sub terra, non possunt intelligi nisi animæ purgatorii, nec enim id damnatis tribueretur. Patres autem, qui fuerant in limbo, jam liberati erant.* Salmeronius tom. XIV. disp. 25. p. 222. *Ad damnatos non potest aptari hic textus Apoc. V. cum illis nulla insit dignitas aperiendi libri, cumque illi non dent benedictionem aut laudem Deo. Nec potest de patribus in limbo intelligi, quia tempore eo, quo Joannes habuit hanc visionem, totus limbus a Christo erat spoliatus.* Et ante illos Eccius in enchir. cap. de purgat. *Palam est, quod qui intus subtus terram sunt, non flectunt genu in nomine Jesu, sed illud potius obstinaciter blasphemant; sunt ergo in purgatorio, qui genu flectunt. Resp.* 1.) Bellarminus ipse non admodum confidit hisce sulcris. *Per illud inferorum* (inquit) *non improbabiliter accipiuntur dæmones.* Et postea: *Locus Apoc. V. non videtur multum urgere; nam probabile est, intelligi per eos, qui sunt infra terram, patres, qui erant in limbo. Etsi enim, quando Johannes hæc scripsit, patres exierant e limbo, non tamen exierant eo tempore, quo loquitur. Loquitur enim de tempore, quod præcessit Christi mortem.* Sic ergo Cadmæi fratres inter se prælia miscent. 2.) Probatissimi interpretes per τὰς καταχθονίας intelligunt *dæmonas.* Augustinus lib. XII. de Gen. ad litt. cap. 33. per genu inferorum intelligit *duram cervicem dæmonum.* Chrysostomus & ex eo Theophylactus in comm. *Universus mundus, angeli & homines & dæmones.* Thomas de Aquino lect. III. super Phil. II. ex veterib. *Omnis creatura rationalis sive angeli, sive homines, sive dæmones subjiciuntur Christo.* Quæ interpretatio probatur ex Luc. VIII. 31. 2 Petr. II. 4. Jud. v. 6. 3.) Huic interpretationi frustra opponitur, quod *dæmones non adorent Christum, nec genu illi flectant.* Si enim literam urgere velimus, nec angeli in cœlo nec animæ in purgatorio, utpote incorporeæ, Christo genua flectunt. Intelligenda autem γονυκαμψία de *subjectione*, ut exponitur Eph. I. 21. 1. Petr. III. 22. quo sensu etiam *dæmones credere & contremiscere* dicuntur Jac. II. 19. Origenes lib. IX. ad Rom. XIV. "Genu flectere & omnem linguam con-
„fiteri Deo, non est carnaliter accipiendum,
„ut putemus etiam cœlestia, quæ dicit genu
„flectere, carnalibus membris hæc facere.
„Verbi causa, ut putentur vel sol, vel luna, vel
„stellæ

„ſtellæ, vel etiam angeli & quæcunque ſunt, „quæ cœleſtia nominantur, corporalibus in„flexa genibus adorare aut etiam lingua car„nali & tali membro, quali nos homines lo„quimur, putentur confiteri Deo, de quibus „dicitur, quod ſint ſpiritus & ignis. Et quæ „genua in ſpiritibus eſſe creduntur? aut quæ „linguæ in ignis ſpecie requiruntur? ſed genu „flectere, ſubjecta eſſe cuncta & cultui Dei obe„dire declarat.„ Ruffinus in expoſ. ſymb. „Adveniens Chriſtus, ſicut apoſtolus dicit, tria „pariter ſibi regna ſubjecit; hoc enim indicat, „ubi ait: Quia in nomine Jeſu omne genu „flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infero„rum. Et hæc omnia ſua morte vincebat „ Thomas dicto loco: "Duplex eſt ſubjectio, „una voluntaria, altera involuntaria. Omnes „angeli ſancti Chriſto ſubjiciuntur, ſed volun„tarie; ſed dæmones & damnati non ſic, ve„rum involuntarie.„ 4.) Si ex eo, quod creaturæ quædam ſtatuuntur ὑποκάτω τῆς γῆς Apoc. V. 3. purgatorium ſtabiliri poteſt, conſequens fuerit, purgatorium eſſe non ſolum intra viſcera terræ inferno proximum, ſed etiam intra aquas, quia in eodem cap. 13. dicitur: *Et omnem creaturam, quæ in cælo eſt, & in terra & ſub terra, & quæ in mari.* Similis diſtributio exſtat Exod. XX. 4. *Non facies tibi ſculptile neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra.* 5.) Quomodo ex phraſi *ſub terra* purgatorium immote concludi poteſt, cum *de loco purgatorii eccleſia* (Romana) *nihil definierit?* teſte Bellarmino lib. II. de purgat. cap. 6. 6.) Per eos, qui *ſub terra* conſtituti non potuerunt librum ſignatum aperire, haud incommode intelliguntur homines mortui in ſepulcris ſub terra conſtituti, ut recte monet nobiliſſimus theologus Hoe in comment. Apoc. V. p. 175.

Dicta nov. teſt. quæ alii pontificii pro purgatorio adferunt.

§. CCLXXV. Atque hæc ſunt, quæ pro adſtruendo purgatorio ex nov. teſt. *Bellarminus* producit. Hiſce dictis alii ex *pontificiis* ſequentia addunt:

I) Matth. III. 11. inquit baptiſta: *Ego baptizo vos aqua, qui autem poſt me venturus eſt, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne, id eſt, in hac vita per baptiſmum & Spiritum ſanctum, poſt hanc vitam per purgatorium a peccatis vos abluet.* Ad hunc locum ipſe Bellarminus adludit in explicatione III. argumenti ex 1. Cor. XV. deſumti. *Ipſa* (inquit) *pœna purgatorii a ſcriptura & patribus vocatur baptiſma. Nam quod Matth. III. legimus, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne, Hieronymus exponit in Spiritu ſancto in hac vita, igne vero in futuro, quo modo etiam Baſilius lib. de SS. cap. 15. & Beda in Luc. III. exponunt. Reſp.* 1.) Loquitur baptiſta de viſibili effuſione Spiritus ſancti & donorum ejus in linguis igneis die pentecoſtes facta, ut in tract. de bapt. §. 54. ſeptem argumentis comprobatum dedimus, inter quæ eminet ipſius Chriſti explicatio Act. I. 4. tradita. Cum enim ipſe jam jam cœlos adſcenſurus diſcipulis præciperet, *ne Hieroſolymis diſcederent, ſed promiſſionem Patris exſpectarent*, αἰτιολογικῶς ſubjungit, *quia Johannes quidem baptizavit aqua; vos autem baptizamini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Confer Act. XI. 16. ubi Petrus itidem ad viſibilem Spiritus ſancti effuſionem verba illa diſerte adplicat. 2.) Patres in explicatione hujus loci nihil de purgatorio ſomniant. Cyprianus epiſt. ad Quir. lib. I. c. 12. locum hunc confert cum eo, qui exſtat Joh. III. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum.* Hilarius can. III. in Matth. *qui jam baptizantur in Spiritu ſancto, poſtea conſummandi ſunt igne extremi judicii.* Cyrillus Alexandrinus lib. I. in Eſa. IV. orat. III. *Ardorem Spiritus dicimus gratiam in ſacroſancto baptiſmo non absque Spiritu nobis ingeneratam. Baptizati autem & loti ſumus, non aqua nuda, ſed nec cinere vituli emundati ſumus ad ſolam carnis purificationem, ſed Spiritu ſancto & igne divino & intelligibili, qui ſordes vitiorum in nobis deterit & abſumit &c.* Auguſtinus ſerm.

I) *Ex Matth. XIII. 11. Baptizabit vos Spiritu ſancto & igne.*

XI. de verb. Domini: *Quod Johannes dicit, & igne, quamvis possit intelligi & tribulatio, quam pro nomine Christi credentes fuerant perpessuri, tamen non abs re est, eumdem Spiritum sanctum etiam nomine ignis significatum videri.* Chrysostomus in comm. *Credentes baptizat Spiritus sanctus, & comburit incredulos.* Theophylactus ibidem: *Inundabit nos abundanter donis Spiritus sancti.* Eucherius in qq. N. T. *Baptizabit Spiritu sancto & igne, quia per Spiritum sanctum vel peccata exuruntur in nobis, vel sanctificum tribuitur, vel in passionibus tolerandis fervor accenditur.* Lyranus *ad linguas igneas* nobiscum adcommodat. 3.) Ne ipsi quidem saniores pontificii ad purgatorium hæc verba adplicant. Dionysius Carthusianus in comm. *Baptizabit igne, id est, baptizando caritatem in vobis accendit.* Cajetanus ibidem: *Duplex est sensus. Alter significans solenne principium abluitionis totius humani generis celebratum in die pentecostes, quando advenit Spiritus sanctus in specie ignis. Alter significans baptismum tribulationis.* Erasmus in adn. h. l. *Primum ut referatur ad Spiritum sanctum, specie linguarum ignearum in die pentecostes missum in discipulos. Dein ut pertineat ad ignem adflictionum & crucis. Tertio per ignem intelligi potest vigor evangelicæ gratiæ, qui intus datur, cum Judaici ritus fuerint frigidi.* Joh. Ferus in comm. *Spiritu sancto & igne, id est, quanto Spiritus purior corpore & ignis efficacior aqua, tanto ejus baptismus efficacior meo. Sensus igitur est, Spiritu vos transformabit, & igne rapiet ad cælestia.* Maldonatus ibidem: *Sunt, qui ignem hoc loco purgatorium interpretentur, sed dubium non est, quin per ignem Spiritus sanctus significetur. Conjunctio enim & hic non est conjunctiva, sed explicativa. Addita autem est explicatio, ut non qualiscunque Spiritus sancti communicatio, sed illa illustrissima, quæ die pentecostes specie ignis facta est, significetur.* Ribera comm. in Joel II. n. 54 *Vos baptizamini Spiritu sancto, ait Christus Act. II. In tantum enim Spiritu sancto baptizati sunt, ut repleretur tota domus, in qua erant sedentes; hinc intelligimus illud Matth. III. Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne.* Salmeronius tom. IV. tract. 9. p. 57. *Baptismus ignis est baptismus Spiritus sancti per gratiam & caritatis infusionem. Est & baptismus ignis per absolutam purgationem velut per fornacem tentationum, quibus fides nostra redditur auro rutulantior ipso.* Bellarminus ipse dubius est lib. I. de bapt. cap. 2. *ignis vel de linguis igneis vel de igne purgatorii vel de igne judicii vel de igne tribulationis intelligitur.* 4.) Ad Basilii & Hieronymi auctoritatem Bellarminus frustra provocat. Ille enim lib. IV. cont. Eunom. de *igne infernali* explicat. "Baptizat Christus in Spiritu sanctificatio„ne dignos, indignos vero ad ignem dimittit, „alienos a bono malo tradens.„ Hic vero ad *ignem judicii* adcommodat in comm. Matth. III. "Sive quia ignis est Spiritus sanctus, ut „acta apostolorum docent, quo descendente „sedit quasi ignis super singulos credentium, „sive quia in præsenti Spiritu baptizamur, & „in futuro igne.„ In Dan. VII. "De Deo ali„bi dicitur: Deus ignis consumens est, ut li„gnum, fœnum, stipulam arsura in die judi„cii noverimus. In Esa. LXVI. "Ite in ignem „æternum &c. Et omnium sanctorum oculis „supplicia eorum monstrabuntur, qui pro au„ro & argento & lapide pretioso ædificave„runt super fundamentum Domini fœnum, „ligna, stipulam, ignis pabulum sempiterni.„ 5.) Si per baptismum ignis intelligitur purgatorium, etiam apostolis in purgatorium descendendum erit, quia Christus Act. I. 5. ad apostolos diserte verba illa Johannis baptistæ adcommodat. 6.) Si purgatorium hic intelligitur, consequens fuerit, ignem purgatorium ante Christi adventum nondum fuisse accensum, quia Johannes baptista tanquam novum ac futurum de Christo prædicit, quod *Spiritu sancto & igne sit baptizaturus.*

§. CCLXXVI. II) Matth. XII. 36. *Dico vobis, quoniam de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die judi-*

II) *Ex Matth. XII. 36. Rationem reddent in die*

judicii de omni verbo otioso.

judicii. De peccatis autem omnino remissis ac tectis, & quorum Deus non recordatur, non videntur amplius tunc rationem reddituri. Ergo videntur post mortem purgari posse. Salmeronius tom. XIV. disp. 26. p. 228. *Resp.* 1.) Christi dictum est legale, peccati magnitudinem coram divino judicio ostendens. Cum enim verbum otiosum committatur contra legem Dei, ideo ad illud quoque pertinet fulmen mosaici anathematis: *Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis*; Deut. XXVII. 26. ad illud etiam pertinet effatum Jacobi II. 10. *Qui servaverit totam legem, offendat autem in uno, factus est reus omnium.* 2) De quo peccato in judicio Dei ratio erit reddenda, propter illud homines damnari poterunt, quia quodlibet peccatum etiam minimum, quod propter Christum non remittitur, æternæ damnationis reum hominem constituit; unde tam serio divini judicii rigorem deprecatur David Psalm. CXLIII. 2. *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Ps. CXXX. 3. *Domine, si peccata imputare volueris, quis sustinebit?* 3.) Peccatum quodlibet etiam minimum est *sua natura* mortale, id est, æterna morte dignum, si Deus juxta rigorem legis & justitiæ suæ nobiscum agere velit, ut suo loco plenius ostendimus, & ex hoc ipso Christi dicto manifeste evincitur. Quod autem quædam peccata in renatis dicuntur *venialia*, (nam in non renatis omnia sunt mortalia) illud non fit respectu ad ipsius peccati levitatem, sed ad personam hominis peccatoris habito. Quando enim homo peccator fide in Christum Deo est reconciliatus, tunc peccata infirmitatis ipsi ex gratia condonantur ac teguntur, ne in judicium propter illa veniat. Joh. III. 18. *Qui credit in Filium, non judicatur.* Joh. V. 24. *Qui credit ei, qui misit me, non venit in judicium.* Confer tract. de pecc. actual. §. 90. & seqq. 4.) Veteres in expositione hujus loci nullam purgatorii vel remissionis post hanc vitam exspectandæ mentionem faciunt. Hilarius can. XII. in Matth. "Christus omnis otiosi, id est, in„cepti & inutilis dicti rationem Deo reddendam „esse adserit, quia de confessionis nostræ ver„bis aut condemnandi sumus aut judicandi, „talem futuri judicii benevolentiam recepturi, „qualem de cœlestis gloriæ Domino senten„tiam tenuerimus.„ Chrysostomus homil. XLIII. in Matth. "Otiosum est verbum, quod „rei propositæ non convenit, nihilque con„fert utilitatis, quod mendacio inquinat, quod „ad calumniam dicitur.„ Et postea: "Non „qui male audierunt, sed qui male dixerunt, „judicio subjecti sunt. His pericula immi„nent, hos cruciatus exspectant.„ Bernhardus serm. de tripl. custod. "Si de omni vel „otioso verbo, quodcunque locuti fuerint ho„mines, Deo sunt reddituri rationem in die „judicii, quanto districtius de verbo mendaci, „mordaci & injurioso, de elato vel lascivo, „de adulatorio aut detractorio judicabuntur? „Quam rationem de eo reddere poterimus, „quod est præter rationem? &c.„ 5.) In quo judicio & qualem rationem de verbo otioso reddendam fore Christus doceat, patet ex versu sequenti: *ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Ergo qui verbi otiosi remissionem in hac vita non sunt consecuti, propter illud in Dei judicio condemnabuntur. Salmeronius tom. VIII. tract. 16. p. 127. "Si quæras, quomodo verbi otiosi, id „est, ratione carentis possit reddi ratio? di„cendum est, quia de eo homines examina„buntur, & ratio exigetur, quam qui reddere „non poterit, condemnationem accipiet, juxta „illud apostoli: Vnusquisque nostrum pro se „rationem reddet Deo.„ Joh. Ferus in comm. p. 265. "Vides, aliud judicium esse divinum, „aliud humanum. Judicium enim humanum „tantum facta externa punit, cogitationes pu„nire nequit, otiosa verba ne mala quidem „esse judicat.„ Et postea: "Cum hic audia„mus districtum judicium futurum, ac videa„mus, nos propter innumera peccata non posse „subsistere coram Dei judicio, adcurramus „ad eum, cui Pater omnia dedit, & quan„to minus coram Dei judicio nos perfistere

„posse agnoscimus, tanto ardentius Christum „invocemus.

III) *Ex Luc. XVI 23. Dives epulo orat pro fratribus.*

§. CCLXXVII. III) Luc. XVI. 23. *Dives epulo videns Abrahamum a longe & Lazarum in sinu ejus*, v. 24. *orat, ut Lazarus in auxilium sibi mittatur, & linguam refrigeret aquæ guttulis.* Hunc locum itidem quidam ex pontificiis ad purgatorium adplicant, quod innuit Bellarminus, quando in sexto nov. test. loco inter cætera sic scribit: *Petrus Martyr ait, nos asserere, epulonem fuisse in purgatorio, cum ab Abrahamo auxilium petiit, sed catholici fere omnes epulonem in gehenna esse dicunt.* Si fere omnes, ergo non simpliciter omnes. *Resp.* omnes veteres divitem illum epulonem in gehenna, ex qua nulla patet liberatio, non in purgatorio quodam fuisse statuunt. 1.) Quia in peccatis usque ad finem vitæ suæ permansit, & sine pœnitentia mortuus est. 2.) Quia status ejus post mortem sic describitur, quod fuerit ἐν τῷ ἅδῃ καὶ ἐν βασάνοις v. 23. quod nec guttulam frigidæ impetrare potuerit, quod *cruciatus fuerit in flamma*, v. 24. & 25. 3.) Quia Abrahamus diserte dicit: *Chasma magnum firmatum est inter nos & vos, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*; v. 26. jam vero ex purgatorio juxta hypothesin pontificiorum patet transitus in cœlum. 4.) Quia aquam in linguæ refrigerium petit, & quia soli Lazaro *consolatio*, ipsi vero *cruciatus* transscribitur, v. 25. illud manifeste arguit, quod fuerit in loco, a quo omnis consolatio prorsus abfuit. At animæ in purgatorio ex hypothesi pontificiorum habent quamdam requiem & consolationem, cum de salute sua sint certæ. 5.) Nec Abraham nec Lazarus epuloni subsidium præstant; consequens igitur fuerit, animabus in purgatorio sudantibus nullum per vivorum vel sanctorum cum Christo regnantium suffragia subsidium præstari posse. Quod si ergo Bellarmino lib. II. de purgat. c. 15. §. *non secundum &c.* ex hoc loco licet probare, quod *animæ in purgatorio æstuantes orent pro viventibus*; licebit nobis ex eodem inferre, quod precibus illis nihil impetrent, quia epulonis preces ab Abrahamo prorsus respuuntur.

IV) *Ex Rom. XII, 13. Necessitatibus sanctorum communicantes.*

§. CCLXXVIII. IV) Rom. XII. 13. *Orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes.* Hunc locum apostolicum urget Salmeronius tom. XIV. disp. 25. p. 217. ubi merito aliquis miretur, qua arte chymica purgatorium ex his verbis apostoli extrahat! Progreditur hoc modo: „1.) Plerique, inquit, ex veteribus patribus „pro verbo *necessitatibus* legunt memoriis, „quia pro voce Græca μνείαις facile reponi „potuit χρείαις. 2.) Cum sermo esset de ora„tione, par erat, ut ad quos usque extende„retur caritas, & oratio eorum declararetur, „nempe ad mortuos usque. 3.) Quia idem „apostolus ad Hebr. XIII. videtur exhortari „ad memorias sanctorum defunctorum cele„brandas. Dixit enim: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum „Dei, &c.* ubi de præpositis jam mortuis in „Christo est sermo, & quia jubet eos in me„moria servare, intellige, ut precibus & elee„mosynis eos Deo offerant. 4.) Adparet ita „esse loquendum. Nam paulo ante dixerat „apostolus: *Qui tribuit in simplicitate*, scili„cet pauperibus, quod etiam ad communican„dum necessitatibus sanctorum pertinet, ut „non opus fuerit repetere, sanctorum necessi„tatibus communicantes, quia idem ipsum, quod „prius admonuerat, diceret. 5.) Vulgata ver„sio ad hunc sensum adplicari potest. Cum „enim legimus: *Necessitatibus sanctorum com„municantes*; quæ sint illæ necessitates, expli„cat lectio altera, quæ habet: *Memoriis san„ctorum communicantes.* Rursus cum legimus: „*memoriis sanctorum communicantes*; ex alte„ra lectione, quæ habet: *necessitatibus san„ctorum communicantes*, intelligimus hoc acci„piendum de necessitatibus eorum, qui pie „mortui sunt, quos opus est orationibus & „eleemosynis juvare. 6.) Patres ita legunt:

„Me-

„Memoriis sanctorum communicantes.„ Ambrosius in comm. Hilarius cont. Constantinum, Augustinus lib. II. contra Faustum cap. 21. Epiphanius hæres. LVII. Chrysologus serm. 120. *Resp.* mirum vero, Bellarminum, qui tam solicite omnia purgatorii fulcra conquisivit, hunc locum apostolicum prætermisisse. Sed procul dubio vidit, eum nihil ad rem facere. 1.) Græci codices omnes constanter legunt χρείας. 2.) Ita quoque vertit interpres Syrus ܠܣܒܝ ܩܘܬܢ. 3.) Versio Latina, cujus auctoritas ob concilii Tridentini decretum pontificiis est sacrosancta, legit *necessitatibus*. 4.) Græci & Latini interpretes plerique omnes lectionem, quæ habet χρείας, vel solam sequuntur, vel eam cum altera, quæ habet μνείας, conjungunt, teste Francisco Luca Brug. in adnot. 5.) In toto illo capite apostolus instruit christianos, quomodo erga vivos sese gerere debeant, non quid mortuis præstare teneantur. Quando ergo jubet, ut *necessitatibus sanctorum communicemus*; præcipit, ut eorum egestatem nostra beneficentia & facultatum communicatione sublevemus, 1. Cor. XVI. 1. nec dicit largientes aut dantes, sed κοινωνοῦντες, *communicantes*; est enim in eleemosynis quædam *communicatio*, 2. Cor. VIII. 13. *Sanctorum* inprimis meminit, quia illi inter cæteros vel maxime indigent, quippe quos mundus odio prosequitur, & bonis suis illos exuit. Addit statim præceptum de φιλοξενίᾳ, quia illo tempore sancti exuti fortunis omnibus sæpe vagi & extorres exsulabant. 6.) Si vel maxime legamus μνείαις, nondum accensum erit purgatorium. Sensus enim est, non tantum pauperibus, qui nobis præsto sunt, communicandum esse, sed illis etiam, qui absunt. Salmeronii ratiunculæ facili negotio dissolvuntur. 1.) Nisi fulmen concilii Tridentini incurrere velit, non poterit a vulgata lectione discedere. 2.) Scriptura nuspiam docet, ad mortuos orationem sese extendere debere. 3.) Quomodo memoriæ sanctorum celebrandæ sint, non nostro definiendum arbitrio reliquit apostolus, sed disertis verbis ibidem exposuit; *Quorum intuentes exitum conversationis imitemini fidem.* 4.) Per τὰς μεταδιδόντας v. 8. intelliguntur eleemosynarum præfecti, quia conjunguntur cum προϊσταμένοις. Est ergo hoc præceptum speciale, cui v. 13. subjungitur generale, quod omnes etiam privati debeant erga sanctos pauperes beneficentiam exercere. 5.) Et *memoriis & necessitatibus* sanctorum communicamus, si erga pauperes tum præsentes tum absentes beneficos nos exhibemus, etiamsi pro mortuis nulla sacrificia famelicis sacrificulis offerenda exhibeamus. 6.) Qui ex veteribus legunt, quod memoriis sanctorum communicandum sit, non ad sanctos mortuos, sed viventes illud adcommodant.

§. CCLXXIX. V.) 1. Joh. V. 16. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Hunc locum Johannes Roffensis, Salmeronius & alii pro purgatorio producunt, & ex eo colligunt, *pro mortuis, qui, dum viverent, peccarunt ad mortem, & minime illos pœnituit, non esse orandum: pro his vero, qui aliter peccarunt, & in vita & post mortem orandum esse, cum Deus ad exaudiendum illas preces sit paratus.* *Resp.* 1.) Plerique interpretes hoc dictum accipiunt de peccato in Spiritum sanctum, de quo Matth. XII. 31. Marc. III. 29. Luc. XII. 10. Hebr. VI. 4. X. 26. Dicitur id peccatum *ad mortem*, non solum, quia est peccatum mortale, hominem, qui illud committit, ipso actu reum æternæ mortis constituens, quo sensu etiam quævis delicta graviora contra conscientiam commissa dicuntur mortalia peccata; sed quia cum sit irremissibile, infallibiliter & immutabiliter secum trahit mortem, & quia per illud homo æternæ mortis nexibus ita constrictus & illigatus tenetur, ut ex illis liberari & explicari nequeat. Ex quo sequitur, quod pro tali peccato non sit orandum, quia Spiritus precum non debet frustra pro illis ingemiscere, quos in Spiritum san-

V) *Ex 1. Joh. V. 16. est peccatum ad mortem &c.*

sanctum irremissibiliter peccare constat. 2.) Quidam simpliciter accipiunt de *peccatis gravioribus* data opera ac destinata malitia sine rubore ac conscientiæ morsu admissis. 1. Joh. III. 9. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius manet in eo, nec potest peccare, quia ex Deo natus est*; ubi non de peccatis infirmitatis agitur, quibus singuli homines etiam renati in hac vita sunt obnoxii, 1. Reg. VIII. 46. Matth. VI. 12. sed de peccatis gravioribus contra conscientiam commissis, quando quis in peccatis ex præresi commissis indies volutatur, neque ea pro peccatis agnoscit, neque remissionem per pœnitentiam quærit, de quibus v. 8. dicitur: *Qui facit peccatum, est ex diabolo.* Ad mortem igitur peccare ac peccatum facere dicitur, qui impudenter, petulanter, audacter, nec Dei nec hominum conspectum reveritus, peccata contra conscientiam committit, eademque continuat, & illis delectatur, qui est *servus peccati*, Joh. VIII. 34. Rom. VI. 20. qui *desideria patris sui*, diaboli, *facit*, Joh. VIII. 44. ac *in peccato suo moritur*, v. 24. Pro talibus peccatoribus non est orandum, id est, preces publicæ & privatæ pro talibus peccatoribus fusæ carebunt effectu. Sed quia testatur experientia, quosdam ex gravissimis peccatoribus Dei misericordia converti, & quia Paulus præcipit, ut pro illis etiam, qui *diaboli laqueis captivi tenentur ad ipsius voluntatem*, per preces, institutiones & exhortationes soliciti simus, 2. Tim. II. 25. ideo quidam sententiam Johannis sic temperant, quod *incertum sit, an pro ejusmodi peccatoribus in summo gradu impiis fusæ preces quidpiam proficere possint.* Sic Jer. VII. 16. dicit Dominus ad prophetam: *Ne ores pro populo isto, non enim exaudiam te*; & tamen v. 3. ad pœnitentiam populum exhortatur. 3.) Sed enim cum absolute & simpliciter apostolus neget pro peccato illo *ad mortem*, de quo ibidem loquitur, esse orandum, ideo quidam ad doctrinam de excommunicatione hunc locum referre malunt; existimant enim peccata in eo conferri ad communionem ecclesiæ. Sunt quædam vitia, quæ etsi coram Deo peccata sint, propterea tamen non sunt abjiciendi a communione ecclesiæ sic peccantes, quorum in censu sunt fenum morositas, præceps quorumdam iracundia, eaque *non ad mortem* vocat Johannes. Sunt itidem alia peccata, quæ manifeste merentur excommunicationem, ut scortatio, cultus simulacrorum &c. ea autem vocat *ad mortem*, pro quibus non sit orandum, non quod nulla salus ejusmodi peccatoribus reliqua, si resipuerint, sed quod tales peccatores ferendi non sint in ecclesia, nec in communionem orationum publicam admittendi, donec repiscant, cujus sententiæ vestigia occurrunt apud Brentium hom. CV. in Luc. XII. & Heerbrandum in compend. de peccat. p. 283. 4.) Quidquid sit de explicatione hujus loci, purgatorium vel preces pro defunctis ex purgatorio liberandis fundendas pontificii nunquam poterunt ex hoc loco probare. Neque enim de peccatoribus vita functis, sed de viventibus, cum quibus in visibili ecclesia vivimus, quorum opera intuemur, apostolus loquitur, ut ipse verborum sonus clamat: v. 16. ἐάν τις ἴδῃ, *si quis viderit fratrem suum peccare non ad mortem.* Vulgata reddidit: *qui scit*; quod ad defunctos specie quadam fefe adcommodare posse existimarunt: sed Græcus textus manifeste contradicit. Patres communi suffragio de peccato in Spiritum sanctum commisso intelligunt, quod dicitur *ad mortem*, non quia usque ad mortem continuatur, quia hoc cum aliis peccatis ipsi commune est, quamvis finalis impœnitentia ipsi semper sit conjuncta; sed ob rationem superius expositam. 5.) Demus vero, dicti apostolici sensum esse illum: Pro illis, qui peccant ad mortem, id est, qui fidem, quæ per dilectionem operatur, usque ad mortem deserunt; Augustinus de corrupt. & grat. cap. 12. qui in finali impœnitentia ex hac vita discedunt; non est orandum. Ex eo vero inferri statim nequit: Ergo pro mortuis, qui non peccarunt ad mortem, est orandum, ut peccatum illis condonetur. Constat enim, argumenta a contrario sensu esse per se minimi ponderis, ac in theologia plane nullius, si scriptu-

scriptura adversetur. Sic recte dico, qui in peccato scortationis moritur, non fit æternæ salutis particeps; sed ex eo inferri nequit: Ergo reliqui omnes, qui non moriuntur in peccato scortationis, salutis æternæ participes reddantur.

2) *Ex conciliis & ecclesiæ consuetudine.*

§. CCLXXX. *Secundum* pro adstruendo purgatorio argumentum Bellarminus petit ex *conciliis & ecclesiæ consuetudine*, ubi profert concilium Carthagin. III. cap. 29. concilium Carthag. IV. cap. 79. concilium Bracarense l. c. 34. & cap. 39. concilium Cabilonense cap. *Visum est* dist. 1. de consecr. concilium Aurelianense II. can. 14. conc. Wormatiense cap. 10. conc. VI. sub Symmacho, synodos Græcorum a Martino Bracarensi collectas can. 69. quibus conjungit concilium Lateranense, Florentinum & Tridentinum. *Resp. Cabilonense* ac *Wormatiense* concilia nihil habent de precibus, missis ac oblationibus pro defunctis, multo minus de purgatorio quidquam decernunt. Sed Gratianus & eum secutus Bellarminus falso tale quid conciliis illis tribuunt. Concilia recentiora, præsertim *Lateranense & Tridentinum*, non moramur; in reliquis nihil aliud habetur, quam quod *preces pro defunctis* fuerint factæ, quodque commemoratio defunctorum in ecclesiæ precibus locum habuerit. Sed ex orationibus illis pro defunctis nondum probatur purgatorium: 1.) Quia ritus ecclesiæ destitutus expresso Dei verbo non potest introducere novum aliquod dogma ad salutem omnibus creditu necessarium. Jam vero preces pro defunctis nullum in vet. vel in nov. test. habent fundamentum. Tertullianus de coron. milit. cap. 4. p. 449. *Harum* (pro defunctis oblationum) *& aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies, traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix & fides observatrix.* Epiphanius hæres. LXXV. contra Aërian. ab *ecclesiæ statuto & consuetudine, non a dispositione Dominica* preces illas deducit. Et quid multis? fatetur ipse Ludov. Nogarola de apost. instit. trad. XXXII. *Orationes pro defunctis non esse ex scriptura, sed ex traditione.* Vnicus pro illis stabiliendis adfertur locus ex 2. Macc. XII. sed librum illum esse extra canonem, immotis argumentis demonstrari potest. Excipit Bellarminus ex Augustino de cura pro mort. cap. 1. *non parvam esse universæ ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritatem, ubi in precibus sacerdotis, quæ Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio defunctorum. Resp.* quantacunque sane sit ecclesiasticæ consuetudinis auctoritas, tamen non potest introducere novum fidei dogma, id quod pluribus in locis ipse Augustinus confirmat, quando scripturæ perfectionem adserit, & in fidei dogmatibus ad eam unice provocat. 2.) Quia orationes illæ pro defunctis partim a κακοζηλίᾳ gentilium, partim ab effectu humano ἐκ τῆς φυσικῆς στοργῆς erga defunctos amicos & cognatos, καὶ ἐκ τῶν πατρίων, ex consuetudine patria, in qua, qui ex gentilismo ad Christum conversi fuerant, educati, originem duxerunt sine ullo scripturæ vel præcepto vel suffragio. Tempore Maccabæorum sacrificia pro defunctis offerri cœperunt, sed patriarcharum, Mosis ac prophetarum tempore tale quid factum fuisse nuspiam legitur; unde ipse auctor libri Maccabæorum ad veterem hujus facti originem nos remittit. 2 Macc. IV. 10. Jason *ad gentiles ritus* contribules suos transferre cœpit. Vides mores gentilium in populum Judaicum receptos. 2. Macc. XII. 43. *sancta & salubris cogitatio.* Vides bonam intentionem & cogitationem extra præscriptum verbi susceptam. Tertullianus lib. de coron. milit. c. 3. oblationum pro defunctis annua die faciendarum meminit, in quem locum sic adnotat B. Rhenanus: *Anniversariorum sacrorum cum eleemosynis hic origo, quæ apud nos perpetua instituuntur.* Pessime id habent auctores indicis expurgatorii Belgici, ideo pro *origo* substitui jubent *antiquitas.* p. 81. Index expurgatorius Hispanicus p. 153. simpliciter ex Rhenano hoc *deleri* jubet. Idem Tertullianus lib. ejusd. cap. 4. ad bonam intentionem

nem harum oblationum originem revocat. *An non*, inquit, *putas, omni fideli licere concipere & constituere duntaxat, quod Deo congruat, quod disciplinæ conducat, quod saluti proficiat?* Excipit Bellarminus, *in privatis precibus hoc contingere posse, ut ex affectu naturali prorumpant, sed in publicis & solennibus ecclesiæ precibus, quæ maturo judicio sunt compositæ, & a concilio episcoporum adprobatæ, id non posse contingere.* Resp. quasi vero ipsimet episcopi vulgi consuetudini quandoque non indulserint, ac illo velut torrente fese abripi passi fuerint. Augustinus epist. CXIX. *propter vitanda nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala se liberius quædam non improbare fatetur.* Tract. VII. in Joh. *Cum caput tibi dolet, laudamus, si evangelium ad caput tibi posueris, non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta est infirmitas hominum, & ita plangendi sunt homines, qui currunt ad ligaturas, ut gaudeamus, quando videmus hominem in lectulo suo constitutum jactari febribus & doloribus, nec alicubi spem posuisse, nisi ut sibi evangelium ad caput poneret, non quia ad hoc factum est, sed quia prælatum est evangelium ligaturis.* Lib. XXII. de civ. Dei cap. 8. *Quidam terram sanctam Hierosolymis adlatam in cubiculum suum suspenderat, ne quid mali etiam ipse pateretur, cum maligni spiritus domum infestarent. Cumque domus ab illa infestatione purgata esset, cogitavit, quid de terra illa fieret, quam diutius in cubiculo suo reverentiæ causa habere nolebat. Accersivit episcopos proximos, petivit, ut terra illa alicubi infoderetur, atque ibi orationum locus fieret. Non restitimus, factum est.* Fatetur hoc ipse Melchior Canus lib. XI. loc. cap. 6. *Negare* (inquit) *non possumus, viros alioquin gravissimos in divorum præsertim prodigiis describendis sparsos rumores & excepisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse, qua in re aut nimium illi sibi, aut fidelium certe vulgo indulserunt.* 3.) Quia etiam alia cum mortuis vel pro mortuis egerunt, quæ imitationem non merentur. Bellarminus in hoc ipso loco: *Videntur aliqui Græci nimium voluisse juvare animas defunctorum; nam in concilio VI. can. 83. reprehenduntur illi, qui iis, qui sine communione sacra obierant, eucharistiam in os ingerere conabantur.* Idem colligitur ex concilio Carthag. III. can. 9. & ex conc. Hipponensi. Tertullianus lib. V. cont. Marcion. & in lib. de resurr. Ambrosius in comm. 1. Cor. XV. referunt, errorem illum, quo *quidam suscipiebant baptismum nomine alicujus amici defuncti, qui sine baptismo obierat*, ipso apostolorum tempore receptum, licet ab apostolis minime probatum fuisse. Gregorius lib. II. dial. cap. 24. refert, *Bened. eucharistiam pectori cujusdam monachi demortui imposuisse.* Augustinus lib. VIII. de civ. Dei cap. 27. *Quicunque epulas suas eo* (ad sepulcra martyrum) *deferunt, quod quidem a christianis melioribus non fit, & in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo, tamen quicunque id faciunt, quas cum adposuerint, orant & auferunt, ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum.* In enchirid. cap. 110. suspicatur, *orationes illas prodesse etiam defunctis impiis, ut fiat illis forte tolerabilior damnatio.* Chrysostomus hom. III. ad Philip. *ad pœnæ levamen eas prodesse* putat. Sed de animabus mortuorum quædam senserunt ac crediderunt, quæ sentienda & credenda non sunt, ut in quæstione de ψυχοπαννυχία videbimus. 4.) Quia commemorationes etiam eorum defunctorum faciebant, quos ad æternam requiem jamdum perveniſſe statuebant, utique ergo non pro liberatione eorum ex purgatorio orabant; sed commemorationes ac preces illæ fuerunt tum *publica testimonia* de beata requie & salute pie defunctorum, tum *institutiones & exhortationes viventium* ad fidei constantiam & exempla virtutum in defunctis proposita imitanda, tum *consolationes lugentium*, tum *declarationes pii erga defunctos affectus*, quo sensu ac respectu etiam apologia confessionis Augustanæ defunctorum memoriam fieri concedit. Demonstravimus id superius §. 213. ex Dionysio Areopag.

pag. Tertullianus lib. de coron. milit. *oblationes pro natalitiis martyrum & aliis defunctis annuatim fieri solitas* commemorat; at martyribus in purgatorio nihil est negotii. Cyprianus ep. XXXIII. *Tertullianus scribit & significat mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, & celebrantur hic a nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum.* Et postea: *Dies eorum adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.* Epist. LXII. de martyribus loquens: *Sacrificia pro eis semper, ut meminisse, offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebramus.* Hæ oblationes non instituebantur pro illis ex purgatorio liberandis, quia erant martyres, de quibus ibidem Cyprianus dicit, quod *palmas a Domino & coronas illustri passione promeruerint*; sed in memoriam eorum, quod per Christum omnia mundi adversa vicerint, & cœlestis gloriæ coronam adepti fuerint, qua de re B. Rhenanus in adnot. ad locum Tertulliani de martyribus sic scribit: „Quod dicit sacrificia pro martyribus offerri, „sic accipiendum, ni fallor, ut pro eis idem „valeat, quod pro commemoratione eorum; „nam id prioris loci mox citati verba aperte „continent, veluti passione sive commemora„tione passionis occasionem oblationibus & sa„crificiis dante. Quæ res inde nata videtur, „quod post symbolum decantatum & mutuam „pacis consalutationem nomina pie defuncto„rum conscripta in scheda, quam in altari po„nebant, recitabantur non sine laude & præ„conio virtutum, quæ in viventibus eluxe„rant. Gratulatoriæ ergo preces erant potius, „quibus tum Deo gratias agebant, qui marty„ribus eam gratiam & tantum dignationis con„tulisset, tum simile donum cœlitus sibi dari „concordibus votis flagitabant, ceu adhuc ca„nit ecclesia: Gaudeamus in Domino.„ Origenes in Job. lib. III. "Priores homines (gen„tiles) diem nativitatis celebrabant, unam vi„tam diligentes & aliam post hanc sperantes. „Nunc vero nos non nativitatis diem celebra„mus, cum sit dolorum atque tentationum in„troitus, sed mortis diem celebramus, quia „non moriuntur hi, qui mori videntur. Pro„pterea & memorias sanctorum facimus, & „parentum nostrorum vel amicorum in fide „morientium devote memoriam agimus, tam „illorum refrigerio gaudentes, quam etiam „nobis piam consummationem in fide postu„lantes.„ Gregorius Nazianzenus in oratione in laudem Cæsarii pro fratre defuncto sub finem orationis sic orat: "O Domine omnium „& creator, & præcipue hujus figmenti, o Deus „tuorum hominum & pater ac moderator, „o vitæ necisque ejus potestatem habens, o no„strarum animarum arbiter ac benefactor &c. „suscipe quæso nunc quidem Cæsarium.„ Ibidem tamen diserte addit: "Sapientum verbis „adducor, ut credam generosam omnem Deo„que caram animam, posteaquam corporis vin„culis soluta hinc excesserit, protinus bonum, „quod eam manet, persentientem & contem„plantem mirabili quadam voluptate adfici & „exsultare &c.„ In liturgia Chrysostomi sacerdos sic loquitur: Ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην λατρείαν ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυομένων προπατέρων, πατέρων, πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, κηρύκων, εὐαγγελιστῶν, μαρτύρων. At pro illis non potuit rogare, ut peccata ipsis remitterentur, & e purgatorio liberarentur. Ergo commemorationes illæ defunctorum non stabiliunt purgatorium. Homil. LXX. ad pop. Antioch. „Quid sibi volunt hymni? nonne glorificamus „Deum, & illi gratias agimus, quia jam de„functum coronavit, & a laboribus absolutum „penes se retinet?„ Homil. XXXII. in Matthæum: "Cur sacerdotes, ut pro eo (defun„cto amico vel cognato) velint orare, obse„cras? Non ignoro te responsurum, ut de„functus requiem adipiscatur, ut propitium „judicem inveniat. His ergo de rebus flen„dum atque ululandum arbitraris? nonne vides, „quod quam maxime tibi ipsi repugnas? Nam „cum illum abiisse in prata florentia putes, „ingentes tamen adversus ipsum suscitas tem„pestatis fluctus? sed heredem non habeo, in„quies,

„quies, nec quem rerum mearum conſtituam „ſucceſſorem. Non habes heredem ipſum, „ſed habet ipſum pro te Deus, non coheres „factus fratrum ſuorum, ſed factus eſt Chri„ſti coheres.„ Homil. XXI. in Act. "Mar„tyrum memores ſumus in ſacrificii oblatione „in fidem, quod non adhuc mortuus eſt Do„minus, id quod, quia devicit & occidit mor„tem, & hoc ſignum eſt, illam eſſe mortuam.„ Confer hom. XLI. in 1. Cor. XV. Epiphanius hæreſ. 75. ad quæſtionem Aërii: *Qua ratione poſt mortem nominatis nomina mortuorum &c.* reſpondet hoc modo: "Quid eo ma„gis utile, quid commodius & admiratione magis „dignum, quod credunt præſentes, quod hi, „qui deceſſerunt, vivunt, καὶ ἐν ἀνυπραξίᾳ οὐκ „εἰσὶν, ſed ſunt & vivunt apud Dominum. Item „auguſtiſſimum illud præconium idcirco fit, „quod ſpes eſt orantibus pro fratribus, velut „qui ſunt ἐν ἀποδημίᾳ, apud Dominum ſcili„cet 2. Cor. V. 8. Denique ut inter Chriſtum „& ſanctos diſcrimen conſtituatur, cum is vi„tam habeat a ſe ipſo, hi vero non niſi ab „ipſo & per ipſum.„ Cyrillus myſtag. V. ſignificat *pro ſanctis patribus & epiſcopis & omnibus defunctis oblationes & orationes fieri ſolitas.* Atqui illos omnes in purgatorium deſcendiſſe nemo dixerit. Ambroſius in orat. de obitu Valentiniani: "Beati ambo, (Valen„tinianum & Gratianum intelligit) ſi quid meæ „orationes valebunt, nulla dies vos ſilentio „præteribit, nulla inhonoratos vos mea tranſibit „oratio, nulla nox non donatos aliqua precum „mearum contextione transcurret. Omnibus „vos oblationibus frequentabo.„ In orat. de Theodoſii obitu: 'Da requiem Domine per„fectam Theodoſio, requiem illam, quam „præparaſti ſanctis tuis. Illuc convertatur ani„ma ejus, unde deſcendit, ubi mortis aculeum „ſentire non poſſit.„ Et poſtea: "Dilexi vi„rum, & ideo proſequar eum usque ad regionem „vivorum, nec deſeram, donec fletu & pre„cibus inducam virum, quo ſua merita vocant, „in montem Domini ſanctum, ubi perennis „vita, ubi corruptela nulla, contagio, nullus „gemitus, nullus dolor, nulla conſortia mor„tuorum, vera regio viventium.„ Ergone (inquies) Ambroſius precibus ſuis e purgatorio eos liberare, & in cœlum transferre cogitat? Imo vero inquit Ambroſius de obitu Valentiniani: "vita jam fruitur æterna, (Valentinianus) „vita ſanctorum non hic in terris eſt, ſed in „cœlo, (juſtis enim vivere Chriſtus eſt & mori „lucrum, quia & diſſolvi & cum Chriſto eſſe „multo melius) dolendum eſt, quod nobis cito „raptus ſit, conſolandum, quod ad meliora „tranſierit. Proſpicis nos (ait) ſancta anima, „de loco ſuperiore tanquam inferiora reſpi„ciens. Exiiſti de tenebris illius ſeculi, & ut „luna reſplendes, ut ſol refulges. (Ergo non „ex tenebricoſo purgatorii carcere intra terræ „viſcera concluſus proſpectat.) Nec nos qui„dem dubitemus de meritis Valentiniani, ſed „jam credamus vel teſtimoniis angelorum, „quod deterſa labe peccati ablutus adſcendit, „quem ſua fides lavit, ubi cum fratre conjun„ctus æterna fruitur voluptate.„ In orat. de obitu Theodoſii: "Et ille quidem (Theodo„ſius) abiit ſibi, regnumque non depoſuit, ſed „mutavit, in tabernacula Chriſti jure pietatis „adſcitus, in Hieruſalem ſupernam, ubi nunc „poſitus dicit: Sicut audivimus, ita & videmus „in civitate Dei noſtri. Ipſe ad Chriſti perve„niet requiem, qui humilitatem Chriſti fuerat „ſecutus &c. abſolutus dubio certamine fruitur „nunc luce perpetua, tranquillitate diuturna, „manet in lumine, & ſanctorum cœtibus glo„riatur, nunc ſe regnare cognoſcit, quando „in regno Domini Jeſu eſt, & conſiderat re„gnum ejus &c.„ Lib. II. epiſt. VIII. ad Fauſtin. de obitu ſororis ſcribens ait: "Eam non „tam deplorandam, quam proſequendam ora„tionibus, & animam ejus non tam lacrimis „eſſe mœſtificandam, quam oblationibus Deo „commendandam;„ addit etiam, *eam meliorem vitam exigere.* In liturgia Ambroſii: „Memento Domine famulorum famularum„que tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno „fidei, & dormiunt in ſomno pacis.„ Paulinus in epiſt. ad Pammach. laudat ipſum, quod *remediis ſalutaribus uxorem defunctam proſecutus eſſet*; ibidem tamen dicit, *defunctam ad Chri-*

Christum evocatam esse & placide dormire. Augustinus lib. IX. confess. cap. 13. "Nunc „pro peccatis matris deprecor te, exaudi me „per medicinam vulnerum nostrorum, quæ „pependit in ligno, & sedens ad dextram „tuam te interpellat pro nobis &c. Dimitte „Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea „in judicium. Sic perexultet misericordia ju„dicium.„ Mox vero sese reprimens & quasi corrigens subjungit: "Et credo, inquit, jam „feceris, quod te rogo, sed voluntaria oris „mei adproba Domine.„ Lib. XX. de civit. Dei cap. 9. "Piorum animæ mortuorum non „separantur ab ecclesia, quæ etiam nunc est „regnum Christi, alioquin nec ad altare Dei „fieret eorum memoria in communione cor„poris Christi. Cur enim fiunt ista, nisi quia „fideles, etiam defuncti, membra ejus sunt. „Quamvis ergo cum suis corporibus nondum „sint, jam tamen eorum animæ regnant cum „illo.„ Quandocunque ergo requiem defunctis pii veteres precantur; gratulantur illis de receptione animarum in cœlestem beatitudinem, testificantur, se illos, etiam defunctos, adhuc memoria & dilectione complecti, atque ad eorum in cœlo consortium adspirare; rogant Deum, ut continuet animabus defunctorum illam lucem & felicitatem, in quam sunt recepti, & corpora in terræ pulvere quiescentia ad vitam resuscitet. Sic Ambrosius in fine orat. de obitu Valentiniani: *Te quæso summe Deus, ut carissimos juvenes* (Valentinianum & Gratianum imperatores) *matura resurrectione suscites & resuscites, & immaturum hunc vitæ istius cursum matura resurrectione compenses.* Ipse auctor libri Maccab. preces illas ad spem resurrectionis adcommodat 2. Macc. XII. 44. *Nisi eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum, orare pro mortuis.* Excipit Bellarminus: *Si ecclesia defunctis precaretur id, quod putat jam eos consecutos, tum pro omnibus æqualiter oraret, etiam pro martyribus, quod tamen negat Augustinus tract. LXXXIV. in Joh. Resp.* in primitiva ecclesia etiam martyrum commemoratio facta est, ut ex Cypriano ostendimus, non ut illi pro viventibus orarent, vel ut ex purgatorio liberarentur, sed ut illorum exemplo viventes ad fidei constantiam excitarentur, ut de beata certaminis consummatione viventes ipsis gratularentur. De Ambrosio dicit, *quod speraverit, Theodosium jam esse in cælo; unde ipsi gratulabatur: quia vero non certo sciebat, an ita esset, pro illo orabat. Resp.* hoc distertis verbis Ambrosii repugnat, ut cuivis oppido conspicuum. 5.) Quia ipsimet pontificii agnoscunt, ex orationibus pro defunctis non posse certo & apodictice purgatorium probari. Innocentius III. cap. *cum Marthæ* §. ult. ext. de celebrat. miss. *Nonnulli antiquiores crediderunt, beatorum gloriam semper usque ad extremum Dei judicium augeri posse; indeque colligebant, licere ad Deum preces fundere pro gloriæ illius sanctorum incremento.* Cassander in consult. de iterat. miss. p. 219. fatetur, *veteribus nec de statu animarum, quibus suffragia prodessent, nec de ratione, qua prodessent, satis constitisse. Hoc tamen officium ceu testimonium caritatis erga defunctos & professionem fidei de immortalitate animarum & futura resurrectione Deo gratam & ecclesiæ utilem ipsos judicasse.* Sed quia Cassander in exiguo vel potius nullo apud jesuitas est numero, summis licet imperatoribus Ferdinando & Maximiliano magnus fuerit, cum Bellarminus lib. III. de laicis cap. 19. ex professo contra ipsum disputet; ideo produco Salmeronium, unum ex primis jesuitarum patribus. Is tom. XIV. disput. 25. p. 220. §. *Secunda &c.* inter cætera sic scribit: *Minus solida consequentia est: Pro aliquo oratur, ergo est in purgatorio; quia sæpe precationes fiunt pro eo, qui jam regnat in cælis, quandoque pro eo, qui punitur in gehenna, quandoquidem animarum status & conditio incerta nobis relinquitur.* Idem seq. disp. 26. explicans orationem, quæ in sacrificio missæ recitatur: *Domine Jesu Christe, rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu. Libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum &c.* sic scribit

pag. 235. *Audivi virum quemdam noſtri ordinis atque inſtituti, religione atque doctrina inſignem, novam quamdam rationem excogitaſſe, qua hæc plane elucidari poſſent. Dicebat enim, his verbis eccleſiam certam quamdam precandi rationem complecti, qua videlicet nihil novi a Deo petamus, ſed ea tantum, quæ jam actu facit Deus, & quæ ſemper faciet, & quæ aliter efficere non poteſt, etiamſi maxime velit, tamen ut illud faciat, ſerio rogamus &c. Sic oramus in precatione dominica: Sanctificetur nomen tuum, & fit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & uſque in ſeculum, quod tamen nunquam non ſanctificatur, & in æternum laudatur &c. Interdum orare ſolemus, ut ſanitatem, pacem, divitias, honorem, gratiamque largiri velit, quæ tamen nobis cumulate largitus eſt, & jam poſſidemus.* Huic ſimilem dicit eſſe gratulatoriam illam eccleſiæ precationem, qua petimus, *ut ſpiritus defunctorum liberi ſint ab ore leonis rugientis, ab abſorptione tartari, a præcipitio in obſcurum locum atque ab horrendo caſu in profundum, cum tamen ſciamus, ab illis omnibus eos per Dei gratiam eſſe liberos.* Atqui ſi jeſuitæ ad illam eccleſiæ precationem ſic reſpondere licuit, utique etiam nobis eadem reſponſione uti licebit, quod preces veterum pro defunctis ſint εὐχαριστικαὶ ac gratulatoriæ, quibus pie defunctis de eo, quod jam Dei benignitatem acceperunt, gratulantur; non autem quamdam ex purgatorii flammis liberationem illis impetrare velint. Bellarminus lib. II. de purgat. cap. 5. §. *Verum &c.* illam eccleſiæ orationem explicat de liberatione a rigore judicii extremi. *Etſi*, inquit, *animæ purgatorii acceperint primam ſententiam in judicio particulari, eaque ſententia liberæ ſint a gehenna, tamen adhuc ſupereſt judicium generale, in quo ſecundam ſententiam acceptura ſunt. Quocirca eccleſia orans, ne in judicio extremo animæ illæ cadant in obſcurum, neve abſorbeantur a tartaro, non orat pro re, quam accipit, ſed quam acceptura eſt.* Atqui eodem modo ad orationes veterum pro defunctis reſpondere poſſumus, quod videlicet beatam corporum reſurrectionem & liberationem a rigore extremi judicii, non liberationem ex purgatorio reſpiciant. Idem Bellarminus lib. I. de ſanct. beat. cap. 2. adducit locum Innocentii III. cap. *Apoſtolicam* ext. de presbytero non baptizato, ut probet, fideles ante diem judicii Dei viſione frui. Verba Innocentii ſic habent: *Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, presbyterum, quem ſine unda baptiſmatis, extremum diem clauſiſſe ſignificaſti, quia in ſanctæ matris eccleſiæ fide & Chriſti nominis confeſſione perſeveraverit, ab originali peccato ſolutum, & cæleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum abſerimus incunctanter.* Atque idem Innocentius pro eodem presbytero *preces & oblationes* fieri jubet. Statim enim addit: *Sopitis igitur quæſtionibus, patrum ſententias teneas, & in eccleſia tua juges preces hoſtiaſque Deo offerri jubeas pro presbytero memorato.* Quod ſi ergo Bellarminus Innocentii auctoritate ſtare velit, agnoſcere cogitur, ex precibus pro defunctis non poſſe probari purgatorium.

§. CCLXXXI. *Tertium* argumentum Bellarminus petit ex *patribus Græcis & Latinis*, ubi ad ſtabiliendas preces pro defunctis producit ex *Græcis* Clementem Rom. lib. VIII. conſtit. cap. 48. Dionyſium de eccl. hierarch. part. 3. c. 7. Athanaſium q. 34. ad Antioch. Baſilium Liturg. Nazianzenum in orat. in Cæſarium, Ephremum in teſtam. Cyrillum catech. V. myſtag. Euſeb. lib. IV. de vit. Conſtant. Epiphanium hær. LXXV. Chryſoſtomum homil. XLI. in 1. Corinth. hom. LXIX. ad pop. hom. XXXII. in Matth. & LXXXIV. in Joh. hom. III. in epiſt. Philip. & XXI. in acta apoſt. Theodoretum lib. V. hiſt. cap. 26. Theophylactum in Luc. XII. Damaſcenum lib. de iis, qui in fide migrarunt. Ex *Latinis* Tertullianum de coron. milit. & lib. de monogam. de exhortat. caſt. Cyprianum lib. I. epiſt. IX. Ambroſium lib. II. epiſt. VIII. orat. de obit. Theodoſ. Valentiniani & Satyri, Hieronymum in epiſt. ad Pamm. Paulinum in ep. ad Pamm. Delph.

3.) *Ex patribus.*

Delph. & Amandum, Auguſtinum de cura pro mortuis c. 2. & 4. in ench. c. 110. lib. IX. confeſſ. c. 13. ſerm. de verb. apoſt. 17. & 34. lib. XXI. de civ. Dei cap. 24. tract. LXXXIV. in Joh. q. 2. ad Dulcit. de hæreſ. cap. 53. Gregorium lib. IV. dialog. cap. 55. & 50. Iſidorum lib. I. de offic. divin. cap. 18. Victorinum lib. II. de perſecut. Vandal. Bernhardum ſerm. LXVI. in Cant. & Petrum Cluniacenſem lib. contra Petrobruſianos. Illis poſtea ſubjungit dicta veterum, in quibus apertiſſime purgatorium adſerant, ubi producit Nyſſenum in orat. pro mort. Ambroſium in Pſalm. XXXVI. Auguſtinum lib. XXI. de civit. Dei cap. 16. & 24. hom. XVI. ex lib. L. homiliar. lib. II. de Geneſ. cont. Manich. cap. XX. & in Pſalm. XXXVII. Hieronymum in fine comment. in Eſaj. Gregorium lib. IV. dialog. cap. 39. & in Pſalm. III. pœnitent. Origenem hom. VI. in Exod. Nazianzenum orat. in ſanct. lumin. Baſilium in Eſaj. IX. Euſebium Emiſſenum hom. III. de Epiphan. Theodoretum in ſcholiis 1. Corinth. III. Oecumenium ibid. Tertullianum lib. de anim. cap. 17. Cyprianum lib. IV. epiſt. II. Hieronymum lib. I. cont. Pelag. Paulinum epiſt. I. ad Amand. Boëtium lib. IV. proſ. 4. Iſidorum lib. I. de div. offic. cap. 18. Bedam in Pſalm. XXXVII. Petrum Damianum ſerm. II. de D. Andrea. Anſhelmum 1. Cor. III. Bernhardum ſerm. de obit. Humb. Lactantium lib. VII. c. 21. Hilarium in Pſalm. CXVIII. *Reſp.* de dictis illis patrum adcurate & prolixe egit Chemnitius in exam. concil. Tridentini part. III. in cap. de purgat. ad quem lectorem remittimus; interim breviter monemus: 1.) Patrum opiniones extra ſcripturam non poſſe condere fidei articulum. 2.) Multa in ſcriptis veterum occurrere, quæ purgatorium prorſus evertunt, quorum quædam adduximus ſuperius. 3.) In priore dictorum catalogo nihil aliud haberi, quam quod in eccleſiæ precibus & euchariſtiæ celebratione defunctorum facta fuerit commemoratio, ex qua non poſſe accendi purgatorium, jam ante oſtendimus. 4.) Bellarminum nothis, adulterinis & ſuppoſititiis ſcriptis tanquam genuinis & probatis uti. Pertinent ad hanc claſſem *conſtitutiones Clementis*, (de quibus ipſe Bellarminus in lib. de ſcript. eccleſ. p. 59. dicit, *ſe nihil certi habere, ac plurimos in eis errores* adnotat, lib. II. de Rom. pontif. cap. 2. §. 26. libros *recognitionum Clementis* vocat apocryphos, quod de conſtitutionum libris etiam ſentiendum eſſe in lib. de eccleſ. ſcript. manifeſte adſerit; Baronius ad annum 102. eosdem inter apocrypha rejicit, quod judicium veriſſimum eſſe probat veterum teſtificatio, contentorum conſideratio, & recens illarum conſtitutionum editio.) *Dionyſii Areopagitæ hierarch. eccleſ.* (cujus libros ut ſuppoſititios repudiant Cajetanus & Eraſmus in cap. 17. ſletor. Sixtus Senenſis lib. VI. adnot. 219. & ſuo loco in patrologia illud late demonſtrabimus ex *ſtyli ratione*, ex *prætermiſſa eorum a veteribus mentione*, ex *temporis ſupputatione*, ex *contentorum adcuratiore conſideratione*, ex *graviſſimorum auctorum teſtificatione.*) *Athanaſii quæſtiones ad Antiochum*, (quas Athanaſii non eſſe agnoſcunt Sixtus Senenſis in præfat. biblioth. Cornelius a Lapide in Geneſ. IV. quinimo ipſe Bellarminus lib. de ſcript. eccleſiaſt. aliquot argumentis id ipſum probat.) *Liturgia Baſilii*, (in qua habetur τρισάγιον centum plus minus a Proclo archiepiſcopo Conſtant. receptum, fit mentio thurificationis, qui ritus Baſilii tempore incognitus dicitur ἀντίδωρον, panem benedictum officio peracto iis, qui non communicaverant, diſtribuendum, quod Græcæ eccleſiæ illo ſeculo ignotum &c.) *Euſebii Emiſſeni homil. de Epiphan.* (eas eſſe ſuppoſititias docent Sixtus Senenſis lib. IV. tit. Euſeb. & ipſe Baronius ad annum 441. Bellarminus de ſcript. eccleſ. p. 217. non putat eſſe improbabile, quod homiliæ illæ, quæ Euſebio Emiſſeno tribuuntur, ſint Fauſti, abbatis Lyrinenſis,) *Gregorii Nyſſeni oratio de dormientibus*, (quæ continet quædam Origenica ab ipſo Nyſſeno orat. XII. in Cant. repudiata.) *Damaſceni oratio de his, qui in fide dormierunt*, (de qua ipſe Bellarminus lib. II. purg. c. 8. §. *prima &c.* ſic ſcribit: *Librum illum non eſſe Damaſceni, facile probari*

bari poteſt. Nam in eo libro auctor non ſolum dicit, Trajanum & Falconillam ab inferno damnatorum ad regnum cœlorum tranſiviſſe, ſed etiam multos alios, qui in infernum deſcenderant, quia fide divina caruerint, a Chriſto converſos & ſalvatos, quando ad inferos deſcendit, quod & per ſe erroneum eſt & contrarium verbis Damaſceni lib. II. de fide cap. 4.) De *Gregorii dialogis* itidem quidam dubitant, an ſint Gregorii magni; continent enim fabulas & nugas tanto viro indignas, articulos fidei ex revelationibus confirmant, ſcripti ſunt ſtylo barbaro, & continent ea, quæ adverſantur genuinis Gregorii ſcriptis. Platina in Sabiniano & Johannes Diaconus in vita Gregorii memorant, quod *Sabinianus, qui Gregorio proxime ſucceſſit, libros ejus, quantum potuit, combuſſerit*; facile igitur fieri potuit, ut hi in eorum locum ſubſtituerentur. Ejusdem farinæ vel potius furfuris ſunt alia quædam ſcripta, quibus Feuchtius, ſuffraganeus Bambergenſis, & alii pontificii in cauſa purgatorii utuntur, utpote *epiſtola Cyrilli ad Auguſtinum de miraculis Hieronymi, Auguſtini liber de vera & falſa pœnitentia, ſermo ejusdem de commemoratione omnium defunctorum.* 5.) Bellarminum eorum auctoritatem nobis opponere, quos ipſe parvi æſtimat, imo repudiat. Producit contra nos librum *Tertulliani de corona militis.* At ipſe in lib. de ſcript. eccleſ. dicit, quod *Tertullianus hunc librum ſcripſerit jam factus Montaniſta.* Ipſum auctorem hiſce elogiis ornat, *quod in multis & magnis rebus erraverit, quod more ſuo & hæreticorum non bona fide recitet ſententiam catholicorum, quod calumnias & mendacia admiſceat, ut eam odioſe proponat, quod ſit catholicorum hoſtis & hæreticus, quod ſit ab eccleſia cum hæreſiarcha Montano damnatus.* Confer lib. I. de Chriſto cap. 6. lib. IV. de Rom. pontif. cap. 8. de ſanct. beatitud. cap. 1. de ſacr. confirm. cap. 1. lib. V. de grat. & lib. arbitr. cap. 26. lib. II. de bon. oper. c. 9. & c. 13. &c. Producit contra eos *Origenem*, quem lib. IV. de not. eccleſ. cap. 21. *in catalogum hæreticorum* ponit, lib. III. de amiſſ. grat. cap. 3. *eum more ſuo ad allegoriam omnia, quæ abſurda illi videbantur, transferre* ſcribit, lib. II. de purgat. cap. 1. *errorem aliquem de purgatorio ſine ulla excuſatione aut commoda explicatione tenuiſſe* adſerit, lib. I. de Chriſto cap. 10. *apertiſſimas blasphemias contra Filium & Spiritum ſanctum in ſcriptis ejus exſtare* docet, lib. II. de purgat. c. 8. §. *Septimum &c.* ex libro, qui vocatur *pratum ſpirituale*, a ſeptima ſynodo citato, adducit revelationem, *in qua viſus eſt Origenes in gehenna ignis cum Ario & Neſtorio*, & addit ſynodum V. cap. 11. *anathema dicere Origeni ſicut Ario, Neſtorio & cæteris hæreticis.* 6.) Patrum de igne purgatorio ſententiam a pontificia plurimum diſcrepare. Bellarminus lib. II. de purgat. cap. 1. *Quidam putarunt, purgari debere poſt hanc vitam tam bonos, quam malos, excepto uno Chriſto. Hæc ſententia tribui ſolet Alcuino; ſed videtur eſſe non ejus ſolum, ſed multorum patrum, puta Origenis,* hom. XIV. in Luc. & in Pſalm. XXXVI. *Ambroſii* in Pſalm. XXXVI. & CXVIII. ſerm. XX. *Hilarii* in Pſal. CXVIII. *Lactantii*, lib. VII. div. inſtit. c. 21. *Hieronymi*, in c. 7. *Ruperti*, lib. III. in Gen. cap. 32. *Hæc ſententia* (inquit Bellarminus) *accepta ut ſonat, manifeſtum errorem continet.* Conatur quidem illorum verba ad bonum ſenſum reducere, ut per *ignem* non intelligant ignem purgatorium, ſed ignem divini judicii. At repugnat manifeſtus verborum ſonus, & Bellarminus fugiens carbonariam incidit in caleariam. Si enim patres illi non de igne purgatorio, ſed de *igne divini judicii* loquuntur, fruſtra in ipſorum dictis purgatorii pontificii favillæ quæruntur. Aliter igitur reſpondet Bellarminus, quod illi patres per verum ignem purgatorii ſanctos tranſire ſtatuant *ſine ulla læſione.* At hoc ipſum etiam repugnat pontificio purgatorio, quippe quod non eſt ſanctis & juſtis, ſed mediocriter bonis duntaxat paratum. Percurramus breviter quorumdam patrum dicta. *Gregorius Nyſſenus*, quem primo loco Bellarminus producit in orat. pro dorm. *igne illo omnia ſcelera & omnes malos purga-*

purgari credidit. Hilarius in Pſalm. CXVIII. & *Lactantius* lib. VII. inſtit. cap. 21. de tali igne loquuntur, *quem etiam juſti, etiam ſanctæ Deiparæ, ſint ſenſuri. Ambroſius* in Pſalm. XXXVI. expreſſe dicit: *Omnes igne examinabuntur. Igne purgabuntur filii Levi, igne Ezechiel, igne Daniel.* Serm. XX. Pſalm. CXVIII. *Omnes oportet tranſire per flammas, ſive ille Johannes evangeliſta ſit, ſive Petrus.* At pontificii docent, purgatorium non eſſe omnibus metuendum. *Hieronymus* in Eſaj. LXVI. lignum, fœnum & ſtipulam dicit fore pabulum ignis ſempiterni. At pontificii docent, ea fore pabulum ignis temporalis in die judicii ſiniendi. *Origenes* eos, qui *hanc vitam in flagitiis & facinoribus & ſacrilegiis & impietatibus, quamvis maximis finierunt, purgatos ac liberatos regno Dei lucique reſtitui debere* docuit, teſte Auguſtino de hæreſ. c. 43. at hoc purgatorium pontificiis non probatur. Hom. VI. in Exod. *veniendum eſſe omnibus ad ignem & ad conflatorium* adſerit. Sed nec hoc pontificiis placet. Cæterum, ut purgatorius ille ignis, quem Origenes, Hilarius, Lactantius & alii ex veteribus ſtatuunt, a pontificio purgatorio plurimum diſcrepat; ita quoque alia ex veteribus pro ſua ſententia adducunt, quæ nihil minus, quam pontificium purgatorium confirmant. Tantum non triumphant in illo Cypriani ep. LIX. *Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam pervenire, aliud miſſum in carcerem non exire inde, donec ſolvat noviſſimum quadrantem: aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatuum emendari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia paſſione purgaſſe.* At ſi ſcopum & contextum illius epiſtolæ reſpiciamus, res omnis erit in aprico. Tractat Cyprianus in tota illa epiſtola de *ſatisfactionibus eccleſiaſticis ſive canonicis*, quæ in *hac vita* peraguntur, non autem poſt mortem abſolvuntur. Obvertebant Cypriano: Si diſciplinæ rigorem laxaveris, ſi pacem eccleſiæ lapſis pœnitentibus obtuleris, nullos amplius habebimus confeſſores, nullos martyres &c. Imo vero, inquit Cyprianus: *Lapſi ad veniam ſtant, ac velut in carcerem quemdam miſſi pro peccatis, longo dolore cruciatuum emendantur, ac diuturno quaſi igne purgantur, antequam pacem eccleſiæ conſequantur. At martyres & confeſſores protinus ad gloriam perveniunt, fidei ac virtutis ſuæ mercedem ſtatim accipiunt &c.* Quod autem ſatisfactiones illæ in hac duntaxat vita locum habeant, diſertis verbis ibidem Cyprianus adſtruit. *Apud inferos* (inquit) *confeſſio non eſt, nec exomologeſis fieri poteſt; qui ex toto corde pœnituerint & rogaverint, in eccleſiam debent interius ſuſcipi.* Adde, quod ſatisfactiones illas canonicas moribundis remittebant, non facturi utique, ſi eas in purgatorio abſolvi poſſe judicaſſent. *Si qui fuerint*, ait idem epiſt. XLVIII. *periculo præventi & in exitu conſtituti, vigilantia veſtra non deſit implorantibus divinam gratiam, miſericordia Domini non denegetur, nimirum ut* juxta Dionyſium Alexandrinum apud Euſebium lib. VI. hiſt. cap. 36. *cum pace dimiſſi & peccato eorum deleto bona ſpe confirmati & εὐελπίδες ex hac vita diſcedant. Gregorius Nazianzenus* orat. in ſanct. lumin. *quosdam in altero ſeculo igne baptizandos* dicit; ſed ut recte monet interpres Nicetas, per ignis baptiſmum intelligit *examen cenſuramque extremi judicii.* Auguſtinus in ench. cap. 110. *etiam malis orationes prodeſſe* cenſuit, *ut tolerabilior illis fiat damnatio.* Idem videtur Chryſoſtomo hom. III. ad Philip. At pontificii ſtatuunt, non damnatis, ſed in purgatorio æſtuantibus eas prodeſſe. *Theodoretus* in comm. 1. Cor. III. *per ligna, fœnum, ſtipulam* dicit ea ſignificari, *quæ ſunt virtuti contraria*, quibus paratus eſt ignis gehennæ, quod pontificiæ explicationi iſtius loci vel maxime adverſatur. *Theophylactus* in Luc. XII. *Oblationes pro defunctis etiam illis conducere* adſerit, *qui in gravibus delictis mortui ſunt.* Sed pontificii ſtatuunt, illis duntaxat oblationes conducere, qui in levibus ac venialibus delictis moriuntur. *Damaſcenus* in orat. de dorm. *etiam ex inferno damnatos per quorumdam preces liberatos fuiſſe* memorat, id quod hypotheſi pontificiorum repugnat.

Plerique ergo teſtes paulo antiquiores, quos Bellarminus cauſæ ſuæ patronos adſciſcit, nequaquam illud ſentiunt ac deponunt, quod eos ſentire opinatur, ſed de igne purgatorio diverſam, quandoque etiam adverſam a pontificiorum hypotheſibus ſententiam proferunt. 7.) Auguſtinum, qui primus inter Latinos de purgatorio igne diſputare cœpit, de hac quæſtione eſſe dubium atque incertum. Lib. de fide & operibus cap. 16. *Sive in hac tantum vita homines iſta patiuntur, ſive etiam poſt hanc vitam talia judicia ſubſequuntur, non abhorret, quantum arbitror, a ratione veritatis iſte intellectus hujus ſententiæ*, ut ſcilicet per ignem 1. Cor. III. doloris ignis intelligatur. Idem repetit in octo quæſt. ad Dulcit. q. 1. & diſerte addit q. 3. "Iis, quæ deſcripſimus, ita noſtra vel aliorum exerceatur vel „erudiatur infirmitas, ut tamen in eis nulla „velut canonica conſtituatur auctoritas.„ In enchir. cap. 69. "Tale aliquid etiam poſt hanc „vitam fieri incredibile non eſt, & utrum ita „ſit, quæri poteſt.„ (quod ſcilicet etiam poſt hanc vitam purgatorius ignis fœnum & ſtipulas urat.) Lib. XX. de civ. Dei cap. 25. "Ex „his, quæ dicta ſunt, (ex Malach. III.) videtur evidentius adparere, in illo judicio quasdam quorumdam pœnas purgatorias futuras.„ Et poſtea: "Niſi forte ſic eos dicendum eſt „emundari a ſordibus, & eliquari quodammodo, cum ab eis mali per pœnale judicium ſeparantur, ut illorum ſegregatio atque damnatio purgatio ſit iſtorum, quia ſine talium de „cætero commixtione victuri ſunt &c. Verum „iſta quæſtio de purgatoriis pœnis, ut diligentius pertractetur, in tempus aliud differenda eſt.„ Lib. XXI. de civit. Dei cap. 26. „Poſt illius ſane corporis mortem, donec ad „illum veniatur, qui poſt reſurrectionem corporum futurus eſt damnationis & remunerationis ultimus dies, ſi hoc temporis intervallo ſpiritus defunctorum ejusmodi dicuntur ignem perpeti, quem non ſentiant illi, qui non habuerunt tales mores & amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna & fœnum & ſtipula conſumatur; alii vero ſentiant, qui ejusmodi ſecum ædificia portaverunt, ſive ibi tantum, ſive hic & ibi, ſive ideo hic, ut non ibi, ſecularia, quamvis a damnatione venialia concremantem ignem tranſitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, quia forſitan verum eſt. Poteſt quippe ad iſtam tribulationem pertinere etiam ipſa mors carnis &c. poſſunt & perſecutiones eccleſiæ, quibus martyres coronati ſunt, & quas patiuntur quique chriſtiani &c. erit etiam in fine ſeculi tribulatio tempore antichriſti, qualis nunquam antea fuit.„ (Quod per illam loquendi formulam: *non redarguo, quia forſan verum eſt*; noluerit ſtabilire purgatorium, patet ex ſimili formula cap. 24. ubi de mitigatione pœnarum infernalium ſic loquitur: *Quod quidem non ideo confirmo, quia non reſiſto.*) Libr. ejusd. cap. 27. "Quis ſit iſte modus, & quæ ſint ipſa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen ſanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum eſt invenire, periculoſiſſimum definire. Ego certe usque ad „hoc etiam tempus, cum inde ſatagerem, ad „eorum indaginem pervenire non potui.„ At pontificii tanta fidei certitudine purgatorium credendum adſerunt, *ut æterno igne eum cruciandum adſerant, qui iſtud negaverit*; quod ab Auguſtini dubitatione plurimum diſcrepat. Excipit Bellarminus, *Auguſtinum dubitare non de pœna animarum, ſed de modo & qualitate, an ignis purgatorius ſit idem ſubſtantia cum igne gehennæ, & an poſt hanc vitam urantur animæ igne illo doloris de amiſſione temporalium, quo hic uri ſolent, cum rebus valde dilectis carere coguntur. Reſp.* imo vero Auguſtini verba diſerte teſtantur, ipſum non ſolum de modo & qualitate, ſed etiam de ipſis pœnis poſt hanc vitam dubium fuiſſe. *Tale*, inquit, *aliquid etiam poſt hanc vitam fieri incredibile non eſt, & utrum ita ſit, quæri poteſt.* Item: *Si ſpiritus defunctorum ejusmodi ignem perpeti dicuntur, non redarguo, quoniam forſan verum eſt.* Dubitat Auguſtinus, quænam ſint illa peccata, quæ perventionem ad regnum Dei impediant, antequam

tequam purgentur; sed pontificii audacter definiunt, quæ & qualia illa sint, quibus suffragiis expiari, quove igne ablui possint?

1) *Ex discrimine peccatorum.*

§. CCLXXXII. *Quartum* argumentum producit Bellarminus ex *rationibus*, ad quas in genere respondemus: Articuli fidei probandi sunt ex tabulis fidei & ex proprio theologiæ principio, ex sacris scilicet literis, non ex rationis nostræ placitis. Quia vero quidam ex illis rationibus videntur niti principiis fidei, ideo breviter singulas ponderabimus. *Prima* ratio ducta est ex *discrimine peccatorum. Quædam peccata sunt venialia, solaque temporali pœna digna. At fieri potest, ut cum solis talibus homo decedat ex hac vita; igitur necesse est, in alia vita posse purgari. Resp.* 1.) Omnia omnino peccata esse *sua natura mortalia* ac æterna pœna digna in tract. de pecc. actual. §. 93. late demonstratum fuit; falsa est igitur argumenti hypothesis. 2.) Venialia illa peccata, cum quibus & in quibus renati moriuntur, fide in Christum ipsis condonantur, ut propter ea non sint illis metuendæ purgatorii flammæ. Rom. VI. 7. *Qui mortuus est, justificatus est a peccato*, hoc est, absolutus, liberatus ac purgatus, sicut τὸ δεδικαίωται exponit Basilius in orat. de bapt. Christi tom. I. p. 460. Rom. VIII. 1. *Nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo.* 1. Joh. I. 7. *Sanguis Christi mundat nos ab omnibus peccatis.* 3.) Salmeronius tract. XIV. disp. 26. p. 228. disputat, *per infirmitates & dolores mortis, quas quisque fidelis patienter in fide & caritate tolerat, animum purgari a reliquiis peccatorum.* Atqui dolores isti mortis sunt omnibus fidelibus communes. Ergo per illos reliquiis peccatorum sufficienter purgabuntur, ut nullo alio opus sit igne purgatorio. Quod Salmeronius addit, *non esse prorsus certum, an quisque fidelis in totum purgetur, ut Lazarus, an ex parte, ut reliqui omnes, qui hinc decedunt.* Item: *verisimilius & probabilius esse, non semper, nec necessario omnes peccati reliquias in morte exsolvi*, in eo petit principium; unde enim illud probat? *Quoniam* (inquit) *si omnia expurgaret mors, frustra esset purgatorium, frustra essent orationes & oblationes vivorum pro defunctis, frustra essent suffragia & indulgentiæ.* At de eo ipso quæritur, an detur purgatorium, an prosint defunctis orationes, oblationes, suffragia, indulgentiæ? Nos sic inferimus: Si dolores mortis in quibusdam fidelibus purgant peccati reliquias, utique eumdem effectum etiam in reliquis obtinebunt. 4) Bellarminus ex ratione infert, *peccata venialia post hanc vitam purgari oportere.* Atqui rationi videtur ἄτοπον, propter peccata venialia, (quæ juxta pontificiorum hypothesin non sunt contra, sed tantum *præter legem*, de quibus juxta eorumdem opinionem non est necessarium agere pœnitentiam, quæ per aquæ benedictæ adspersionem ablui possunt) talem ac tantam in igne purgatorio sustinere pœnam, quæ sola duratione a damnatorum pœnis differat. Si enim hæc sunt venialia peccata, hoc est, ut ipsimet explicant, *venia ex se digna*, cur tam atrocibus suppliciis in dilectis suis filiis Deus eadem punit? 5.) Qui in hac vita ante mortem non consequitur peccatorum suorum remissionem, ille moritur sub ira Dei, sub maledictione legis, sub reatu æternæ damnationis, nec ullam in purgatorio potest sperare peccatorum ablutionem, quippe quam tota scriptura sacra ad hujus vitæ cursum ac terminum restringit. Damascenus lib. II. de orth. fid. cap. 4. *Quod fuit angelis casus, id hominibus mors est.* 6.) Scriptura soli sanguini Christi, in verbo evangelii & in sacramento baptismi per fidem nobis adsperso & in sacra cœna nobis ad bibendum exhibito, vim purgandi peccata tribuit; nuspiam vero purgatorio cuidam igni hasce partes demandat. Quisquis ergo per fidem est in Christo, ille merito & efficacia sanguinis Christi a peccatis absolvitur ac purgatur; quisquis sine pœnitentia & fide in Christum decedit, ne minimi quidem peccati remissionem post hanc vitam sperare poterit.

II) *A debito pœnarum temporalium.*

§. CCLXXXIII. *Altera* ratio desumta est a *debito pœnarum temporalium. Cum reconciliantur Deo peccatores, non dimittitur semper cum peccato etiam pœna temporalis. At potest fieri, & sæpe fit, ut in tota vita aliquis non satisfecerit plene pro temporali illa pœna. Ergo necessario statui debet purgatorium, in quo pœnas temporales adhuc residuas toleret. Resp.* 1.) Ostendimus superius §. 200. remissis peccatis etiam pœnas proprie sic dictas condonari; falsa est igitur argumenti hypothesis. 2.) Pro nulla peccati pœna, sive in hac sive in futura vita nos ipsi satisfacere possumus, quia quodlibet peccatum, etiam minimum, meretur infinitas pœnas, & soli Christo hæc dignitas competit, quod pro peccatis nostris & peccatorum nostrorum pœnis satisfacere potuerit, ac perfecte etiam satisfecerit. 3.) Calamitates illæ temporales, quas Deus reconciliatis quandoque imponit, quæque *pœnarum* nomine generalius accepto indigitantur, non extendunt se ultra hujus vitæ terminum, sed cum hac vita finiuntur, quia post hujus vitæ tempus succedit æternitas, ut superius fuit demonstratum. 4.) Si quod pœnarum temporalium debitum adhuc supereſt, illud omne in morte, communi illo naturæ corruptæ debito, persolvitur. Excipit Bellarminus, *mortem esse pœnam peccati originalis, ideo pro actualibus debere inveniri aliam pœnam.* Atqui ex Salmeronio audivimus, etiam actualium peccatorum reliquias per infirmitates & dolores mortis expurgari. Nec originalis solum, sed etiam actualium peccatorum pœna est mors temporalis, ut ex evidentibus scripturæ dictis constat. Disputat ipse Bellarminus lib. I. de purgat. cap. 8. *mortem latronis durissimam potuisse juste in plenam satisfactionem reputari.* 5.) Eos, qui in fide hinc decedunt, non pœnarum persolvendarum debito obstringi, sed ad pacem, quietem & gaudium pervenire, Spiritus sanctus testatur; huic Spiritus sancti judicio ac testimonio non debent præferri argutiæ rationis humanæ. 6.) Si rationem consulere velimus cum Bellarmino, absurdum illi potius videbitur, Deum remissa culpa adhuc infligere pœnam, cum pœna non nisi ob culpam infligatur; Deum remittere pœnas æternas, & non remittere pœnas temporales, cum is, qui condonat debitum majus, non consueverit exigere minus. 7.) Si propter Christi satisfactionem liberamur a peccati culpa & pœna æterna, cur propter eamdem non liberaremur a pœnis peccatorum temporalibus? Si baptizatis propter Christi satisfactionem remittitur & culpa & pœna, non solum æterna, sed etiam temporalis, cur vere pœnitentibus & in Christum credentibus non contingeret eadem & æque plena ac perfecta peccati remissio? 8.) Si post peccati remissionem persolvendæ adhuc restant pœnæ temporales, cur sola anima easdem in purgatorio sustinet? cur eisdem non subjicitur etiam corpus, quod fuit animæ peccantis organum? Si corporis purgationi sufficiunt pœnæ, quas in hac vita sustinet, cur non sufficerent eædem ad purgationem animæ? 9.) Si animæ in purgatorio, temporalis pœnæ debitum Deo persolventes, per suffragia vivorum & indulgentias Romani pontificis ex eodem liberari possunt, misericordia pontificis major & efficacior erit, quam ipsius Dei misericordia; per hanc enim debitum illud condonari non potuit, per illam vero debitor ab eodem liberatur.

III) *A communi opinione omnium gentium.*

§. CCLXXXIV. *Tertia* ratio deducitur *a communi opinione omnium gentium. Purgatorium enim confitentur Hebræi, Mahumetani, gentiles, iique tam philosophi, quam poëtæ. Resp.* 1.) Mirum, quod Bellarminus non addiderit confessionem *diabolorum*, qui & ipsi de purgatorio testificati sunt. Lombardus hist. 158. commemorat, *Odilonem, cum ululatus dæmonum audivisset plangentium, quod animæ defunctorum ex purgatorio per orationes, missas & eleemosynas eriperentur, instituisse festum commemorationis defunctorum.* 2.) Cur prætermittit consensum *Origenistarum* & aliorum hæreticorum, qui itidem de purgatione peccatorum

post

post mortem multa finxerunt. 3.) Communis illa opinio excœcatorum *Judæorum*, blasphemorum *Mahumetanorum* & idololatricorum *gentilium* est potius argumentum erroris, quam veritatis, ut superius monuimus. Excipit Bellarminus, *confessionem illam purgatorii provenire a lumine naturali omnibus hominibus communi, ex quo etiam intelligimus, esse Deum, & esse pœnas & præmia post hanc vitam exspectanda. Cum enim videamus, ex iis, qui migrant ex hac vita, alios esse valde bonos, alios valde malos, alios mediocriter bonos & mediocriter malos, judicamus naturali lumine, esse post hanc vitam pœnas æternas pro valde malis, præmia æterna pro valde bonis, ac pœnas temporarias & per eas transitum ad præmia pro iis, qui sunt mediocriter boni vel mali.* *Resp.* 1.) Lumen naturale in fidei articulis debet sequi prævium lumen gratiæ in verbo accensum, alias facile abit in tenebras, cum per peccatum misere sit obfuscatum. Lumen naturæ valet in rebus naturalibus. At purgatorium ex hypothesi pontificiorum est articulus fidei. Jam vero fidei articuli proprie sic dicti discendi sunt ex divina revelatione. 2.) Ex lumine naturæ destituto verbi luce multi collegerunt, pœnas malorum non fore æternas, sed tandem finem habituras; id enim luci rationis videtur magis congruum. 3.) Scriptura, in qua lux Spiritus sancti refulget, omnes homines in duas tantum classes, in bonos scilicet & malos, credentes & incredulos distribuit, ac duo tantum post hanc vitam animarum receptacula agnoscit; tertium vero penitus igorat, ut vidimus superius. Ergo ex luce Spiritus sancti & gratiæ plenius collustranda & informanda est lux naturæ. 4.) Si mediocriter malis sufficiunt pœnæ temporales, utique illis sufficient pœnæ, quas in hac vita sustinent, nec ullo post hanc vitam indigebunt purgatorio. 5.) Mahumetani & gentiles non tantum pro peccatis venialibus, sed etiam pro mortalibus, nec tantum pro mediocriter malis, sed etiam pro impiis purgatorium aliquod post hanc vitam agnoscunt. 6.) Lumen naturale docet, ut una est Dei essentia, ita unam tum esse in deitate personam; quod si ergo lumen naturale sequi velimus, negandum erit sacrosanctum Trinitatis mysterium. Lumen naturale docet, divinam & humanam naturam non posse constituere unam personam. Si naturale lumen sequi velimus, negandum erit incarnationis mysterium. Sequatur igitur Bellarminus in fidei mysteriis lumen naturale, sequatur Judæos, Mahumetanos & gentiles; nos Christum, prophetas & apostolos sequemur. 7.) Invertimus Bellarmini comparationem hoc modo: Sicut omnes gentes ex lumine naturali agnoverunt esse Deum, sed quis sit ille Deus ignorantes in πολυθείαν & multiplicem idololatriam fuere prolapsi: sic omnes gentes ex lumine naturali agnoverunt, post hanc vitam pœnas & præmia supereſſe, sed ignorantes, quæ sint illæ pœnæ ac præmia, propter quam causam & quibus distribuantur, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, Rom. I. 21. ac fabulas suas de purgatorio, de campis Elysiis, de stygia palude inferorum, de Cocyto, Phlegetonte &c. addiderunt.

§. CCLXXXV. *Quarta* ratio sumitur *ab adparitionibus animarum, quæ se in purgatorio esse renunciaverunt, atque opem a vivis imploraverunt*, quas adparitiones recensent Gregorius lib. IV. dial. cap. 40. & 55. Gregorius Turonicus lib. de gloria confess. cap. 5. Petrus Damiani in epist. ad Desider. Beda lib. III. hist. angl. cap. 19. Bernhardus in vit. Malach. & auctor libri de vit. Anshelmi. *Resp.* 1.) Deus in verbo suo expresse prohibuit, a mortuis veritatem in fidei articulis quærere. Deut. XVIII. 11. *Non inveniatur in te quærens a mortuis.* Esaj. VIII. 19. *Nonne populus Deum suum requiret? num pro vivis mortuos?* v. 20. *ad legem potius & ad testimonium.* Luc. XVI. 28. cum dives epulo rogaret, ut Lazarus ex Abrahæ sinu ad fratres superstites missus ipsis testificetur, *ne & ipsi veniant in locum tormentorum*, respondet ipsi Abrahamus v. 29. *Habent Mosen & prophetas, audiant illos*; cumque epulo replicaret v. 30. *Non,*

IV) *Ab adparitionibus animarum.*

Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis ad eos ierit, pœnitentiam agent; denuo audit v. 31. *Si Mosen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* 2.) Tempore Gregorii demum in ecclesia ex animarum adparitionibus purgatorium fabricari cœpit, quod ipse non dissimulat; sic enim scribit libr. IV. dialog. cap. 40. *Quid est, quæso te, quod in his extremis temporibus tam multa de animabus clarescunt, quæ ante latuerunt, ita ut apertis revelationibus atque ostensionibus venturum seculum se nobis inferre atque ostendere videatur?* 3.) Animarum istarum, quæ ex purgatorio se rediisse testificatæ sunt, adparitiones fuerunt diabolicæ illusiones, quibus Deus justo judicio contemtum verbi sui, ex quo uno recte agnosci ac coli vult, in curiosis ac superstitiosis hominibus vindicavit 2. Thess. II 9. Probamus hoc *primo* ex animarum post hanc vitam statu & conditione. *Justorum animæ sunt in manu Dei, & non tangit illos tormentum*, Sap. III. 1. ergo nugatoriæ ac præstigiatoriæ sunt illæ querelæ, quas de suis in purgatorio tormentis animæ fidelium defunctorum protulisse finguntur. Confer 2. Sam. XII. 23. Job. VII. 9. Sir. XXXVIII. 22. Luc. XVI. 26. ubi dicitur, *defunctos ad nos in has terras non reverti.* Animæ a corporibus separatæ oculis corporeis ac terrenis videri nequeunt, cum sint essentiæ incorporeæ ac spirituales. Quisquis ergo eas se videre & audire arbitratur, satanæ spectris deluditur. *Secundo* ex adparitionum istarum exacta consideratione. Diabolus non potuit suas fraudes & præstigias tam artificiose tegere, quin earum indicia quædam animadverti potuerint. Plerumque enim exegit aliquot missas, ut cultum Mosim stabiliret. Passus est se adjurari & exorcizari, ut superstitiones confirmaret. Solent enim in papatu certis verbis ac ceremoniis spectra adjurare, & hac orationis formula uti: *Domine Jesu Christe omnium secretorum cognitor, qui semper tuis fidelibus & parvulis revelare salubria & utilia consuevisti, quippe ex hoc loco spiritum quemdam se ostendere permisisti, humiliter obsecramus benignissimam tuam misericordiam per passionem tuam & pretiosissimi sanguinis tui pro peccatis nostris effusionem, ut digneris præcipere huic spiritui, ut sine terrore ac læsione nostra & omnium hominum se revelet, significans famulis tuis, nobis vel aliis peccatoribus, quis sit & cur venerit, quidque petat, ut ex hoc honorari volens & ipse consolationem percipiat, & fideles quoque inde subleventur in nomine Patris † & Filii † & Spiritus sancti † Amen.* Petrus Mamorius narrat circa annum 1458. in Gallia Consollenti ad Viennam fluvium in caplandi cujusdam ædibus diabolum, qui se animam defunctæ cujusdam esse dicebat, gemitibus, clamoribus & querimoniis omnia compleviſſe, monentem, habendas esse preces, peregrinationesque obeundas, & res veras plurimas revelantem; sed dicente ei quodam: *Si vis tibi haberi fidem, dic: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam &c.* respondisse, *hoc a se fieri non posse*; tunc ludificantibus ipsum iis, qui adstabant, fremebundum aufugisse. *Tertio* ex veterum testificatione. Tertullianus lib. de anim. cap. 57. p. 296. *Nulli animæ omnino inferos patere satis Dominus in illo argumento pauperis requiescentis & divitis ingemiscentis ex persona Abraham sanxit, non posse relegari renunciatorem dispositionis infernæ, quod vel tunc licere potuisset, ut Mosi & prophetis crederetur.* Ibidem p. 295. *Adlocutiones animarum* dicit esse *fallaciam spiritus nequam sub personis defunctorum delitescentis.* Auctor quæstionum ad Antiochenum, quæ exstant in operibus Athanasii tom. II. p. 275. quæst. 19. *Non permisit Deus redire quemquam, qui adnunciaret, ubi aut quomodo sint animæ a nobis profectæ.* quæst. 25. *Animæ, quæ nos prævenientes decedunt, nequaquam hanc vitam rursus invisunt. Audi enim David prophetam de defunctis hominibus dicentem: Homo, sicut gramen dies ejus, quoniam spiritus pertransivit per eum, & non erit amplius, & locum ejus non amplius agnoscent.* quæst. 35. *Numquid scire possumus, quare non permiserit Deus, animam alicujus eorum, qui e vivis decesserint, ad nos redire & enar-*

enarrare, qualisnam rerum apud inferos ſtatus? Reſp. *Multi apud nos inde errores oriuntur. Multi enim dæmones formas humanas induere, & in hominum demortuorum figuris transformari potuiſſent, ac dicere, a mortuis ſeſe reſurrexiſſe, atque inde multas res ementitas & falſa dogmata de iis, quæ ibi fiunt, ſpargere, idque ad ſeducendum nos & perdendum.* Chryſoſtomus hom. XXIX. in Matth. p. 283. "Non anima defuncti eſt, quæ dicit, „anima talis ego ſum, ſed dæmon, qui hæc, „ut audientes decipiat, defingit.„ Et poſtea: „Non poteſt anima e corpore ſeparata in his „regionibus errare. Juſtorum enim animæ in „manu Dei ſunt. Peccatorum vero poſt hunc „exitum continuo abducuntur, quod a Lazaro „& divite planum efficitur; ſed alibi quoque „Dominus ait: Hodie animam tuam abs te re„petent. Non igitur poteſt anima, cum a cor„pore abſceſſerit, apud nos hic errare. Mul„tis e locis ſcripturæ comprobari poteſt, non „errare hic poſt mortem juſtorum hominum „animas. Nam & Stephanus ait: Suſcipe ſpi„ritum meum. Et Paulus reſolvi & eſſe cum „Chriſto deſiderabat. De patriarcha quoque „ſcriptura dicit: Et adpoſitus eſt ad patres ſuos. „Quod vero nec peccatorum animæ hic com„morari poſſunt, divitem audias, quid dicat, „perpendasque, quid petit, & non impetrat. „Quod ſi poſſent animæ hic converſari, ve„niſſet ipſe, ut cupiebat, & ſuos de inferni „tormentis feciſſet certiores.„ Idem de Lazaro concil. II. "Quid igitur eſt, quod dæmo„nes dicunt, monachi illius ſum anima? Sa„ne propter hoc ipſum non credo, quia dæ„mones dicunt; decipiunt enim auditores. „Quapropter & Paulus ipſis, tametſi vera di„centibus, impoſuit ſilentium, ne ex veris na„ti occaſionem, poſt admiſcerent mendacia, „fidemque ſibi conciliarent &c.„ Homil. IV. de Lazar. "Vt cognoſcas, quod gravior ſit ſcri„pturarum ac prophetarum doctrina, quam ſi „quid a mortuis reſuſcitati renuncient, illud „conſidera, quod quisquis mortuus eſt, ſervus „eſt, quæ vero ſcripturæ loquuntur, locutus „eſt Dominus. Proinde etiamſi mortuus re„viviſcat, etiamſi angelus e cœlo deſcendat, „maxime omnium credendum eſt ſcripturis. „Nam angelorum herus, mortuorum pariter ac „viventium Dominus, ipſe eas condidit &c. „Ne igitur quæramus hæc audire a mortuis, „quæ multo clarius quotidie nos docent ſacræ „literæ. Nam ſi noviſſet hoc Deus, quod mor„tui excitati viventibus eſſent profuturi, ne„quaquam omiſiſſet, neque tantum lucrum „præteriiſſet, qui cuncta nobis utilia procu„rat.„ In concilio Ancyran. tom. II. conc. p. 204. tale decretum factum: "Sacerdotes „per eccleſias ſibi commiſſas populo omni in„ſtantia prædicare debent, ut noverint, hæc „omnimodis eſſe falſa, & non a divino, ſed „maligno ſpiritu talia phantaſmata mentibus „fidelium irrogari &c. Omnibus itaque publi„ce adnunciandum eſt, quod, qui talia & his „ſimilia credit, fidem perdidit &c.„ Auguſtinus de cura pro mort. cap. 10. "Aliquando „fallacibus viſis homines in magnos mittuntur „errores.„ Theophylactus in Matth. VIII. „Anima egreſſa in mundo non erat. Juſto„rum enim animæ in manu Dei ſunt, pecca„torum vero & ipſæ hinc abducuntur, ut ani„ma divitis.„ Huc referendi omnes illi auctores, qui nobiscum ſtatuunt, non verum fuiſſe Samuelem, qui Sauli in ejus forma adparuit, ſed ſpectrum diabolicum. Bellarminus lib. II. de purg. cap. 6. §. *Reſpondebunt* &c. „Non verum Samuelem, ſed diabolum in for„ma ejus adparuiſſe, docent Tertullianus libr. „de anim. prope finem. Auctor quæſtionum „apud Juſtinum q. 52. Auctor quæſtionum vet. „teſt. q. 27. apud Auguſtinum. Auctor lib. de „mirabilibus ſcripturæ lib. II. cap. 11. Proco„pius & Eucherius in 1. Reg. XXVIII. & Iſi„dorus lib. VIII. etymolog. cap. 9.„ Quarto ex *adverſariorum confeſſione.* Thomas part. I. q. 117. art. 4. ad 2. *Dicendum eſt, quod frequenter dæmones ſimulant, ſe eſſe animas mortuorum, ad confirmandum gentilium errorem, qui hæc credebant.* Idem part. I. q. 110. art. 3. ad 3. diſputat, *animam ſeparatam a corpore non poſſe naturali ſua virtute res corporeas movere, januas aperire, commovere ſcamna, exci-*

excitare ſtrepitum &c. cui Thomæ judicio ex parte ſubſcribere videtur Becanus de purg. p. 121. Machiavellus in principio ſuæ hiſtoriæ ſcribit: *Circa annum Chriſti 600. conſuetudines ſeu dogmata veteris eccleſiæ cum miraculis novæ pugnare cœpiſſe. Nam ſpectrorum adparitiones & alias impoſturas ſatanæ miraculorum veterem illam formam religionis prorſus evertiſſe.* Verba italica recenſet Wolffius cent. XVI. memorab. p. 811. 4) De adparitionibus animarum idem ſtatuendum, quod de revelationibus, de quibus recte pronunciat Gerſon de examinat. doctrin. part. II. conſid. 1. *Suſpecta eſt omnis revelatio, quam non probat lex cum evangelio.* Et quales ſint ejusmodi revelationes, oſtendit res ipſa. Damaſcenus in orat. de defunctis refert ex hiſtoria Palladii ad Lauſum, *ſancto Macario aliquando percunctanti cranium aridum cujusdam idololatræ, an eis prodeſſent preces viventium, reſponſum fuiſſe ex cranio: Quando pro mortuis oſſers preces, nos interim lenimentum aliquod ſentimus.* Thomas lib. IV. diſt. 45. art. 2. ex hac revelatione colligit, *animas damnatorum ex orationibus ſanctorum non percipere aliquam pœnarum mitigationem, ſed ſolum inane & fallax aliquod gaudium, quod nimirum videant ſe habere ſocios in pœnis.* Sed quis non videt, aliud eſſe miſeriarum lenimentum, aliud vero fallax gaudium? ideo Bellarminus lib. II. de purg. cap. 18. rectius reſpondet, *hæc melius rejici ut falſa & apocrypha.* At ſi Bellarmino & Salmeronio hanc revelationem repudiare licet, quidni idem de ſimilibus revelationibus pronunciare licebit? libr. II. de purg. cap. 8. revelationi Mechtildis de anima Origenis opponit aliam revelationem ex prato ſpirituali. Salmeronius tom. XIV. diſput. 26. pag. 231. candide & ſine circuitione ſcribit: *Ejusmodi revelationes, quales exempli gratia commemorat Dionyſius Carthuſianus, non ſunt confeſtim aut paſſim ut veræ recipiendæ, ſed cum judicio diligenter expendendæ, & quatenus fidei vel traditioni eccleſiæ aut doctoribus congruant, examinandæ.*

§. CCLXXXVI. *Quinta &* ultima ratio eſſe poteſt, *quia iſta opinio, quæ tollit purgatorium, non ſolum eſt falſa, ſed etiam pernicioſa, ſiquidem homines ſocordes facit in peccatis cavendis & in bonis operibus faciendis. Qui enim cogitat, nullum eſſe purgatorium, ſed omnia peccata per mortem aboleri in iis, qui moriuntur cum fide, facile dicet apud ſe: Quorſum ego laboro in jejuniis, precibus, continentia, eleemoſynis? cur fraudo cor meum in deliciis & voluptatibus? quandoquidem in morte, ſive pauca ſive multa peccata habuero, omnia delebuntur. At qui cogitat, remanere præter gehennam ignem acerrimum purgatorii, & quidquid hic deletum non fuerit per debitæ pœnitentiæ opera, ibi diluendum, certe diligentior cautiorque evadit. Reſp.* 1.) In illis ſcripturæ locis, quæ pœnas peccatorum inculcant Levit. XXVI. Deut. XXVIII. nulla fit purgatorii cujusdam ignis mentio, cum tamen ad populum in officio continendum & a peccandi ſtudio revocandum ex hypotheſi pontificia illud vel maxime fuiſſet neceſſarium. 2.) In dictis illis ſcripturæ, quæ præcepta, promiſſa & exempla εὐθανασίας proponunt, nulla futuri cruciatus piis metuendi, ſed potius quietis & exſultationis ſperandæ fit mentio, ut ſuperius oſtendimus. 3.) Qui a peccatis non abſtinet metu futuri extremi judicii & infernalis ſupplicii, is nec deterrebitur a peccatis metu confictæ purgatorii. 4.) Sicut *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*, Rom. III. 8. ita non ſunt docenda falſa, ut caveantur mala. Nec veritas, nec pietas mendacio indiget. 5.) Pontificia de purgatorio doctrina peccandi licentiam potius alit, quia tradit, ex flammis illis per aliorum ſuffragia, quæ ditiores facili negotio ſibi comparare poſſunt, liberationem contingere. Lombardus lib. IV. ſentent. diſt. 45. liter. D. diſputat, *in purgatorio celeriorem abſolutionem contingere diviti, quam pauperi, licet non pleniorem.* Albertus magnus de offic. miſſæ tract. III. cap. 16. *Tot poſſunt fieri ſuffragia pro uno*

V) *Ex incommodo.*

uno aliquo, quod statim in momento liberatur. Et ideo in hoc solo casu melior est conditio divitis, quam pauperis, qui habet, unde suffragia fiant pro ipso; unde Prov. XIII. dicitur: *Redemtio viri divitiæ ejus.* Persuaserunt sacerdotes & monachi dominis ac principibus, ut ecclesiis & cœnobiis multa relinquerent & foverent, tunc velle se missis ac precibus suis meritoriis salutis æternæ ipsis copiam facere, quantumvis magnis essent contaminati peccatis, per quod certe peccatis efficacem occasionem dederunt; existimabant enim, se mercenarios & vicarios pecuniis suis sibi comparasse, per quos e purgatorio quantocyus liberari possint. 6.) Deterrendi quidem & revocandi sunt homines a peccandi studio & ad bona opera excitandi, ita tamen, ne fiduciam in proprias satisfactiones ac propria merita collocent, neve territis conscientiis firma ac necessaria consolatio eripiatur; utrumque per doctrinam purgatorii fieri, ex superioribus est manifestum. 7.) Scriptura docet, fructum justificationis esse *pacem conscientiæ*, Rom. V. 1. *& cultum sine timore Deo præstitum*, Luc. I. 74. Atqui si justificati quidem, sed nondum plene purgati audiunt, purgatorii flammas post mortem sibi adhuc metuendas esse, & quidem tempore longiore, quam fuit hujus vitæ spatium, quomodo pacem in corde sentire, & Deo sine timore servire poterunt? Ex quo adparet, verum ac Deo gratum ex timore filiali & fide profectum cultum per purgatorii doctrinam potius everti. 8.) Quidam ex pontificiis fatentur, in primitiva ecclesia temporibus apostolorum vicina non fuisse creditum purgatorium. Atqui eo tempore vel maxime pietatis studium floruit. 9.) Romæ purgatorium credi, Bellarminus non ibit inficias. At quale Romæ vigeat pietatis studium, testantur historiæ, clamat experientia. Vid. loc. de ecclesia §. 2. 62. Atque hæc sunt Bellarmini argumenta omnia, quæ pro purgatorio adstruendo profert, quibus quid roboris ac ponderis insit, ex dictis manifestum erit. Quæ cap. 15. contra Petrum Martyrem profert, ut probet, confessionem purgatorii ad fidem catholicam pertinere, ex superioribus facilem habent explicationem.

§. CCLXXXVII. Lib. II. de purgat. cap. 15. profert Bellarminus peculiarem aliquam rationem ex Petro Cluniacensi, qua probare conatur, suffragia ecclesiæ defunctis in purgatorio prodesse. *Ecclesia tota* (inquit) *est unum corpus, cujus caput est Christus. Ergo debet habere communicationem tam capitis cum membris, quam membrorum inter se,* 1. Cor. XII. *sed justi defuncti sunt membra hujus corporis; nam sunt nobiscum colligati & cum Deo in fide, spe & caritate, igitur viventes possunt ac debent juvare defunctos ut membra ejusdem corporis. Præterea Christus, qui caput est, profuit vivens in terris viventibus, mortuus mortuis, vivens mortuis & mortuus viventibus. Ergo etiam decet, ut membra inter se ita agant, ut justi viventes viventibus, mortui mortuis, viventes mortuis & mortui viventibus prosint. Denique ex quatuor membris divisionis tria sunt certe manifesta. Ergo & quartum debet habere locum. Nam quod viventes juventur a viventibus, nemo negat, cum videamus doceri, instrui, pasci verbo & sacramentis alios ab aliis. Quod mortui prosint mortuis, patet; nam Helisæus mortuus alium suscitavit* 2. Reg. XIII. *& Abraham mortuus in sinum suum Lazarum recepit* Luc. XVI. *Nec ulli dubium esse debet, quin sanctorum defunctorum animæ cum Christo regnantes orent pro sanctorum animabus in purgatorio laborantibus. Quod mortui prosint viventibus, patet. Nam* 2. Maccab. XV. *legimus, Onicam & Jeremiam jamdudum defunctos visos fuisse orare pro populo Judæorum viventium. Nec est incredibile, etiam animas purgatorii pro nobis orare & impetrare. Si ergo vivi prosunt mortuis, mortui mortuis, mortui vivis, cur non etiam prodesse poterunt vivi mortuis? Resp.* 1.) Ratio hæc præsupponit, *esse purgatorium*, ut monet Bellarminus

VI) *Ab ecclesiæ communione.*

nus in explicatione hujus argumenti; atqui hanc hypothesin ostendimus esse falsam, corruit igitur totum argumentum. 2.) Quæ & qualis sit communicatio membrorum in corpore mystico cum Christo capite ac inter se invicem, non definiendum est ex speculationibus humanæ rationis, sed ex tabulis divinæ revelationis. 3.) Ea vero manifeste docent, suffragiis vivorum mortuos posse hanc vitam juvari non posse, ut ostendimus superius arg. 2. memb. 8. Destituuntur etiam illa suffragia primitivæ ecclesiæ suffragio. Concilium Toletanum III. tempore Gregorii magni celebratum can. XXII. sic decernit: *Qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum psalmis tantummodo & psallentium vocibus debent ad sepulcra deferri. Nam funebre carmen, quod vulgo defunctis cantari solet, vel in pectoribus se, aut proximos aut familias cadere omnino prohibemus. Sufficit enim, quod in spe resurrectionis christianorum corporibus famulatus divinorum impenditur canonicorum*, qui canon in decreta relatus cap. *Qui divina &c.* 34. q. 1. 4.) Communicatio pie defunctorum cum piis viventibus & caritas vivorum erga defunctos nihilominus locum habere potest, si vel maxime mortui vivorum suffragiis ex purgatorio liberari negentur, quia per fidem statuimus, pie defunctos cum Christo vivere, per caritatem honesta sepultura reliquias corporum ornamus, ac cum illis in æterna vita conjungi desideramus, quin & posteris ipsorum etiam in hac vita omnia humanitatis officia exhibeamus, per spem in cœlesti gloria nos cum illis victuros firmiter speramus. 5.) Longe diversa ratio est inter Christum & nos. Christus vivens & mortuus viventibus ac mortuis prodesse potuit, quia ipse est dux vitæ, caput ecclesiæ, salvator corporis sui mystici, cujus sanctissimum corpus in media morte mansit verbi, omnia vivificare valentis, templum proprium, qui mortem moriendo destruxit, ac vitam resurgendo reparavit. Id vero de membris in corpore mystico dici nequit, quod eamdem cum capite agendi potentiam & efficaciam obtineant. Christus mortuos ad vitam revocavit; at num precibus nostris mortuos excitare poterimus? 6.) Ex miraculo singulari non potest necti generalis quædam regula; atqui quod mortuus Elisæus alium mortuum suscitaverit, est singulare quoddam miraculum. Adde, quod, proprie & adcurate loquendo, non Elisæus mortuus suscitaverit mortuum, sed Deus auctoritatem prophetæ defuncti hoc miraculo a se edito confirmare, & vaticiniis ejusdem fidem conciliare voluit. Quo sensu Lazarus in Abrahæ sinum receptus dicatur, expositum fuit superius. 7.) *Animas defunctorum sanctorum cum Christo regnantes orare pro animabus sanctorum in purgatorio laborantibus*, negat Dominicus a Soto lib. IV. sent. dist. 45. q. 3. art. 2. *animas purgatorii pro nobis in terra adhuc viventibus orare*, negat Thomas II. 2. q. 83. art. 11. ad 3. Bellarminus ipse h. l. agnoscit, *eas non posse ordinarie cognoscere, quid agamus in particulari, ac proinde superfluum videri, ab eis ordinarie petere, ut pro nobis orent.* Quæ igitur & quanta certitudo est hujus subsidii? 8.) Liber secundus Maccabæorum apocryphus est, ut superius vidimus. Ac somnium ibi recitatur a Juda Maccabæo ad excitandos militum animos excogitatum. Nec tamen vel Judas vel exercitus sanctos illos invocant.

§. CCLXXXVIII. Salmeronius tom. XIV. disp. 25. quæ de purgatorii veritate instituta est, præter dicta scripturæ superius exposita, urget 1) *traditionem non scriptam, quam ecclesia multis modis ante oculos nobis proposuit*: 1.) *In missæ sacrificio celebranda pars quædam deputata est orationi pro mortuis in Christo quiescentibus.* 2.) *Institutum est officium mortuorum, quod pro defunctis in ecclesia cani consuevit, missæ quamplurimæ & orationes, seu collectæ & sequentiæ cum reliquis ornamentis huic cultui adcommodatis.* 3.) *Accedit dies peculiariter institutus, secunda Novembris, in qua*

Argumenta Salmeronii pro purgatorio.
1) *Ex traditione.*

qua ecclesia suffragatur piis defunctorum animis. 4.) *A tempore apostolorum in hunc usque diem institutа sunt cæmiteria sive monumenta orationis gratia.* Clemens Rom. lib. VI. constit. cap. 30. 5.) *Institutio sacerdotii evangelici hoc ipsum reddit firmissimum. Nam hac forma sacerdotes ab episcopis consecrantur ac promoventur: Accipite potestatem, offerendi sacrificium in ecclesia Dei pro vivis & mortuis.* 6.) *Pontifices Romani ex thesauro ecclesiæ indulgentias tam pro vivis, quam pro mortuis impertiri consueverunt.* 7.) *Patres ecclesiæ orientalis & occidentalis idem docent.* At hæc omnia meras principii petitiones continent; de eo enim quæritur: an missæ sacrificium recte offeratur pro defunctis? an probandum sit illud officium mortuorum? an pontificiæ indulgentiæ defunctis prosint? Regerit Salmeronius: *Si Deo hic cultus non placeret, certe jam diu ecclesiæ suæ per aliquem bonum angelum revelatum esset. Nam si pro Agar sitiente Deus angelum misit, ut ostenderet fontem aquæ*, Genes. XII. *& pro salute Cornelii centurionis alterum destinavit*, Act. X. *& pro Tobia juniore, quem dirigeret in Rages civitatem Medorum, Raphaëlem angelum amandavit* Tob. V. *quanto est probabilius & rationi magis consentaneum, quod pro ecclesia instituenda in vero Dei cultu & ab omni errore & hæresi liberanda non unum aut duos, sed innumeros angelos ad illam misisset? Resp.* 1.) Deus in negotio salutis & fidei non vult nobiscum agere per angelos, sed per suum verbum, quod in propheticis & apostolicis scriptis adnotatum exstat. Luc. XVI. 29. *Habent Mosen & prophetas, audiant illos.* 2.) Nec Agari, nec Cornelio, nec Tobiæ novum aliquem fidei articulum præter & extra Dei verbum angelus revelavit, sed ministerium in rebus necessariis præstitit. 3.) Quinimo angelus Cornelium ad Petri apostoli doctrinam potius remisit, ne quis, verbi ministerio posthabito, angelicas revelationes exspectaret. Act. X. 5. *Mitte viros in Joppen, & accersi Simonem Petrum.* v. 6. *Hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* 4.) *Si vel angelus de cælo evangelizaret, præterquam quod apostoli evangelizaverunt, non esset audiendus*, Gal. I. 8. Chrysostomus in comm. h. l. pag. 973. edit. comm. *Apostolus angelis præponit scripturas, idque valde congruenter; siquidem angeli, quamlibet magni, tamen servi sunt ac ministri, cæterum omnes scripturæ non a servis, sed ab universorum Domino Deo venerunt.* Proclus in serm. de fide ad Armen. locum hunc apostolicum adducens, addit hanc rationem p. 15. Λειτουργεῖν γὰρ ἄγγελος ἐτάχθη, ὁ δογματίζειν, *In ministrandi ordine locatus est angelus, non dogmata præscribendi.* 5.) Non per angelos, sed per homines peculiariter ad id excitatos cultum divinum in ecclesia Deus reformat, ut testantur exempla Abrahæ patriarchæ, Eliæ prophetæ, Johannis baptistæ &c. Exspectent igitur pontificii angelos, a quibus de cultu divino rectius instituantur; nos veritatem e scripturis per homines monstratam fidei obedientia sequemur.

§. CCLXXXIX. Format insuper Salmeronius quasdam *rationes*, quas dicit esse *magni momenti*. Videamus igitur, quales sint: 1.) *Status medius potest esse inter perfectam puritatem, quæ est per fidem & caritatem, & inter summam impuritatem, quæ est per crimina & mortifera delicta. Resp.* scriptura totum genus humanum in duas duntaxat classes, in credentes scilicet & incredulos distribuit, ac quoslibet vel in statu gratiæ & salutis, vel in statu iræ & damnationis collocat, ut superius vidimus. Adde, quod perfecta puritas in hac vita non detur, ut alibi fuit demonstratum. 2.) *Homo est tantæ æquitatis, ut non condonet culpam, interdum etiam sine pœna, ut patet in Davide remittente Absaloni peccatum, nolente tamen, ut coram se postea compararet* 2 Reg. XIV. *Deus ergo, cujus misericordiæ in immensum sunt majores, idem efficere poterit. Resp.* ad justitiam potius, quam ad misericordiam hoc pertinere Bellarminus censet. Quidquid 11) *Ex ratiocinatione.*

sit, quo modo Deus culpam ex gratia condonare velit, ex scripturis est discendum, quæ testantur, propter perfectam Christi satisfactionem Deum & culpam & pœnam remittere, ut superius ostendimus. 3.) *Natura nostra minus amans puritatem omnino tepida efficeretur ad vitanda venialia, si non esset locus post mortem, in quo illa misericorditer expiarentur.* *Resp.* patet ex §. 286.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Servilis & mercenaria est peccati fuga, quam purgatorii metus ab invitis extorquet. 4.) *Post Adæ peccatum statuta est nobis via tribulationum*, Genes. III. Actor. XIV. *Cum ergo multi sint, qui vel in vita vel in morte probati non sint pro meritis, demus locum pro mortuis, in quo probentur, ut mundi & pacificati Deum videre possint.* *Resp.* nemo ex hac vita sine flagello exiit, postquam peccatum & per peccatum mors in omnes homines penetravit. Hæc vita est tempus tribulationis & probationis; futura vita erit tempus retributionis. 5.) *Dei decretum est: Non intrabit in cœlum aliquid coinquinatum*, Apoc. XXI. *sed opus est, ut sine macula & ruga sint ii, qui in cœlestem Hierosolymam ingressuri sunt.* Eph. V. *Cum igitur multi in venialibus sine debito pœnæ temporalis hinc decedant, vel traderentur in gehennam ignis, quod esset contra rationem, vel statim ad beatitudinem admitterentur.* Resp. *Sanguis Christi mundat nos ab omnibus peccatis*, 1. Joh. I. 7. ac proinde etiam ab illis peccatorum reliquiis, ut superius late fuit probatum. 6.) *Dei misericordia extenditur usque ad mortuos, sicut etiam Dei justitia; anima ergo decedens in veniali vel debito pœnæ pro lethali peccato temporaliter punitur.* *Resp.* & misericordia & justitia Dei extenditur usque ad mortuos, interim tamen est diversitas in objectis. Cum piis & fidelibus agit Deus non ex justitia, sed ex misericordia; cum impiis & infidelibus agit ex justitia, & non ex misericordia. 7.) *Sublato purgatorio multa virtutum pia exercitia subtraherentur viventibus, ut fides resurrectionis, sanctorum communio, opera caritatis, subventiones pauperum Dei amore factæ, merita & satisfactiones & cultus Dei amplificatio ex legatis, quæ pro ecclesiæ sacellis instituuntur.* *Resp.* nec spes resurrectionis, nec sanctorum communio, nec opera caritatis, nec subventiones pauperum per negationem purgatorii tolluntur, ut ex confessione & praxi nostrarum ecclesiarum constat. Opinio de propriis meritis & satisfactionibus scripturæ adversatur. Argumentum ab amplissimis illis legatis, quæ canonicis, sacerdotibus & monachis donantur, ut missis & suffragiis suis animas e purgatorio liberent, est facile palmarium; ideo Salmeronius primo loco illud ponere debuisset. Nisi purgatorius ignis culinas illorum foveret, non tam splendidum ac luculentum in illis ignem conspiceremus. 8.) *Constat ex evangelio & actis apostolicis, multos fuisse ad vitam revocatos a Christo & apostolis. Isti autem mortui ab inferno non sunt revocati, quia ab illo loco nullus evadit, nec etiam sunt a beatitudine jam adepta excitati, quia tunc resurrectio non esset beneficium, quod a cœlesti gloria dejiceret vel deturbaret.* *Resp.* ex miraculo extraordinario non potest ordinarium aliquod animarum post mortem domicilium probari. In quo πῶ illæ resuscitatorum animæ fuerint adservatæ, antequam in pristinum corporis domicilium reducerentur, nuspiam in scripturis patefactum; quod ergo Deus occultum esse voluit, in illud non debemus scrupulosius inquirere, quod singulare est & extraordinarium, non est fas ad communis cursus regulas revocare. Bellarminus libr. II. de purgat. c. 8. statuit, *ex cœlo & inferno ad vitam revocatos quosdam fuisse.* Ergo propter mortuorum quorundam resuscitationem non est fingendum purgatorium. „Quod ex cœlo (inquit) aut inferno damna„torum aliqui revocari possent ad vitam, vi„deretur incredibile, nisi exstarent exempla, „quæ negari non possunt. Nam Gregorius „libr. V. dialog. capit. 9. scribit, a sancto For„tunato excitatum fuisse Marcellum quem„dam,

„dam, virum ſanctum, qui ab angelis in optimum locum ductus fuerat. Et cap. 12. ſcribit, a ſancto Severo excitatum quemdam virum peſſimum, qui a dæmonibus in infernum deducebatur. Egeſippus ſcribit libr. III. cap. 2. b. Petrum excitaſſe adfinem quemdam cæſaris ethnicum a morte. Nec dubitari poteſt, quin apoſtoli aliquos ethnicos excitarint. Maximus ſerm. II. de ſ. Agnete dicit, quod excitarit filium præfecti, qui in peccato mortali obierat. Et Evodius lib. I. de miraculis ſ. Stephani dicit, puerulum mortuum ante baptiſmum ad reliquias ſ. Stephani excitatum.„ Hæc omnia Bellarminus, qui poſtea ſuam addens ἐπιχείρισιν ſubjungit: "Si „aliqui ſancti viri redierunt ad corpus, non „fuerunt beati, ſed Deus prævidens eorum excitationem, diſtulit eorum beatificationem, „& interim detinuit eos in optimo aliquo loco. „De damnatis ſimiliter dico, eos, qui ſunt excitati, cum merentur pœnas æternas, non „fuiſſe damnatos, ſed ſuſpenſam eorum ſententiam, & punitos interim ſecundum præſentem injuſtitiam.„ 9.) *Apud omnes gentes ſemper obtinuit fides purgatorii.* Reſponſio habetur §. CCLXXXIV. præcedente.

Argumentum Becani pro purgatorio ex purgatione ſalvandis neceſſaria.

§. CCXC. Becanus in libro de purgatorio Calviniſtarum cap. 1. pag. 5. & ſeqq. utitur hoc diſcurſu: *In cæleſtem Hieroſolymam non intrabit aliquid coinquinatum*, Apoc. XXI. 27. "Ergo qui „in eam ingredi debent, illos oportet eſſe ab „omni peccato, & ſic etiam ab originali mundatos ac purgatos. Jam vero peccatum originis non purgatur nec tollitur in baptiſmo „juxta hypotheſin evangelicorum, nec in morte vel per mortem, quia, cum mors ex „æquo ſit omnibus communis, utique omnes „a peccato originali per mortem purgarentur, „quod abſurdum. Ergo poſt hanc vitam de„mum purgatur, & per conſequens datur pur„gatorium.„ *Reſp.* 1.) Totum hunc Becani diſcurſum evertit Bellarminus libr. II. de purgat. cap. 9. ſic diſputans: "Per reliquias pec„catorum in morte expurgandas vel intelligi„tur fomes, vel mali habitus contracti, vel „reatus pœnæ temporalis, vel peccata venia„lia; hæc enim ſola & omnia remanere poſ„ſunt in homine juſtificato ex iis, quæ ad pec„catum pertinent, & proinde reliquiæ pecca„torum dici poſſunt. Ac primum fomes tol„litur quidem in morte, quia tunc exſtinguitur ſenſualitas, ſed non propter fomitem nos „purgatorium conſtituimus, alioquin etiam „pueri baptizati morientes deberent purgato„rias pœnas pati, cum baptiſmus eis non ab„ſtulerit fomitem.„ At Auguſtinus libr. XXI. de civ. Dei cap. 16. diſerte docet, *ejusmodi pueros nullas pati purgatorias pœnas.* "Mali „autem habitus, qui in voluntate exiſtunt, non „neceſſario exſtinguuntur per mortem, quan„doquidem ſunt in potentiis, quæ organo non „ſunt adligatæ. Nec tamen propter hujusmo„di habitus conſtituimus purgatorium; nam „alioquin ſequeretur, adultos, qui poſt mul„tos malos habitus contractos baptizantur, & „ſtatim moriuntur, vel certe pro Chriſto oc„ciduntur, non poſſe ſalvari, niſi per purga„torium, quia nec baptiſmus nec martyrium „diſſolvit ejusmodi habitus. Credibile igitur „eſt, omnes iſtos habitus tolli per primum „actum contrarium animæ ſeparatæ, quem ſta„tim a ſeparatione elicit. Etſi enim hic non „poſſit uno actu deſtrui contrarius habitus, ta„men ibi poterit, quia actus ille multo vehe„mentior erit, cum anima tunc ſit potentior, „quantum ad actus ſpirituales, nec habeat fo„mitem contrarium & reſiſtentem, ut hic ha„bet. Reſtat ergo reatus pœnæ & peccata ve„nialia, quæ proprie dici poſſunt reliquiæ pec„catorum, ob quas eſt purgatorium. Has „autem reliquias aliquando certum eſt in mor„te purgari, aliquando certum eſt non pur„gari, aliquando dubium eſt, quid fiat, & „probabiliſſimum eſt, partim purgari, partim „non purgari.„ Hæc omnia Bellarminus. 2.) Ex illis ſic concludimus: Fomes peccati tollitur in morte. At fomes ille eſt ipſum

peccatum originis. Ergo peccatum originis tollitur in morte. Pueri baptizati morientes non patiuntur pœnas purgatorias. In illis igitur tollitur peccatum originis, non per baptiſmum. Ergo in morte. Propter peccati fomitem non ſtatuitur purgatorium. Peccatum originis eſt ille ipſe peccati fomes. Ergo propter peccatum originis non ſtatuendum eſt purgatorium. Viciſſim purgatorium ſtatuitur propter reatum pœnæ & peccata venialia. Atqui poſt remiſſionem peccatorum fide impetratam nullus remanet pœnæ reatus, & peccata venialia in renatis ipſo actu non adferunt reatum. Ergo nullum remanet purgatorium. Habitus mali, qui in voluntate exiſtunt, tolluntur per primum actum contrarium animæ ſeparatæ. Ergo etiam peccatum originis, quippe quod eſt vitioſus habitus. 3) Invertimus Becani argumentum: Peccatum originis non tollitur penitus in baptiſmo, nec poſt mortem ſupereſt peccatorum purgatio ſperanda, ut late fuit demonſtratum. Ergo in ipſa morte peccatum originis tollitur. Hanc conſequentiam probat apoſtolus Rom. VI. 7. *Qui mortuus eſt, juſtificatus a peccato.* Reatus peccati tollitur per regenerationem, dominium per renovationem, ſenſus & radix per mortem. Epiphanius lib. II. tom. I. hæreſ. ult. col. 459. "In „nobis non eſt exſtirpare perfecte pravitatis ra„dicem, verum non in extenſionem ſinere ex„creſcere ac fructificare. Nam univerſalis & „perfecta radicis ipſius ſublatio ac interitus a „Deo fit per corporis diſſolutionem.„ 4.) Fruſtra Becanus argutatur: *Si mors in piis tolleret peccati fomitem, utique in omnibus tolleret;* poſſem enim eodem modo concludere: Si mors piis eſt janua ad vitam; ergo etiam omnibus hominibus. Nimirum mortis effecta & conſequentia variant ratione diverſorum ſubjectorum. Piis mors eſt ſuavis ſomnus & liberatio a labe adhærentis peccati & translatio ad ſtatum perfectæ juſtitiæ & vitam æternam, impiis vero eſt æternæ mortis initium & continuatio miſerrimi illius ſtatus, in quo impii tum in hac tum in futura vita hærent, quod ſcilicet ſunt rei iræ divinæ, ſervi peccati & æternæ damnationi obnoxii. 5.) Si dicas, *fomes peccati non ſolum eſt in corpore, ſed etiam in ipſa anima. Ergo ut radix peccati, vitioſa ſcilicet qualitas ex corpore tollitur per cinerifactionem, ſic eadem peccati radix ex anima tollenda eſt per ignem purgatorium*; reſp. in ipſa animæ a corpore ſeparatione peccati venenum ab anima ſeparari, quamvis de modo & medio illius ſeparationis nobis exacte neutiquam quidquam conſter.

§. CCXCI. Quidam ex recentioribus pontificiis utitur hoc argumento: *Corpus purgatur a peccato in ſepultro. Ergo multo magis anima a peccati labe purgari debet in quodam igne purgatorio.* Connexio probatur, *quia anima eſt peccati πρῶτον δεκτικὸν & cauſa principalis, corpus eſt cauſa duntaxat inſtrumentalis. Reſp.* putrefactio illa corporum in ſepulcro, proprie & adcurate loquendo, non eſt talis quædam purgatio, qualem animæ in igne purgatorio pontificii tribuunt, ut propter illam hæc ſit ſtatuenda, id quod probo ex ipſis pontificiorum hypotheſibus: 1.) Animæ ſanctorum patriarcharum, prophetarum & apoſtolorum non deſcendunt in purgatorium, & tamen corpora eorum putrefacta ſunt in ſepulcro. Bellarminus lib. II. de purg. cap. 9. "Quidam re„ſpondent, ut anima ſeparata punitur pœna „damni, quia caret Dei viſione, & pœna „ſenſus, quia torquetur igne: ita carnem pu„niri pœna damni, quia caret vita, & pœna „ſenſus, licet improprie, quia paulatim pu„trefit, & in cineres redigitur. Sed prior ſo„lutio (quod anima ſola merito puniatur, quia „ipſa eſt ſubjectum & cauſa efficiens peccati) „eſt melior; nam etiam corpora ſanctorum „(nota ſanctorum) hæc patiuntur, qui tamen „purgatione non egent.„ 2.) Baptizati pueri non patiuntur purgatorias pœnas, conſentien-

Argumentum recentioris cujusdam pontificii pro purgatorio. Corpus purgatur in ſepulcro. Ergo etiam anima in igne purgatorio.

tibus

tibus omnibus pontificiis, illorum tamen corpora putrefiunt in monumentis. 3.) Damnatorum corpora in cineres rediguntur, nec tamen propterea a peccati labe purgantur, alias non possent propter peccati labem in gehennam conjici. 4.) *Fomes peccati tollitur in morte, quia tunc exstinguitur sensualitas*, Bellarminus d. l. Atqui si fomes peccati in morte tollitur, corpus nulla eget per putrefactionem purgatione. 5.) Putrefactio illa corporis in sepulcro non potest conferri cum statu animarum in purgatorio. Illud enim utpote ἀναίσθητον, inanime ac insensile ex putrefactione nullum dolorem concipit, animæ vero in purgatorio tantis excruciantur pœnis, quantas nullus in hac vita maleficus unquam persenlit, si Cosleri & aliorum pontificiorum assertioni fides habenda. 6.) Invertimus igitur argumentum: Si anima propter reliquias peccati igne purgatorio indigeret, utique etiam corpus ejusmodi purgationem cum sensu doloris conjunctam sustinere deberet, cum in ipso etiam corpore peccati reliquiæ hæreant. Sed posterius dici nequit, quia anima in sepulcro nullam sentit doloris pœnam, Esa. XXVI. 20. LVII. 2. *quiescunt in cubilibus.*

§. CCXCII. Quidam ex pontificiis morose & odiose urgent, *ipsummet Lutherum purgatorio fomenta suppeditasse. Resp.* 1.) Distinguendum inter scripta priora & posteriora, quod discrimen ipse inculcat in præfat. tom. I. Lat. 2.) Quod & quale purgatorium intellexerit, exponit ipse tom. IV. Lat. pag. 368. *Purgatorium a me assertum jactant papistæ & antilogistæ. Et adhuc assero; sed illud, quod in psalmo frequentatur, ubi sancti laudant Deum, quod ab inferno inferiori de tenebris & umbra mortis, de manu inferi, de periculis inferni, de finibus & portis mortis liberati sunt &c. hoc purgatorium non est fictum, sed res ipsa & nimium serium his, qui cum prophetis & sanctis omnibus in schola Christi discunt hanc duram lectionem, deducit ad inferos & reducit; mortificat & vivificat.*

Atque hæc de purgatorio dicta nobis sufficiant.

FINIS

TOMI XVII.

CON-

CONSPECTVS
LOCORVM,
CAPITVM, SECTIONVM, ET RELIQVORVM
CONTENTORVM
IN TOMO HOC XVII. OCCVRRENTIVM.

Locvs XXVII.

DE MORTE.

PROOEMIVM

de noviſſimis in genere.

I) Præmittitur generalis in hunc locum præfatio, qua
- A) *typus*, *Exod.* XXVIII. 35. *allegorice* explicatur, præſentique inſtituto adcommodatur. §. I.
  - * Nota *Editoris* interpretes quosdam iſtius typi indicat.
- B) oſtenditur doctrinæ *de noviſſimis*
  1) *neceſſitas*. §. II.
  2) *utilitas*. §. III.
  3) *dignitas*. §. IV.
- C) adduntur monita piorum veterum *de noviſſimorum meditatione*. §. V.

II) Tranſitus fit ad ipſam explicationem rerum in hoc volumine contentarum, ubi traditur *noviſſimorum*
- A) *onomatologia*. §. VI.
- B) *numerus controverſus*. §. VII.
- C) *ordo*. §. VIII.
  1) *mors*.
  2) *reſurrectio mortuorum*. §. IX.
  3) *judicium extremum*. §. X.
     quæſtio, num judicium extremum anteceſſurum ſit conflagrationem mundi? in *affirmativam* partem deciditur. §. XI. XII.
  4) *conflagratio mundi*. §. XIII.
  5) ſuppliciorum impiis, præmiorum piis paratorum *publica renunciatio*. §. XIV.

CAPVT I.

de morte, ac ſpeciatim de ejus onomatologia.

Notatur
I) *Etymologia* nominis latini, græci, ebræi. §. XV.
II) *Homonymia*. §. XVI.
III) *Synonymia*. §. XVII.

Adducuntur adpellationes mortis obviæ
- A) in *ſacris literis*, (quibus generatim frequentiſſima eſt ſuavis illa & fœcunda *ſomni* nomenclatura, cujus vis & uſus oſtenditur. §. XVII—XIX.
  - * Nota *Editoris* ad dilucidandam hancce *ſomni* metaphoram momenta quædam addit.)
  1) *vet. teſt.* ut formulæ
     - α) *congregari ad populum ſuum*. §. XX.
     - β) *viam vadere univerſæ carnis*. §. XXI. aliæque. §. XXII.
  2) *nov. teſt.*
     - α) apud *evangeliſtas*. §. XXIII.
     - β) apud *Paulum*. §. XXIV.
- B) in *ſcriptoribus eccleſiaſticis*. §. XXV.
- C) in *profanis auctoribus*. §. XXVI.

CAPVT

CAPVT II.

de cauſis mortis.

* *Editor*, ſubjecta ab initio *quæſtione, an detur mors?* memorabile illud philoſophiæ recentioris commentum *de exilio mortis*, ampla in nota hiſtorice pertractat, ita quidem, ut

α) mentem & ſententiam eorum, qui mortem profligatam volunt, declaret;

β) veſtigia hujus opinionis, apud *veteres* obvia, perſequatur, ſcriptorum huc pertinentium auctoritate adhibita,

γ) cogitata *peculiaria* referat præcipuorum ſententiæ hujus inſtauratorum, POIRETI & LEIBNITII.

δ) ſuffragia *recentiorum* commemoret.

I) Proferuntur *veræ* mortis *cauſæ*, æque

A) *remotæ & principales*, §. XXVII.
1) *diaboli* ſeductoris malitia. §. XXVII—XXX.
2) *hominis* delinquentis culpa. §. XXXI. XXXII.
3) *Dei* vindicis ira. §. XXXIII.

B) *Propinquæ & intermediæ*. §. XXXIV.
1) *interna*, caloris nativi defectus.
2) *externæ*. Hoc quidem reſpectu diſtingui ſolet mors in *naturalem*, & *violentam*. §. XXXV. ubi *quæritur*:
α) Quid de futura ſalute eorum ſtatuendum, qui *violenta* pereunt morte? §. XXXVI.
β) An αὐτοχειρες *omnes indiſcriminatim* æternis ſuppliciis ſint adjudicandi? §. XXXVII.

II) Ponitur *antitheſis* circa mortis cauſas

A) Quorundam *extra eccleſiam*. §. XXXVIII.

B) Quorundam *in eccleſia*, *Pelagianorum* inprimis & *Socinianorum*, qui, cum negent, primum hominem a Deo immortalem fuiſſe conditum, non ipſam mortalitatem, ſed moriendi neceſſitatem pro *pœna peccati* habent. §. XXXIX.
Hæc ſententia ita impugnatur, ut
1) probetur, hominem ante lapſum fuiſſe *immortalem*, §. XL.
2) exceptiones *Socinianorum* ſolvantur, §. XLI. XLII.
3) argumenta eorum contraria diluantur, petita
α) a primi hominis generatione. §. XLIII.
β) ab uſu cibi ante lapſum. §. XLIV.
γ) a corporis animalis conditione. §. XLV.
δ) ab imagine primi hominis terrena, mortalibus ejus poſteris relicta. §. XLVI.
ε) a Chriſti redemtione, mortem naturalem non abolente. §. XLVII.
ζ) a conſtituta homini innocenti arbore vitæ. §. XLVIII.
η) ex cauſarum enumeratione. §. XLIX.
ϑ) a conſequente abſurdo. §. L.
ι) a ſtructura corporis, contrariis ex elementis compoſiti, §. LI.

CAPVT III.

de materia mortis.

Materia in qua, ſeu *ſubjectum* mortis eſt *totus homo*, non quidem ratione partium *ſeorſim* conſideratarum, (*anima* enim immortalis eſt & expers corruptionis) ſed ratione *totius compoſiti*, quia totus homo mori & interire dicitur. §. LII.

CAPVT IV.

de forma mortis.

Forma mortis, quæ nihil aliud eſt, quam *animæ a corpore ſolutio*, declaratur ipſis ſacræ ſcripturæ verbis, §. LIII. notaturque inſimul, & argumentis adductis convellitur error *Photinianorum*, qui mortem definiunt per *redactionem in nihilum*. §. LIV.

CAPVT V.

de fine mortis.

Finis mortis *in ſe* conſideratæ eſt *pœna peccati*.
Sed reſpectu habito *diverſorum mortis objectorum*, *piorum* videlicet ac *impiorum*, *diverſitas* omnino *finis & effectus* in morte deprehenditur. Eſt enim mors *impiis* pœna proprie ſic dicta, æternæque perniciei initium; piis autem paterna eſt caſtigatio, eaque ſuavis & læta, tum in ipſo vitæ hujus exitu, tum ratione conſequentium. §. LV.
Sed mortem non dare *ſatisfactionem* pro peccatis, nec vitæ æternæ *meritum*, monetur contra *pontificios*. §. LVI.

CAPVT VI.

de objecto mortis.

Totum genus humanum morti obnoxium esse, ostenditur §. LVII.

Hanc fati ad omnes homines pertinentis communitatem non labefactari vel exemplis quibusdam singularibus, vel suspicionibus contrariis, docetur §. LVIII.

CAPVT VII.

de adjunctis mortis.

Adjuncta mortis sunt *tempus*, *numerus*, *antecedentia* & *consequentia*.

Considerantur itaque

I) *Tempus* mortis, seu *vitæ terminus*, unicuique homini divina providentia constitutus, §. LIX. ubi notatur *error*

A) *Epicureorum*, qui vitæ terminum *casui* tribuunt, §. LX.

B) *Stoicorum*, *fati vim absolutam* propugnantium. §. LXI. quibus fere accedunt *Calviniani*, cum *certum* mortis tempus & genus unicuique homini ex *absoluto Dei decreto* adsignatum statuant. Hinc propria contra eos disputatio instituitur, qua, *statu quæstionis* rite formato, §. LXI. sententiæ de *fatali necessitate termini vitæ* argumenta *opponuntur*, desumta

1) a *divinis oraculis*, terminum vitæ sic *limitantibus*, ut, in hora non minus, quam in genere mortis, respectus ad probitatem vel improbitatem hominum negligi non possit. §. LXII.

2) ab *exemplorum* enumeratione, quibus veritas promissionum & comminationum divinarum de vitæ spatio sive extendendo, sive abrumpendo comprobatur. §. LXIII. LXIV.

3) ex *providentiæ divinæ* ratione. §. LXV.
4) ex ordinato *medicamentorum* usu. §. LXVI.
5) ex *subjecti* distributione.
6) ex deductione ad *absurdum*.

Quæstio subnectitur: An licitum sit, *maturam mortem expetere*? §. LXVII.

II) *Numerus* mortis, ad unitatem restrictus, *singularis* & non iteratus. §. LXVIII. Heic

Quæstio: *An resuscitati a Christo fuerint denuo mortui*? perpensis argumentis cum negantibus, tum adfirmantibus, ita explicatur, ut major probabilitas vindicetur sententiæ *adfirmanti*. §. LXVIII. LXIX.

* Scriptorum quorundam super hac quæstione mentionem injicit nota *Editoris*.

III) *Antecedentia* mortis, §. LXX.

A) *remotiora*,

1) morbi,
2) senectus, graphice depicta *Eccles. XII.* §. LXXI.
3) calamitates hujus vitæ. §. LXXII.

B) *propinquiora*, §. LXXIII.

1) interna.
2) externa. §. LXXIV.

IV) *Consequentia* mortis. §. LXXV. referuntur, ad duas classes,

A) ratione *totius compositi*,

B) ratione *singularum hominis partium*, quæ sunt *corpus* & *anima*. §. LXXVI.

* Observatio *Editoris* addit fautores quosdam sententiæ, quæ *tres* homini partes tribuit; itemque scripta adlegat, argumentum hocce pertractantia.

Consequuntur autem mortem respectu *corporis*

α) omnimoda corporis mutatio. §. LXXVI.
β) horribilis ejusdem putrefactio.
γ) corporis sepultura.
δ) in pulverem conversio.

De *sepultura* uberius dicitur: nam

(A) recensentur varii modi, quibus apud *gentiles* mortuorum corpora tractata fuere. §. LXXVII.

* accedit notula *Editoris* de diro quodam more *Persarum*.

(B) commendatur *christianis honesta* spesque resurrectionis digna sepultura.

(1) *Generatim* monetur, corpora christianorum, piorum præsertim, *honorificentius* esse tractanda. §. LXXIX.

(2) *Speciatim* produntur causæ, cur *terræ infevenda* ac humanda sint defunctorum corpora. §. LXXX.

* *Editor* in observationibus morem adstruit *gentilium*, cadavera in rogum imposita *cremandi*; infimulque *origines* ostendit consue-

consuetudinis apud *christianos* introductæ, secundum quam *cœmeteria*, perinde ut alia loca sacra, peculiari quadam ratione *consecrantur*.

(C) improbatur multiplex *pontificiorum* circa sepulcra & sepeliendi ritus *superstitio*. §. LXXXI.

(D) censetur *luxus nostrorum* immoderatus. §. LXXXII.

(E) calamitati, qua pio cuipiam honesta sepultura ab hostibus sæpe denegatur, solatium opponitur. §. LXXXIII.

(F) varii *sepulturæ ritus* enarrantur

(α) ex *vetere testamento*. §. LXXXIV.

(β) ex historia *primitivæ ecclesiæ*. §. LXXXV.

* *Editor* varias adspergit observationes, ritibus hisce illustrandis inservientes; inprimis etiam de usu *myrrhæ* & *aloës* in unguendis defunctorum corporibus aliquid adjicit; & morem gentilium, *præficas* adhibendi, copiosa in nota recenset, idoneis rei testibus in medium adductis.

(γ) in *nostris ecclesiis*. §. LXXXVI.

(G) *Quæstiones* explicantur:

(1) An liceat in funebribus concionibus subjungere clausulam ἠθικήν; §. LXXXVII.

(2) An *extra urbem cœmeteria* eligenda? §. LXXXVIII.

* *Editor* in observationibus α) de more *veterum*, *extra urbem* sepeliendi, *auctores* excitat; β) demonstrat, *per tria priora secula* christianas civitates non habuisse *propria* sepulturæ loca. γ) morem *intra templa & monasteria sepeliendi* copiose dilucidat, originem ejus, progressum, abusumque ingravescentem ostendit, scripturumque, qui de eo commentati sunt, censum exhibet.

(3) An corpora facinorosorum in patibulo *relinquenda?* §. LXXXIX.

(4) An hæreticis vel impiis *deneganda sepultura?* §. XC.

Statu quæstionis formato, *negative* respondetur, argumentis petitis

α) a divino mandato. §. XCI.

β) a piorum exemplo. §. XCII.

γ) a comparato.

δ) a consequente multiplici incommodo.

(5) An pie defuncti sint *lugendi?* *Resp. affirmando* §. XCIII. nisi luctus sit immoderatus, ortusque vel ex impatientia, vel ex diffidentia. §. XCIV.

(6) Quid statuendum sit de *religioso reliquiarum*, quas vocant, *cultu*, apud *pontificios* passim vigente? §. XCV.

Mos iste *pontificius*

(α) *quis* & *qualis* sit, ostenditur §. XCV.

(β) *improbatur*, rationibus desumtis

(a) a defectu mandati divini. §. XCVI — XCVIII.

(b) ab adverso mandato. §. XCIX.

(c) a defectu divinæ promissionis.

(d) ex defectu probati exempli.

(e) ex contrariis exemplis.

(f) ex facto ipsius Dei, in sepultura *Mosis*, cujus sepulcrum voluit ignorari. §. C.

* *Editor* historiam *Mosaicæ sepulturæ*, nec non locum *Judæ v. 9.* additis observationibus illustrat.

(g) ex defectu rationis certæ ac firmæ. §. CI.

(h) ex suffragio primitivæ ecclesiæ. §. CII.

(i) ex fraudibus & impostoris, quæ circa reliquias committuntur. §. CIII. CIV.

* Varia scripta de argumento hocce tum a *protestantibus*, tum ab ipsis *cœtus Romani doctoribus*, recentiori cumprimis ætate evulgata exhibet nota *Editoris*.

(k) a multiplici superstitione in hoc cultu. §. CV.

(l) ex absurdis & periculis, quæ cultum reliquiarum consequuntur. §. CVI.

(m) ex saniorum pontificiorum confessione. §. CVII.

(γ) Excutiuntur *pontificiorum argumenta*, *pro cultu reliquiarum* stabiliendo petita

(a) ab exemplis dictisque scripturæ. §. CVIII.

(aa) *Exod.* XIII.
(bb) *Deut.* XXXIV. §. CIX.
(cc) 2. *Reg.* XIII. §. CX.
(dd) 2. *Reg.* XXIII. §. CXI.
(ee) *Esa.* XI. §. CXII.
(ff) *Matth.* IX. §. CXIII.
(gg) *Act.* V. & XIX. §. CXIV.

* De *umbra Petri morbosos sanante* scripta quædam suppeditat, suamque observationem adjicit *Editor*.

(*bb*) *Gen.* XLVII. §. CXV.
(*ii*) 1. *Reg.* XIII. & *Dan*, VI. §. CXVI.
(*kk*) *Sir.* XLVI.
(*ll*) *Act.* VIII.

(*b*) ex conciliis. §. CXVII.

(*c*) ex patribus. §. CXVII.

(*d*) ex miraculis ad reliquias factis. §. CXVIII.

(*e*) ex miraculis in corporibus sanctorum.

(*f*) ex revelatione sanctorum corporum. §. CXIX.

* *Editor* in nota producit FRANCISCVM PARISIVM, clarum miraculis, quæ ad sepulcrum ejus edita dicuntur. Horum præcipui defensores atque oppugnatores commemorantur, variaque scripta huc spectantia recensentur.

(*g*) ex translatione reliquiarum de uno loco in alium. §. CXX.

(*h*) ex repositione earundem sub altaribus. §. CXXI.

(*i*) ex usu cereorum & lampadum. §. CXXII.

(*k*) ab utili & honesto. §. CXXIII.

(7) Quid statuendum de *peregrinationibus ad loca sanctorum*? §. CXXIV.

(*α*) Quantum *pontificii* iis tribuant, *Bellarmini* verbis docetur. §. CXXIV.

(*β*) Sed eædem a nobis jure *repudiantur*. Sunt enim

(*a*) superstitiosæ. §. CXXV.

(*b*) supervacuæ & otiosæ. §. CXXVI.

(*c*) perniciosæ. §. CXXVII.

(*d*) in Christi meritum contumeliosæ. §. CXXVIII.

(*e*) verbo Dei & naturæ novi testamenti contrariæ. §. CXXIX.

(*f*) *gentilium Turcarumque* superstitioni affines. §. CXXX.

(*g*) destituuntur primæ ecclesiæ suffragio. §. CXXXI.
quæ assertio defenditur contra exceptiones *Bellarmini*. §. CXXXII. CXXXIII.

* De *Gregorii Nysseni* epistola, *super peregrinationibus*, a *Petro Molinæo* aliisque recognita, observationem literariam adjicit *Editor*.

(*b*) a *pontificiis sanioribus* non admodum probantur. §. CXXXIV.

(γ) Subvertuntur fulcra *pontificiorum*, ad firmandas peregrinationes adhibita

(*a*) a *Bellarmino*

(*aa*) ex scripturis sacris. §. CXXXV.

(*bb*) ex patribus. §. CXXXVI.

(*cc*) ex ratione. §. CXXXVII.

(*b*) ab *aliis*. §. CXXXVIII.

(8) An *infantes, ante baptismum mortui, extra cœmeteria* sepeliendi? §. CXXXIX.

CAPVT VIII.

de consequentibus mortis respectu animæ, hoc est, ejus conditione & statu.

SECTIO I.

de animæ immortalitate.

Consequens mortis respectu *animæ* est, quod *ipsa* post dissolutionem a corpore, *immortalem agat vitam*. §. CXL. Hinc

I) *Confirmatur animæ immortalitas* sequentibus fundamentis:

A) Disserta servatoris nostri assertione, *Matth.* X, 28. §. CXLI.

B) Animæ & corporis oppositione. §. CXLII.

C) Primæva animæ creatione. §. CXLII.

* Ampla *Editoris* observatio genuinum sensum loci *Gen.* II, 7. adcurate explanat, vimque ejus ad demonstrandam animæ immortalitatem in aprico ponit; adjungit etiam aliud argumentum ex *Gen.* I, 26.

D) Ipsa animæ appellatione. §. CXLIII.

E) Vitæ post hominis mortem continuatione, ex variis scripturæ locis colligenda, inprimis ex *Luc.* XX, 37. cujus argumentationis veritas contra exceptiones *Photinianorum* adstruitur. §. CXLIV.

F) Mor-

F) Mortis descriptione. §. CXLV.

G) animarum post mortem statu & conditione.

H) *Mosis* adparitione. §. CXLV.

II) Quæstio proponitur: An immortalitas animæ *ex lumine naturæ* cognosci possit? §. CXLVI.

A) Adducuntur *philosophorum rationes*, quibus animæ a corpore solutæ vitam perpetuam probare nituntur. §. CXLVI.

* In copiosa observatione *argumenta pro immortalitate animæ a ratione* petita, in suas classes dispescuntur, eis singulis propria, nexusque, quo unum alteri plus addit ponderis, ostenditur; *recentiorum* etiam felicia in argumentis hisce exornandis conamina laudantur; denique de iis argumentis, quæ *probabilitatem* tantum, non certitudinem inferunt, *epicrisis* subjicitur.

Accedunt aliæ *Editoris* observationes, æque literariæ, quibus partim de libro illo *Platonis* agitur, *Phaedon* inscripto; partim notitia exhibetur auctorum, qui in adstruenda animæ immortalitate studium suum operamque collocarunt.

B) *Dissentientium* cogitata adferuntur. §. CXLVII.

* Nota *Editoris* scriptoribus a Gerhardo excitatis adcenset alios *recentiores*.

III) Adlegatis *patrum* dictis de animæ immortalitate, ostenditur unanimis piæ & eruditæ *antiquitatis* in hoc dogmate *consensus*. §. CXLVIII.

IV) Exponitur *antithesis* eorum, qui animæ immortalitatem negant. §. CXLIX.

* *Editor* in larga observationum copia 1) explicatius agit de iis, qui animam ex materia constare existimant, negata ejus immortalitate. 2) de *Epicuro* ejusque sectatoribus *auctores* recenset. 3) sectam istam hæreticorum, qui *Arabici* dicuntur, persequitur. 4) *Aristoteli jure* tribui sententiam *de animæ interitu*, adducta recentiorum auctoritate monet; 5) denique de *Pomponatio*, ejusque defensoribus aliquid subjungit.

V) Convelluntur argumenta, ad probandam ψυχοφθαρσίαν proferri solita

A) ex *sacris literis*.

1) *Job.* XIV. 10. §. CL.

2) *Psalm.* CXV. 17. §. CLI.

3) *Eccles.* III. 19. §. CLII.

* Cui loco *Editor* in observationibus lucem adfundit, adductis insimul quibusdam ejus interpretibus.

B) ex *rationibus* petitis

1) ab animæ *productione*. §. CLIII.

2) ab animæ *operatione*. §. CLIII.

3) ab animæ *passione*.

4) ab animæ *alteratione*.

5) a *comparatione*.

SECTIO II.

de metempsychosi, seu transmigratione animæ.

I) *Metempsychoseos adsertores* nominantur. §. CLIV.

* *Editor* in observationibus persequitur sententiam *Ægyptiorum*, *Pythagoræ*, *Platonis*, *Josephi*; & ad alios auctores lectorem remittit.

II) Bruta illa & absurda *metempsychoseos* opinio *refutatur*. §. CLV.

III) Argumenta solvuntur, quibus usi sunt nonnulli *pro adstruenda metempsychosi*.

A) ex *Nebucadnezaris* transformatione. §. CLVI.

B) ex *Johannis baptistæ* denominatione. *Malach.* IV. 5. coll. *Matth.* XI. 14. §. CLVII.

C) ex historiarum *profanarum* testimonio, de *Lycanthropis*. §. CLVIII.

SECTIO III.

de variis animarum post mortem receptaculis.

Præmissis *patrum* quorundam effatis *de animarum a corpore separatarum loco ac custodia*. §. CLIX.

I) Indicatur *nostræ ecclesiæ* sententia, nixa perspicuo *sacræ scripturæ* testimonio, quæ *duo tantum* enumerat animarum post mortem *receptacula*, alterum *piis*, alterum *impiis* destinatum. Prius *cæli*, posterius *inferni* adpellatione denominatur. §. CLX.

Speciatim evincitur,

A) *Piis* mentibus in *cælo* paratum esse domicilium, secundum dicta

1) *vet. teſt.* §. CLX.

2) *nov. teſt.* §. CLXI.

B) *impiai* vero animas ſtatim poſt mortem corporis detrudi in *cavcerem infernalem.* §. CLXII.

II) *Antitheſis* exhibetur,

A) *Gentilium.* §. CLXIII.

B) *Patrum quorundam.* §. eod.

C) *Eſſæorum.* §. CLXIV.

D) *Manichæorum.* §. eod.

(*Lutheri* ſententia de *Scheol* dextre explicatur, §. CLXV.)

E) *Pontificiorum*, qui ſequentia ſtatuunt animarum receptacula:

1) *infernum.*

2) *purgatorium.*

3) *limbum puerorum.*

4) *limbum patrum.*

5) *cœlum*, in quod animas ſanctorum ab omnibus peccatis plane purgatas admittunt. §. CLXVI.

Hæc *pontificiorum* ſententia ſub adcuratius examen vocatur.

(I) Contra *tria illa* receptacula animarum, a *pontificiis* præter cœlum & infernum efficta, adfertur argumentum *generale*, §. CLXVII. inſimulque convellitur *generale Bellarmini* argumentum, pro illis adſtruendis in medio poſitum. §. CLXVIII.

(II) In *ſpecie* diſputatur

(A) contra *limbum infantum.* §. CLXIX.

(1) Falſitas hujus commenti adductis variis rationibus evincitur. §. eod.

(2) *Hypotheſes*, quibus *pontificii* limbum infantum ſuperſtruunt, evertuntur.

Fruſtra enim adſumunt:

α) parvulos, ſine baptiſmo decedentes, mortis æternæ pœna eſſe damnandos. §. CLXX.

β) eosdem non pœna quidem ſenſus puniendos, nec tamen animi dolore, quamvis mitiſſimo illo, carituros. §. CLXXI.

(B) contra *limbum patrum.*

(1) Argumenta producuntur limbo patrum *adverſa.* §. CLXXII.

(2) *Fulcra limbi* hujus *pontificii* deſtruuntur, deſumta

α) ex dictis *ſcripturæ ſacræ*

a) *Gen.* XXXVII. 35. §. CLXXIII.

b) 1. *Sam.* XXVIII. §. CLXXIV, quæ contra noſtras exceptiones in contrarium adferuntur, ſolvit §. CLXXV.

c) *Zach.* IX. 11. §. CLXXVI.

d) *Luc.* XVI. §. CLXXVII.

e) 1. *Petr.* III. §. CLXXVIII.

f) *Gen.* XV. 15. §. CLXXIX.

g) *Deut.* XXXII. 22.

h) *Matth.* XI. 3.

i) *Job.* VIII. 56.

k) 1. *Petr.* IV. 6.

l) *Hebr.* VI. 20.

m) *Hebr.* IX. 8.

n) *Hebr.* X. 19.

o) *Hebr.* XI. 39. §. CLXXIX.

β) ex *patribus.* §. CLXXX.

(C) contra *purgatorium.* §. CLXXXI.

AA) *Opponuntur* purgatorio *noſtra argumenta*, quorum vis inſimul contra *Bellarmini* exceptiones vindicatur. Nam commentum iſtud *pontificium*

(1) deſtituitur ſcripturæ ſuffragio. §. CLXXXII. CLXXXIII.

(2) pugnat cum ſcriptura. Hæc enim

α) *omnes* homines in *duas* duntaxat claſſes, bonos ſcilicet & malos dividit. §. CLXXXIV. CLXXXV.

β) reſipiſcendi, credendi, bene operandi ſpatium ad ſolum *hujus vitæ* tempus reſtringit. §. CLXXXVI. CLXXXVII.

γ) emundationem a peccatis tribuit *merito Chriſti*, in uſu verbi & ſacramentorum per fidem homini illa hac quidem vita adplicato. §. CLXXXVIII.

δ) pios *læto* animo mortem adire præcipit. §. CLXXXIX. cumprimisque in *exemplo* latronis converſi *Luc.* XXIII. 43 credentibus promiſſionem offert veriſſimam ac largiſſimam beatitatis morti *proximæ.* §. CXC.

ε) animas piorum *ſine mora* ad paradiſi gaudia introduci, *perſpicuis teſtimoniis* adſerit. §. CXCI. CXCII.

ζ) *duo*

ζ) *duo tantum* Ψυχοδοχεῖα post mortem enumerat. §. CXCIII.

η) peccatorum remissionem & salutis consequendæ facultatem *huic* tantum *vitæ* adligat. §. CXCIV. CXCV.

θ) negat, mortuos vivorum suffragiis juvari posse. §. CXCVI.

ι) ex inferno liberationem patere negat. §. CXCVII.

(3) adversatur *analogiæ fidei.*

α) articulo de Dei misericordia. §. CXCVIII.

β) de Dei justitia. §. CXCVIII—CCI.

γ) de merito Christi. §. CCII. CCIII.

δ) de evangelio. §. CCIV.

ε) de fructu pœnitentiæ. §. CCV. CCVI.

ζ) de peccatorum remissione. §. CCVII. CCVIII.

η) de statu hominum fide justificatorum, fructuque justificationis, pace nimirum conscientiæ. §. CCIX.

θ) de extremo judicio. §. CCX.

(4) pugnat cum propriis *pontificiorum* hypothesibus. §. CCXI.

(5) caret ecclesiæ *primitivæ*, apostolis vicinæ suffragio, id quod

α) *generatim* demonstratur. §. CCXII.

β) in *specie*,

a) ex silentio patrum. §. CCXIII.

b) ex effatis & sententiis eorundem, a purgatorii opinione longe abhorrentibus, cum adferunt,

aa) nonnisi in hac vita locum esse pœnitentiæ. §. CCXIV.

bb) unumquemque ita judicari, ut a Christo in morte invenitur. §. CCXV.

cc) nullam esse pro peccatis satisfactionem aliam, quam Christi. §. CCXVI.

dd) iis, quibus peccata sint remissa, pœnam in purgatorio non amplius esse sustinendam. §. CCXVII.

ee) animas piorum statim a morte in cœlum deduci §. CCXVIII.

ff) denique duo tantum animarum receptacula statuunt. §. CCXIX.

(6) falsis nititur hypothesibus. §. CCXX.

(7) convenit cum superstitione *gentilium*, *Judæorum*, & *Turcarum*. §. CCXXI. CCXXII.

(8) laborat perpetuis contradictionibus. §. CCXXIII.

BB) Fundamenta *pontificiorum*, ad *firmandum purgatorium* adhibita, evertuntur, subrutis itentidem *Bellarmini* contra nostras responsiones exceptionibus. Dispeseuntur autem argumenta *pontificiorum* in *quinque* classes, prout desumta sunt a *Bellarmino aliisque*

α) ex scripturis sacris *vet. testam.*

a) 2. *Maccab.* XII. §. CCXXIV — CCXXX.

b) *Tob.* IV. 18. §. CCXXXI.

c) 1. *Sam.* XXXI. §. CCXXXII.

d) *Psalm.* XXXVIII. 2. §. CCXXXIII.

e) *Psalm.* LXVI. 12. §. CCXXXIV.

f) *Esa.* IV. 4. §. CCXXXV.

g) *Esa.* IX. 18. §. CCXXXVI.

h) *Mich.* VII. 8. §. CCXXXXVII.

i) *Zach.* IX. 11. §. CCXXXVIII.

k) *Malach.* III. 3. §. CCXXXIX.

l) *Levit.* XII. 4. §. CCXL.

m) 1. *Sam.* II. 6. §. CCXLI.

n) *Psalm.* XXXIX. 12. §. CCXLII.

o) *Psalm.* CVII. 13. §. CCXLIII.

p) *Eccles.* IV. 14.

q) *Esa.* VIII. 19.

r) *Esa.* LIV. 8.

s) *Jer.* I. 13. §. CCXLIV.

β) ex *nov. testam.*

Explicantur dicta, pro purgatorio adducta

(1) a *Bellarmino*

a) *Matth.* XII. 32. §. CCXLV— CCLI.

* Copiosis *Gerhardi* in hunc locum observationibus *Editor* adjungit suam, qua monet, in expositione verborum Christi: *neque in hoc, neque in futuro seculo*, respici ad *Judæorum de gradibus & remissione peccatorum* sententiam. His positis mentem servatoris amplius declarat, & ad *Pfaffii* consensum provocat.

b) 1. *Cor.*

b) 1. *Cor.* III, 12. Locus iſte fere palmarius

aa) *generatim* vindicatur ab iniquis *Bellarmini* detorſionibus. §. CCLIII. CCIV.

bb) *ſpeciatim* per *ſingula membra* dilucidatur, perquirendo

(*α*) Quinam ſint *architecti*? §. CCLV.

(*β*) Quodnam ſit *fundamentum*? §. CCLVI.

(*γ*) Quinam ſint *ſuperædificantes*? §. CCLVII.

(*δ*) Quid *aurum*, *argentum* & *pretioſi lapides*? §. CCLVIII.

(*ε*) Quid *lignum*, *fœnum* & *ſtipula*?

(*ζ*) Quid *dies*, *cujusque opus manifeſtans*? §. CCLIX.

(*η*) Quid *ignis*? §. CCLX—CCLXVII.

c) 1. *Cor.* XV. 29. §. CCLXVIII.

d) *Matth.* V. 25. & *Luc.* XII, 58. §. CCLXIX.

e) *Matth.* V. 22. §. CCLXX.

f) *Luc.* XVI. 9. §. CCLXXI.

* *Editor* ſcriptores quosdam recentiores excitat.

g) *Luc.* XXIII, 42. §. CCLXXII.

h) *Act.* II. 24. §. CCLXXIII.

i) *Phil.* II. 10. *Apoc.* V. 2. §. CCLXXIV.

(2) ab aliis doctoribus *pontificiis*.

a) *Matth.* XIII, 11. §. CCLXXV.

b) *Matth.* XII, 36. §. CCLXXVI.

c) *Luc.* XVI. 23. §. CCLXXVII.

d) *Rom.* XII. 13. §. CCLXXVIII.

e) 1. *Joh.* V. 16. §. CCLXXIX.

γ) ex *conciliis* & *eccleſiæ conſuetudine*. §. CCLXXX.

δ) ex *patribus græcis* & *latinis*. §. CCLXXXI.

ε) ex *rationibus*; & quidem

a) ex *diſcrimine peccatorum*. §. CCLXXXII.

b) a *debito pœnarum temporalium*. §. CCLXXXIII.

c) a *communi opinione omnium gentium*. §. CCLXXXIV.

d) ab *adparitionibus animarum*. §. CCLXXXV.

e) ex *incommodo*. §. CCLXXXVI.

f) ab *eccleſiæ communione*. §. CCLXXXVII.

(3) argumenta *Salmeronis* pro *purgatorio*

a) ex *traditione*. §. CCLXXXVIII.

b) ex *ratiocinatione*. §. CCXXXIX.

(4) argumentum *Becani* pro *purgatorio* ex *purgatione ſalvandis neceſſaria*. §. CCXC.

(5) argumentum recentioris cujusdam *pontificii* pro *purgatorio*: *corpus purgatur in ſepulcro*; ergo etiam *anima in igne purgatorio*. §. CCXCI.

(6) diluitur objectio pontificiorum, ipſummet *Lutherum purgatorio fomenta ſuppediſaſſe*. §. CCXCII.

Jg 1830
(1718)

ULB Halle
002 610 876
3

4018

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM JENENSIS

CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS DECIMVS SEPTIMVS


DENVO EDIDIT

VARIISQVE OBSERVATIONIBVS

ILLVSTRAVIT ET AVXIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS



TVBINGAE

SVMTIBVS IO. GEORGII COTTAE

MDCCLXXVII.

Farbkarte #13 B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Inches Centimetres

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841202-p0371-3